UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

urn:nbn:de:hbz:466:1-67192

Visual Library

R. 5788.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA

A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ DEFINITORE PROVINCIALI,
OLIM S. THEOLOGIÆ, AC SS. CANONUM
LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS VIGESIMUS TERTIUS
SEU IN ORDINE
TOMUS XLVII.
Ab anno Christi 1563. usque ad annum 1566.

AUGUSTÆ VINDELICORUM, & OENIPONTI,
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXXII.

DISSERTATIO
DE
CONCILII TRIDENTINI
FATIS.

Sicuti Pater æternus Creator omnipotens cœlum terramque, quam condidit, ſingulari providentia, ac jure ſibi veluti proprio ſemper gubernando conſervat, & conſervando gubernat, ita pariter Chriſtus Dominus Eccleſiam Sponſam ſuam, quam ſibi pretioſi Sanguinis ſui pretio propriam fecit, atque acquiſivit, pariter non modo inviſibili ſua protectione, ſed etiam variis, iisque potentiſſimis mediis externis identidem regit, ejusque regimini proſpicit, atque a ruina præſervat. Porro inter hæc media facile principem locum obtinent Concilia præcipue vero œcumenica: ipſe etiam Chriſtus Dominus, cum adhuc in terris degens, ſuam Eccleſiam dirigeret, Apoſtolos ſuos, ut de ſua Divinitate fidem in illis corroboraret, eos in unum congregabat, ut in hoc veluti

conventu publico Divini Magiſtri, necnon futuri ſui Succeſſoris Divi Petri teſtimonio hæc quæſtio definiretur: *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis.* (*) Hoc vero cœleſtis ſui Præceptoris exemplum, ac remedium ordinarium ab eo pro decidendis fidei controverſiis ac recta Eccleſiæ adminiſtratione inſtitutum ſecuti Sancti Apoſtoli ſæpius ejusmodi Concilia celebrabant, & quidem anno Chriſti 34. pro eligendo Matthia, eodemque anno pro ſeptem Diaconis eligendis ad ſedandum Græcorum murmur: anno autem ſequenti pro decernenda SS. Petri & Joannis miſſione, & anno 37. pro edendo fidei ſymbolo, necnon anno 51. pro definienda quæſtione circa legalia, & anno 58. pro ſollicito Eccleſiæ regimine, ac denique eodem anno pro abolenda Gentiliſmi ſuſpicione de Paulo a Judæis concepta: propterea etiam Eccleſia ſuper fundamentum Chriſti & Apoſtolorum ædificata tam pro tuendo quodam fidei articulo, quam pro definiendis controverſiis aut reprimendis hæreticis omni ævo Concilia indixit, tanquam utiliſſima atque efficacia unionis ac puritatis in fide, diſciplina & moribus conſervandæ media:

Haud tamen inficiari poſſumus, quod facilius adhuc magisque expeditum fuerit hoc

(*) Matth. 16. v. 17.

hoc remedium eo tempore, quo Ecclesia credentium multitudine non adeo erat aucta & diffusa, nec etiam ad externum illius splendorem tam sumptuosos apparatus instruere necesse fuerat, atque aliunde major animorum consensio, magisque prompta obsequendi voluntas tam in Pastoribus quam in grege vigebat: quapropter etiam tum frequentiora, magisque prospero successu auspicata habebantur Concilia: noviſſimis vero nostris temporibus major itinerum difficultas, remotissimarum Regionum distantia, errorum frequentia, errantium pertinacia, atque opinantium æmulatio, necnon aucta omnium rerum pretia & denique refrigescens fidelium charitas Concilia saltem universalia celebrandi difficultatem auxit, idcirco cum per plurima hucusque sæcula innumeræ lites & controversiæ fuerint exortæ, atque errores in fide, morumque depravationes irrepserint, ad illas definiendas vel corrigendas sæpe non adhibita fuere Conciliorum remedia, sed unice ad infallibilis Judicis sententiam provocatum fuit, tanquam ad viam ordinariam ab ipso Christo Domino institutam, quam quotiescunque humili obsequio filii, imo etiam oves errantes, secutæ sunt, pristina pax reddita, & prava in directa, & viæ asperæ in planas conversæ sunt paterna sollicitudine ac judicio illius, qui vigilat super omnes, ut ædificet, & plantet.

Quinimo non modo Sancti Auguſtini ætate hæreticorum pertinacia Conciliorum deciſione frangi haud poterat, ac tandem ad ſupremi judicis ſententiam recurrere oportebat, ſed inſuper per plurima ſæcula luculento Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtimonio comprobatum habemus, quod etiam in ipſis Conciliis, ne dicam hæreticorum errores extirpari, ſed nequidem tumultus & diſſidia exinde ſuſcitata ſopiri potuerint, donec perniciosæ diſſenſionis cauſſa in Apoſtolico tribunali diſcuſſa, ac deciſa fuiſſet, ac merito cum præfato Doctore Africano affirmari potuerit: *Literæ Roma venerunt, cauſſa finita eſt, utinam finiretur & error.*

Ceterum hæreticis & impiis nil magis antiquum eſt, quam ut hujus ſupremi judicii auctoritatem eludant, ſuique erroris aut pravitatis obtentum in eo quærant, eoquod hunc ipſum Judicem non modo fallibilem, ſed etiam deceptum, ſiniſtre edoctum, corruptum, aut omnino legitima decidendi poteſtate deſtitutum traducant: ne vero rebelles atque adulterini ejusmodi Filii pertinaciam ſuam ullo prætextu velare aut legitimam cauſſæ ſuæ tuendæ viam ſibi præreptam conqueri valeant, hinc pia Mater Eccleſia eorum imbecillitati condeſcendit, veluti Medicus infirmo ſuo, qui in præſcriptis ordinariis medicamentis nullum ſuo morbo levamen præſtitum queritur,

etiam

etiam extraordinaria, difficilia, & omnino rara adhibere indulget, nec se a tali ægroto velut non bonum Medicum redargui curat, ut ei adhuc reſiduæ medicinæ ſalutisque ſpem faciat: *Ecce* inquit Sanctus Auguſtinus de judicio Romano adverſus Donatiſtas a Miltiade Papa lato, etſi *putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos fuiſſe judices, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſæ Concilium.*

Eadem ferme rerum conditio erat, dum Lutherus ac Calvinus ex orci officina errores hæreſesque jam dudum antea univerſali Eccleſiæ judicio damnatas revocabant, auctaque malitia novas addebant, quibus veluti potentiſſimo veneno innumeras fidelium animas infecerunt, easque ſub ementito libertatis Chriſtianæ obtentu in miſerrimam Diaboli captivitatem redigentes univerſam Eccleſiam reformari eo duntaxat fine poſtulabant, ut rudibus atque incautis Eccleſiam veluti a ſummis Pontificibus deformatam depingere, hocque artificio ſuas ſectas veluti corruptionis antitodum obtrudere, ſuave Chriſti & Eccleſiæ jugum excutere, omnibus cupiditatibus ac carnis illecebris frænum laxare poſſent. Equidem naſcenti huic malo ſummi Pontifices pro muneris ſui ratione paterna prorſus ſollicitudine ſuavia atque ordinaria opponere ſatagebant remedia: be-

nigne enim præcipue Lutherum, ut reſipiſceret, admonebat (*) Leo X. per ipſum Fridericum Saxoniæ Electorem necnon eum per ſui Ordinis Superiores admoneri curabat, amicas diſputationes, ut ipſe cauſſæ ſuæ rationes libere exponere poſſet, inſtituebat, aliorumque Doctorum & Univerſitatum judicia de ejus erroribus pronuntiata eidem opponebat; cum autem hujus ægroti pertinacia faciliora hæc remedia eluderet, acriora adhibere neceſſe erat, ne invaleſcente morbo contagioſo etiam ſana membra inficerentur: quocirca Papa eundem Romam accerſit, ne vero hoc ipſum remedium eidem nimis durum videretur, mox ipſius cauſſam in Germania decidi permittit. (**) Quid ultra facere potuiſſet Pontifex, tanquam Pater, & non fecit? Luthero autem omnem lenitatis viam reſpuente, & eo velut phrenetico Medici manum mordente, atque in omnes, qui aut juſtæ defenſionis aut increpationis paternæ lapides in eum projiciebant, integra calumniarum plauſtra effundente acerbiora tentare remedia oportuit. Ergo Pontifex tanquam Judex illum includi ſollicitat, ut ſaltem carceris pœna ad ſaniora revocari poſſet: nil autem proficiente hac ſeveritate

(*) Hiſt. Eccleſ. contin. Lib. CXXV. §. 84. 77. 79. 81.

(**) §. 77. 78.

te Pontifex illius errores edito diplomate damnat, quod item remedium nec in Eccleſia novum, nec debitæ moderationi adverſum, ſed omni ævo contra obſtinatos a ſummis Pontificibus uſitatum erat: nihilominus Lutherus tanquam canis rabidus ſaxum, quo feriebatur, mordens Bullam unacum Decretalibus ſtupenda temeritate comburit, ac impotentibus furiis in Eccleſiam, Pontificem, Cardinales, Eccleſiaſticos, Principes, Univerſitates, Doctores omnesque, quos ſibi adverſos judicabat, debacchatur: ſpretis igitur omnibus hisce ordinariis remediis quid amplius ſupererat niſi Oecumenicum Concilium: ergo & illud Tridenti celebratur; nec tamen propterea ſanata eſt plaga, imo nunquam rabie magis veſana Lutherus tumultuari viſus eſt, quam dum hoc remedium ab ipſomet expetitum eidem fuerat propinatum: ejus vero exemplum nimia fidelitate poſtea illius Sectatores imitati totam ſuam bilem in hoc Concilium evomebant, atque inter ipſos Pſeudo-Catholicos, impiosque Politicos reperiebantur non pauci, qui hanc Synodum vario ex capite ſuggillare, & de diverſis nævis inſimulare præſumebant. Igitur haud inconſultum fore arbitror, ſi de ejusdem Concilii fatis, quæ tam in ſuo initio, progreſſu, quam exitu atque decretorum executione, & acce-

ptatione tulerat, pro virium mearum tenuitate pauca ediſſeram: ſit igitur

§. I.

De Concilii Tridentini fatis in ſuo exordio.

Itaque ad inchoandum decernendumque hoc Concilium partim Lutheri pertinacia, partim eundem ad veritatis ſemitam reducendi, ac tumultus ſedandi ſpes cauſſam anſamque præbebant: hac ex ratione ipſemet ſummus Pontifex Concilium generale tanquam unicum, ultimum, atque opportunum vel ad frangendam vel domandam pertinaciam medium obtulit, prout ipſemet profitetur in literis ad Franciſcum I. Franciæ Regem die ſecunda Januari anno 1533. datis, *Cum*, inquit, *Sereniſſimum Cæſarem quamquam pro ſua inclyta pietate omnia conatum, tamen in Conventu Auguſtano nihil remedii ad hæreſim Lutheranam in Germania tollendam, præ illorum obſtinatione, afferre potuiſſe audiremus: ſolumque Concilii Generalis remedium a noſtris Prædeceſſoribus in caſu ſimili uſitatum, & ab ipſis Lutheranis poſtulatum ſupereſſe videremus: habita ſuper hoc cum venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus matura deliberatione, ad ipſius Concilii generalis indictionem in Italia, & loco ad hoc commodiore celebrandi devenire inten-*

intendentes, id tuæ Majestati, sicut Cæsari & ceteris Principibus significandum, communicandumque duximus.

Jam antea Pontifex Clemens VII. cum Carolo V. Imperatore de celebrando ejusmodi Concilio Bononiæ anno 1532. agebat: perperam igitur Reverendissimus D. N. sub ementito Justini Febronii nomine cap. 6. §. 15. de Conc. Gen. queritur nimis *tarda ad sistendum impetum media fuisse adhibita: quia dilata per viginti & octo annos adunatio Concilii Tridentini (in cujus prompta convocatione unicum esse potuisset mali remedium) dedit reformatoribus tempus & spatium perversas suas doctrinas disseminandi atque implantandi.* Nonne Lutherus anno 1520. datis ad Leonem X. Papam literis adhuc submissionem spondebat, litemque componendi medium summo Pontifici obtulit his verbis: *In potestate Sanctitatis vestræ jam est, ut litem componat uno verbo, scilicet, si ejus cognitionem in se recipiat, & utrique parti silentium imponat,* Ergo tum Concilium indicere haud opportunum erat, ne Lutherus ejusque sectatores querendi ansam arriperent, caussa nondum dijudicata, iisque plene non auditis adversus eos Concilium fuisse indictum, eosque ibidem damnatos: postquam vero Lutherus insuperhabita ficta hac submissionis specie novos errores in suis libris de Confessione, de libertate Christiana & de

de votis ſparſerat, coactus erat Pontifex juxta uſitatum Eccleſiæ morem ac judicii normam hoſce errores damnare: anno autem 1524, jam agebatur de convocando Concilio, quod Clemens VII. nequaquam declinabat ex metu reformationis, uti J. Febronius ex Continuatore noſtro deſcripſit, ſed ideo, ne aperto ſemel Concilio inquieta quædam ingenia importunam quæſtionem de prærogativa inter Concilium ac Pontificem ſuſcitarent, proin dum ſchiſma compeſcerent, novum inducerent (*) aliunde Pontificis ſtudium in convocanda Synodo *per apparatus* Turcarum primo perturbatum, & deinde per eorum in Hungriam & Germaniam irruptionem prorſus interruptum fuit, ſuſpenſisque propterea omnium Principum Chriſtianorum animis, toto hoc interjecto tempore de ea re ſilere cogegebatur Papa: demum Paulus III. jam anno 1535. Legatos in Germaniam ad Principes Catholicos & Proteſtantes necnon in Franciam pro celebranda Synodo ablegabat: qua ergo ratione hoc remedium nimis tarde adhibitum, ac Synodi negotium per viginti & octo annos dilatum, aſſeri poteſt?

Nunc ad hujus Synodi auſpicia redeamus, quæ ſane proſpera credebantur, eoquod

(*) Hiſt. Eccl. Lib. CXXIX. §. 32.

eoquod illam Pontifex juſtiſſimo ex fine deſideraſſet, *ut melius, atque commodius, quæ ad integritatem, & veritatem chriſtianæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe tam Principum, quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertinent, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum, & infidelium, quibus illi univerſam chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dicto ſacro Oecumenico Concilio, & conſpirante omnium charitate conſuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum, & quam optime poſſint.*

(*) Inſuper proſperum ſucceſſum pollicebantur ipſius Imperatoris, Regis Chriſtianiſſimi aliorumque Catholicorum Principum hanc Synodum inchoari exoptantium vota: imo ipſimet Proteſtantes Concilii generalis opem implorare audiebantur: quis ergo tum dubitaſſet, quin hi nil niſi de veritate edoceri, agnitoque errore ad Eccleſiæ ſinum reverti poſtulent? attamen longe alia erat horum ſententia; cum enim Concilii generalis convocandi difficultatem ſatis probe cognoſcerent, illudque

(*) Indictionis diploma undecimo Kal. Nov. anno 1542.

ludque vel unquam haberi posse minime crederent, studiose Pontificem primo de dilato hoc remedio accusantes importunius adversus ipsum Papam Concilium Generale petebant, spe freti, quod interea specioso hoc prætextu tuti, quæcunque scelera & flagitia summis Pontificibus, Ecclesiasticis omnibusque ab eorum secta alienis affingendi libido dictabat, impune spargere, eosque tanquam unicos corrupti Ecclesiæ status, atque adulteratæ Religionis Auctores apud omnes Christiani Orbis Nationes traducere valerent, interim tamen ipsi nequaquam veluti juratissimi Ecclesiæ hostes, sed Christianæ libertatis, pietatis, fideique zelo ac Reformationis studio accensi crederentur-

Quamprimum autem reipsa a Paulo III. Pontifice Concilium generale indictum compererant, mox simulatum suum Concilii Oecumenici desiderium fuisse elusum dolentes ad fallendum parati atque ad mentiendum proclives in aliis technis tuendæ suæ pertinaciæ opem quærebant, quin tamen fallax eorum animus Catholicos probosque viros lateret; cunctis enim satis perspectum erat, quod haud sincero animo legitimum ac pro veteri more celebrandum Concilium exoptent; cum enim eorum Protoparens Lutherus ipsorum Genera-

(*) Hist. Fleurii cont. l. CXXVII. §. 11. & 12

neralium Conciliorum & præcipue Conſtantienſis auctoritatem jam anno 1521. impugnaſſet, ejusque aſſeclæ in variis colloquiis potius inter ſe ipſos quam cum Catholicis in rebus fidei decertarent, ac diſſentirent, haud temere conjiciebatur, illos contra ipſum Concilium, quod tantopere expetiere, declamaturos, & nequaquam concordiam aut Eccleſiæ unionem, ſed ſectæ ſuæ impunitatem libertatemque poſtulaturos. Eapropter omnes conditiones utut æquiſſimas, ſub quibus hoc Concilium celebraretur, ſibi tam a Pontifice quam a Cæſare propoſitas variis artibus, dolisque eludebant, & quamvis omnes Principes, quamprimum Proteſtantes fuerint auditi, parendum eſſe Concilio decreviſſent, atque Imperatore ſuæ curæ ac fidei hoc negotium comiti petente, omnes, ſolo excepto Saxoniæ Duce, etiam Urbes Imperiales aſſenſiſſent, atque omnibus Concilii Tridentini decretis obtemperandum ſtatuiſſent, rurſus tamen promiſſam hanc ſubmiſſionem frivolo effugio eludebant, cum Mauritii Legatis aperte declarantes, nunquam ſuæ mentis fuiſſe, ſubjicere ſe Concilio Tridentino, niſi ſub conditione, quod Theologi Confeſſionis Auguſtanæ gaudeant ibi jure ſuffragii, & Pontifex non præſideat: quinimo bellum adverſus Cæſarem parant, atque in illum Principes, fœderatasque urbes, & Franciæ Regem concitant, hoc

uſi

usi prætextu, quod Imperator illorum conscientiis vim inferre, eosque jugo Pontificis & Concilii subjicere moliretur: nec his contenti apertum bellum Concilio Tridentino denuntiant edito libello, cui titulus: *Protestatio adversus Concilium Tridentinum*, ubi suum ab hoc Concilio alienum animum his verbis manifestabant: *Profitemur ac protestamur nos adhærere, ac semper adhæsisse protestationi & appellationi Reverendi Patris D. Lutheri ab injustissimo, violentissimoque judicio Pontificis, ac omnium ejus factionis Judicum, ad LIBERUM, CHRISTIANUM, LEGITIMUM, ac in Spiritu Sancto congregatum Concilium: Hic processus*, prosequitur præfati libri Auctor, *protestatio & appellatio fuit postea, unanimiter, ac multoties a nostris Ecclesiis renovatus, & in aliquot etiam Imperialibus conventibus ab omnibus statibus comprobatus.*

Attamen si Protestantes liberum, Christianum & legitimum in Germania Concilium petunt, cur Tridentinum rejiciunt? nonne ejusmodi Concilium liberum, Christianum, & legitimum eis obtulit Paulus III. Pontifex? verum ipsemet Lutherus in suo diabolico tractatu *adversus Papatum Romæ a Sathana fundatum* anno 1544. edito de summo Pontifice Paulo III, quem novus hic Evangelista pro apostolica sua modestia, omnium sceleratissimum, insignem præstigiatorem, propudiosum Nebulonem, ster-

ſtercus equinum &c appellat, queritur, quod hæc verba ſiniſtra interpretatione corruperit; ait enim Lutherus *liberum ſonat in lingua latina, quod Germani dicunt* frey? *hoc eſt, quod in Concilio linguæ & aures liberæ debeant eſſe, quo unusquisque, præcipue vero quibus ad loquendum, audiendum, ac tractandum poteſtas data eſt, libere poſſint in medium proferre, conqueri, & reſpondere, quicquid ad emendationem Eccleſiæ conducere poteſt, & ſcandala, & abuſus ex eadem tollere: ita intellexerunt, & etiamnum intelligunt Germani ac ſtatus imperii? inprimis autem, ut verbum Domini, vel ſacra Scriptura libere, nulloque modo impedita (ut fieri opus eſt) ſuum curſum & jus teneat, ſecundum quem omnia judicari, & ordinari debent, quapropter oportet eximios Theologos ibi eſſe, qui longo uſu, & exercitatione diutina, ſcripturæ intellectum conſecuti ſunt. Hoc igitur liberum vocatur, ubi Concilium liberum, & Scriptura, hoc eſt Spiritus Sanctus liber eſt, At Romana, id eſt, ſchola illa nebulonum, & ejus Magiſter, pervertunt, & adulterant verbum iſtud hoc pacto, quod ſcilicet liberum ſic intelligi debeat, ut ipſe Magiſter, & ejus Sycophantica Schola libera ſit, nullius accuſetur, nihil ſuarum rerum immutetur, verum omnis eorum ratio vivendi, qua hodierno die utuntur, confirmetur, ut ſcilicet Papa contra Concilium & non Concilium contra Papam liberum ſit, & hæc eſt antiqua cantilena Pa-*

pœ in omnibus excretis & excretalibus, Decretis, inquam, & decretalibus. Nempe quod ipſe eſſe debeat Dominus, & judex ſupra Concilium, & non Concilium ſupra Papam, quod Papa poteſtatem habeat condemnandi, extinquendi, annihilandi, ſi quid forte a Concilio adverſus ipſum decretum fuerit, & concluſum. Imo Papæ propitiabilis (ſi Diis placet) dignitas, num ſibi probetur prius interroganda eſt, quam quicquam ſtatuatur.

Juxta hanc magni Corvi vocem pariter ceteri graculi illius pulli crocitare dicerant, qui omnem furorem, rabiem, omnemque, quo per Magiſtri ſui diſciplinam probe inſtructi erant, maledicæ eloquentiæ apparatum effuderunt in ipſum Concilium Tridentinum, eoquod haud alia ratione judicem, ad quem ipſimet appellarunt, amplius declinare poſſent: quapropter tam iniquas proponebant conditiones, ut iis acceptatis jam ante Concilium ipſorum ſecta approbata, & Religio Catholica penitus everſa fuiſſet, proin ipſum Concilium duntaxat ex parte Proteſtantium fuiſſet liberum, nulla autem ex parte Chriſtianum ac legitimum. Propoſuit quidem illis Clemens VII: conditiones, quæ ſane nulli moleſtæ, nec difficiles, ſed omnino æquæ ac honeſtæ erant. (*) Hi autem rejectis

(*) Hiſt. Fleury continuata Lib. CXXXIV. §. 70. 71.

rejectis hiſce conditionibus primo requirebant, ut antequam fiat Synodus, irritentur omnia acta Concilii Tridentini. Secundo, ut Concilium fiat in Germania: tertio, ut Pontifex Romanus non indicat Concilium, nec ei præſit, ſed ſit altera pars litigantium: quandoquidem ipſe eſt, qui accuſatur, & nemo debet ſimul eſſe judex, & pars. Quarto, ut ex ſola Scriptura divina Sententiæ ferantur, non ex traditionibus, vel Canonibus. Quinto, ut deciſio non fiat penes ſuffragiorum pluralitatem, ſed ut juxta normam verbi divini pronuntietur. Sexto, ut Romanus Pontifex abſolvat omnes Prælatos a juramento fidelitatis, quo ei obſtricti ſunt. Septimo, ut Theologi Principum ac Statuum Confeſſionis Auguſtanæ, non minus, quam Epiſcopi in Concilio Sententias, ac voces deciſivas proferre permittantur. Octavo, ut detur Salvus conductus ab Imperatore, non ſolum perſonis, ſed etiam ipſi cauſſæ principali: id eſt, ut nec perſonæ poſſint puniri, ſi nolint Concilio aſſentiri, nec fides & Confeſſio Lutheranorum poſſit damnari, etiamſi Theologi Lutherani eam defendere non potuerint.

Verum quid iniquius prima hac conditione: num æqua foret petitio illius, qui antequam ſui adverſarii cauſſa in foro profano diſcutiatur, acta in ejus favorem inſtructa damnari atque irritari peteret:

equidem Proteſtantes acta Concilii Tridentini damnarunt, in nullo tamen legitimo judicio, niſi id omne & unicum eſſe legitimum reputent, quod ipſi contra Catholicos attentant: enimvero Concilium Epheſinum II. Utpote a Schismaticis conflatum, damnatum eſt, ſed nonniſi in legitimo Concilio Chalcedonenſi, inſuper nec Conſtantinopolitanum contra ſacras imagines coactum tanquam irritum habebatur, donec in Synodo ſeptima legitime fuiſſet damnatum: qua ergo fronte Concilium Tridentinum, etſi damnandum eſſet, ante Synodi judicium irritari petunt? cur illud non in alia legitima Synodo examinari ac judicari permittunt, niſi quia in quocunque legitimo tribunali a Concilio ſe ſuamque doctrinam damnatum iri prævideren.

Altera eorum petitio niſi captioſe ex perverſo eorum animo facta fuiſſet, tolerari potuiſſet: hi autem Concilium in Germania, non vero in Italia ideo celebrari poſtulabant, quia ibidem Catholicos prævalere cauſſabantur: attamen nonne eodem jure Catholici, ne Synodus in Germania haberetur, poſtulare potuiſſent, quia ibi prævalebant hæretici: Quam autem querendi cauſſam obtendere valent Proteſtantes, dum Tridentum, quæ urbs erat in finibus Germaniæ, Galliæ & Italiæ ſita, & nequaquam

quam Pontificis sed Cæsaris imperio obnoxia, Germanis commoda, ceterisque Nationibus non suspecta, seligebatur: præterea incognitum in Ecclesia est Privilegium, quo Protestantes in Germania Concilium celebrari ideo postulant, quia ibidem hæresis eorum nata est; fidei enim quæstiones a privatis particularium caussis vel sceleribus, quæ per testes in loco delicti facilius conquirendos probari debent, longe diversæ sunt; quippe Religionis controversiæ ad universam spectant Ecclesiam, quæ propterea universi omnium Nationum Præsules non semper in loco delicti, sed ubi id ex Præsulum consensu, ac Principum beneplacito magis commodum videtur, convocat: hinc quæstio de legalibus quidem Antiochiæ fuit exorta, non tamen ibi, sed Jerosolymæ act. 15. decisa: Arii quoque hæresis sua incunabula habuit Alexandriæ, Nicææ tamen in Bithynia fuit damnata: Nestoriana pestis Constantinopoli invalescebat, Ephesi autem in Concilio fuit eliminata: Eutyches suum venenum Constantinopoli, Donatistæ in Africa, Iconoclastæ itidem Constantinopoli excoquebant, & tamen alibi in variis Conciliis omnes hæ hæreses fuerunt diris devotæ. Denique præter plures alias fidei quæstiones, schismata, & hæreses in aliis Regionibus exortæ a summis Pontificibus Romæ damnabantur, pluresque hæretici, qui nequaquam in Italia,

ſed in remotiſſimis Occidentis regionibus perverſæ ſuæ doctrinæ virus ſparſerunt, omni ævo Romæ proſcribebantur: Nonne ipſimet Principes Germani in Spirenſi conventu anno 1542. in Tridentinam urbem conſenſere, & ne ullus quidem ejusmodi Concilium fors Wittembergæ celebrari, ut ibidem Lutherus ei præeſſet, poſtulare audebat, quod ſane perinde fuiſſet, acſi Ariani poſtulaſſent, Synodum, cui Arius præſideret, Alexandriæ congregari, ut illic lites judicentur, ubi exortæ ſunt: mera ergo hæc erat Proteſtantium cavillatio, qua Synodi legitimæ judicium effugere ſatagebant.

Tertia vero conditio ab eis propoſita ceteris non minus iniqua eſt; quis enim Proteſtantibus hodie natis poteſtatem, auctoritatemque tribuit, ut Romanum Pontificem a ſuo Concilia indicendi jure, quo per MD. annos pacifice potiebatur privare potuerint, quin prius is hoc jure excidiſſe legitime convincatur: num forte Rex Regia ſua poteſtate & Regni comitia indicendi jure excidit, ex eo, quod quidam rebelles ejus ſubditi ipſum eſſe intruſum, tyrannum, Regni uſurpatorem, atque everſorem proclament, ipſi vero ſe quietis publicæ ſtudioſos, ac Regni Reformatores jactitent? Ergone Rex rebellium ſuorum ſubditorum querelas in ejusmodi comitiis diſcutiendi jure per illorum ſeditionem privatus exiſtit, & ejusmodi Senatui

tui præeſſe nequit, ne in eadem, ſuaquè cauſſa Judicis & partis perſonam ſimul agere videatur. Hæc ſanè Proteſtantes ſatis probe inſpexerant, nihilominus velut mancipia Martino ſuo Luthero præcinenti tyrannica prorſus ſervitute ancillari decreverant, unde potius proprio ſuo judicio vim inferre, quam ſeſe Concilii Tridentini judicio ſubjicere maluerunt; ut enim eorum Magiſter idem Concilium minime eſſe Chriſtianum ſuis aſſeclis perſuaderet, in nefando ſuo tractatu nuper allegato ita ajebat: *Papa id cum Lerna ſua infernali probe olfecit; non enim Rheumatica fluxione laborabat, ſed ſumpto Helleboro Rheumatismum ſibi produxit, & adulteravit, ut iſtud verbum Chriſtianum nihil aliud ſignificet, quam Papale, & quicquid ejus ſceleſta, cæleſtis inquam ſanctitas ſimul cum ſycophantica ſua Schola (ah parcat mihi Deus, tantum non dixiſſem cum Eccleſia ſua ſancta) Romæ dijudicat, atque concludit, quicquid autem contra proponitur, aut ſtatuitur, id Antichriſtianum, & hæreticum cenſeri debet, exempli gratia, ſi forte Concilium ſtatuere velit, Communionem utriusque ſpeciei in Sacramento Euchariſtiæ debere eſſe liberam (quemadmodum hæretici contendunt) iſtud per Concilium ex præſcripto principis ſui Papæ damnari debet. Etſi aliquibus eſſet animus iſtiusmodi in Concilio proponere, ii tanquam hæretici in Concilium admitti non debent, quemadmodum ſceleſtiſſimus*

inquam Pater Imperatori ſcribit: Hæretici nullum habebunt locum in Concilio, neque ſortem cum Eccleſia ſancta. Protervius adhuc, magisque mendaciter l. c. Pontifici affingit, perinde acſi Concilia indicendi poteſtate carens, nihilominus ceteros omnes ad cæcum obſequium velut muta animantia compelleret: audite hæc ejusdem veſtri puriſſimi Magiſtri verba, niſi forte honeſtas potius aures occludere naresque, ne fœtidum hoc os olfaciant, obturare ſuadeat: ita ergo novus hic Propheta intonat: *cur penes Imperatorem non debet eſſe jus ſaltem aliquot nominandi, qui Concilio interſint, cum ad quatuor ſumma illa Concilia, Nizænum, Chalcedonicum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, non Papæ (cum illis temporibus nomen Papæ adhuc inauditum erat) non Epiſcopi, ſed ſoli Imperatores, Conſtantinus Theodoſius, Theodoſius junior, Martianus Epiſcopos congregarunt, vocarunt, & nominaverunt, ut Concilio adeſſent, ſed & ipſimet interfuerunt. Eſto (reſpondebunt) ſed nos poſthac in noſtris Decretalibus ſtatuimus, nempe quod ſolius Papæ ſit convocare Concilia, & perſonas nominare: amabo, verumne eſt? ſed a quo jus habetis iſthæc ſtatuendi? tace tu hæretice, quicquid ſemel ex ore noſtro profertur, ſervandum eſt. Audio, ſed quod os hic intelligis? num per quod ventris crepitus deflare ſoles; iſtos tibi ſervandos relinquo, vel per quod dulce illud vinum Corſi-*

cum

cum influit? in illud canis alvum dejiciat. Apage ſis ſcelerate Luthere, ſicne Pontifici loqueris? Apagete viciſſim vos impii, deſperatique nebulones, & rudes aſini, talesne cum Imperatore, & Statibus imperii ſermones habetis? audetisne quatuor illa ſumma Concilia, cum quatuor illis Chriſtianiſſimis, ac potentiſſimis Imperatoribus contemnere, & conſcelerare, ob crepitus, & excretales (volui dicere decretales) veſtros.

Ex hiſce Lutheri calumniis ejusdem Filii ſua arma contra Tridentinum Concilium deprompſerunt, Pontificem ad Synodum ex ſuis conflatam advocantes, ut hic tanquam pars ſuam cauſſam defenderet, ab ipſis de multis fidei puriorisque diſciplinæ corruptelis falſo accuſatus; attamen in eo Concilio, quod Imperator ſpondebat, & tum neceſſarium judicabatur, non actum erat de privata Pontificis, ſed de communi Religionis atque Eccleſiæ cauſſa, cujus ſummus Pontifex non modo pars, ſed præcipue ſupremum caput, Paſtor Univerſalis, defenſor & cuſtos extitit: nullo autem ævo aliorum hæreticorum petulantia eo excreverat, ut v. g. Ariani, Eutychiani, Donaſtitæ vel alii hæretici illa Concilia, in quibus damnati fuere, tanquam nulla traduxiſſent, eoquod illis Pontifex interfuiſſet, ſimulque Partis & Judicis vices egiſſet

Num vero propter frivolam adeo cavillationem ſummus Pontifex a ſua poſſeſſione ſacris literis aſſerta & tot ſæculorum uſu confirmata deturbari potuit? Num fidei judex eſſe deſiit, eoquod alii cum ipſo de fidei veritate litigarint? an forte Princeps profanus ac ſupremus deſinit eſſe Judex in publica regni cauſſa, eoquod rebelles ejusdem ſubditi illum de ſolio atque auctoritate deturbare moliuntur? Si vero in communi fidei cauſſa tum Romanus Pontifex Concilio præſens Judex eſſe non potuit, quis ergo alius Judicis perſonam tunc ſuſtinere debuiſſet? num forte ipſimet Proteſtantes? attamen hi partis perſonam agebant, utpote accuſati atque ob hæreſin in jus vocati: num Imperator, Reges & Principes? aſt hi vel erant hæretici, & tum ipſimet rurſus judices & partes fuiſſent; vel erant Catholici, & tunc adverſus eos denuo objicere potuiſſent hæretici, quod partium ſtudio abrepti, cumque res illorum ageretur, Judicum & partium Perſonam ſuſtinere non poſſent: nec aliunde primis Eccleſiæ temporibus auditum eſt, quod Principes fidei Catholicæ controverſias dirimendi jus ſibi arrogarint; notum eſt exemplum Valentiniani, Theodoſii, Honorii aliorumque Imperatorum, qui ſibi utpote Laicis Eccleſiæ negotiis ſeſe interponere haud licitum fore profitebantur.

Imme-

Immerito etiam Lutherus ejusque sequaces Pontificem a Synodo excludebant, ac Concilium rejiciebant, caussati, quod quicquid Pontifex decreturus esset, ceteri omnes cæca obsequendi necessitate adoptare tenerentur; quippe ipse summus Pontifex Paulus III. jam ad Synodi initium tribus suis Legatis inter alia mandata præcipiebat, ut libenter audiant, quæ adversus Romanam Aulam objicerentur, & Patrum, Nationumque Consilia exciperent, ac desuper ad summum Pontificem referrent, ut is opportune remedium adhiberet, prout decreverat, imo & Reformationi initium fecerat ab ipsa sua Curia, prout etiam præstitit Pius IV. qui edito hanc in rem diplomate omnia, quæ a Protestantibus objiciebantur, correxit, atque in cunctis tribunalibus Romanis, Cancellaria, Rota, Dataria, Palatio Apostolico circa gratiarum, Privilegiorum atque Indulgentiarum distributiones emendavit. Nonne etiam Pontifices cuncta, quibus palam proferendi libertas imminui videbatur, aufferebant obstacula: præprimis Paulus III. sententias, non Auctores esse damnandos præcepit, ut singulis Synodum adeundi, se purgandi, suamque mentem aperiendi libertas esset. Demum idem Pontifex Concilio libertatem concessit, ut tribunalia etiam Romana Curiamque reformare, cunctaque statuere possent, quæ ad

Eccle-

Ecclesiæ reformationem opportuna crederent. Pius IV. etiam Indicem prohibitorum librorum publicari noluit, ne exinde Protestantes irritarentur.

Insuper quanta libertate in hoc Concilio suas quisque sententias etiam in Pontificum, Cardinalium, Nuntiorum caussa, electionibus &c. pronuntiaverint, ex ipsis hujus Synodi actis præcipue Sessione XXIII. necnon ex ipsa Synodi declaratione circa particulam: *Proponentibus Legatis* elucet, adeo, ut Natalis Alexandre Hist. Eccles. Sæcul. XVI. art. 14, 14. n. 11. hæc addat. *qua declaratione Imperatori, & Principum Oratoribus factum est satis, & Patrum, Oratorumque libertati, quæ in hac Synodo maxima fuerat, in futuris Conciliis prospectum est, ut quemadmodum Tridenti, hac particula non obstante, a proponendi jure omnino excluſi non fuerant, ita in Synodis deinceps celebrandis ab eo jure non excluderentur, servato tamen Ordine a Sacris Canonibus. & forma Generalium Synodorum præscripta.*

Perlegantur etiam cuncta Synodi decreta, & ne unicum quidem reperietur, quod in privatam Pontificum rem, commodum, vel suæ auctoritatis incrementum cederet, multa vero reperientur, ipso summi Pontificis beneplacito firmata, quibus ejusdem proventus, atque auctoritatis amplitudo fuit restricta, quapropter etsi longe potissima Patrum pars, exceptis paucis Gal-

Gallis, Romani Pontificis prærogativam supra Concilium decerni peterent, nihilominus Papa hujus quæstionis decisionem novo decreto firmari noluit, ne propriam suam causſam promoviſſe, aut Synodo libertatem aliquantum imminuiſſe videretur. Equidem abſente Pontifice ejus Legati proponenda, ut confuſio evitaretur, proponebant, relicta tamen ſingulis ſuas ſententias edicendi libertate: id quoque in Epheſina, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitana III, Nicæna II, aliisque Oecumenicis Conciliis obſervatum, ubi Pontificis Legati argumenta proponebant: plura etiam ipſi Patres, Principum Oratores, & Theologi libere ſuggerebant ac poſtulabant, quæ ibidem in deliberationem fuere vocati: ſi vero Proteſtantes in hac Synodo nihil propoſuere, non ademptæ libertati, ſed eorum imputandum pertinaciæ, qua etſi ſæpius ac per Legatos ſpecialius undequaque miſſos vocati & invitati, adeſſe renuerunt, etiamſi ipſis publico atque ampliſſimæ ſecuritatis literæ, necnon *ad objecta Concilii Generalis reſpondendi, & cum iis, qui in Concilio delecti fuerint, diſputandi* pleniſſima libertas fuiſſet data: unde frivola erat ea cavillatio Proteſtantium, qui hæc verba: *quoad ſe pertinet*, captioſa fuiſſe opponebant; num enim Synodus majorem, quam in ipſa erat, ſecuritatem, libertatem, impunitatemque ſpondere potuit? Ergone ſi quis crimen, cujus puniendi

niendi jus ad Cæſarem pertinuiſſet, a quodam hæretico fuiſſet perpetratum, Synodus Cæſaris vel alterius Principis juri ſua datæ ſecuritatis ſponſione derogare valuiſſet? nonne magis ridiculum erat, quod impunitatem non ſolum perſonis, ſed ipſi etiam cauſſæ principali ſponderi petierint, perinde ac ſi poſtulaſſent, ut ipſis ſuam ſectam, priusquam diſcuteretur, diſſeminandi, alios a vera fide avertendi, Papam calumniis, Eccleſiaſticos moleſtiis vexandi, bona diripiendi, direpta uſurpandi ac retinendi daretur facultas. Nonne omnem ipſis metum facile adimere potuiſſet ſingularis illa benignitas, qua a Carolo Cæſare fuere excepti, qui eisdem ſpiræ ann. 1544. (excluſo Pontificis Legato) multa indulſerat, ac ferme ad æqualitatem jurium redegerat Catholicam & Lutheranam Religionem? quanto rurſus honore ac lenitate Tridenti a Patribus excipiebantur Electoris Brandenburgici, Wirtembergæ Ducis, Argentinæ aliarumque urbium Oratores, necnon Mauritii Electoris Legati? Denique magis inſulſe ſententias ex ſola Scriptura Sacra decidi petebant Proteſtantes, cum in ipſis hujus Synodi decretis jam antea deciſum noſſent, traditiones Apoſtolicas eſſe admittendas ac inſuper ſi Sacras Scripturas ſcrutati fuiſſent, diſertis verbis traditiones eſſe tenendas legiſſent: cur autem in Tridentino ſimul ex traditionibus fidei contro-

troverſias decidi noluerunt, cum tamen antiquiora Oecumenica Concilia frequenter ſacris traditionibus uſa fuerint, atque ipſimet Proteſtantes, dum in Polonia & alibi contra ſuos adverſarios diſputabant, proprio experimento edocti fuerint, quod utraque parte ſcripturarum teſtimonia proferente ipſi re infecta non ſine pudore diſcedere coacti fuerint (*). Inſuper nimis arroganter Proteſtantes ſibi ſuffragii deciſivi jus vendicare nitebantur, cum tamen ipſi tanquam rei, atque accuſati unice partium perſonam agere potuerint, aliunde vero nequidem Parochis & privatis Catholicorum Doctoribus ejusmodi jus in Conciliis Oecumenicis unquam fuerit attributum: ubi enim vel unquam legitur, quod præter Epiſcopos ullis, ac præcipue hæreticis, v. g. Arianis, Neſtorianis &c. ſuffragium deciſivum fuerit conceſſum? Haud denique immoror ineptæ eorum petitioni, qua omnes Præſules a fidei juramento, quo Romano Pontifici obſtricti ſunt, abſolvi poſtulabant; vel enim Romanus Pontifex legitimus Præſulum Superior tum adhuc erat, vel non? ſi non erat, prius in legitimo Concilio ac tribunali comprobatum reddere debuiſſent, quod exorto Luthero Papa ſupremi Eccleſiæ Superioris prærogativa, qua per

(*) Hiſt. Fleury contin. lib. CLXIX. §. 61. & 62. & lib. CLXVIII. §. 110.

per MD annos in universali Ecclesia quiete fruebatur, exciderit, vel eum sua dignitate legitima via exuere, exutumque declarare debuissent, audita etiam adversa parte: si vero adhuc fuit legitimus Praesulum Superior, tunc prorsus inique postulabant, subditos ab obedientia superioris sui absolvi, cum Apostolus etiam discolis praepositis obediri praecipiat: nonne iniquum foret, si exorta quadam controversia in comitiis agitanda postularent, ut Imperator Imperii Principes a juramento fidelitatis sibi praestito absolveret? Num forte Praesules jurata fide Pontifici spondere cogebantur, quod contra suam conscientiam & libertatem in Concilio tacere, veritatem negare aut dissimulare velint, vel quod abusus in Ecclesia irrepentes emendari, ac Pontificem, si culpa vel vitio notatus deprehenderetur, monere nolint? certe cum Pontifex semetipsum prae ceteris ad sui emendationem obtulerit, cunctaque, quae Patres ad emendationem opportuna censuerint, proferendi libertatem singulis saepius dederit, Protestantes nequaquam praesumere poterant, quod tam iniqua sponsione Praesules suam Pontifici fidem obstrictam haberent: imo ipsis haereticis satis notum erat, quod Praesules duntaxat jurata fide obedire teneantur Pontifici in iis, quae ipse secundum Deum & Sacros Canones jubere potest, hoc autem juramentum

tum non tollit Episcoporum libertatem, quæ in Concilio necessaria est.

Ex his igitur manifeste patet, quod Protestantes non nisi fallaciter Concilii celebrationem expetierint, illudque re ipsa totis viribus præpedire studuerint: unde cum majori sinceritate egissent, si aperte cum suo Luthero dixissent: nolumus Concilium aliud, nisi illud, in quo nos soli Ecclesiam Christi evertere, Catholicos opprimere, Pontificem sua auctoritate, & Ecclesiasticos bonis suis exuere, sectamque nostram libere diffundere possumus: hæc est ipsamet loquela Magistri sui, quinti, si Superis placet, Evangelistæ, qui l. c. de hujus Concilii celebratione mentem suam modestissimis hisce verbis exponit: *consultius foret, si Imperator, & Status imperii permitterent, sceleratos illos nebulones una cum Sycophantis, & Lerna execrabili illius Sathanæ Romani, perpetuo ad ipsum Sathanam properare, quando nulla spes alicujus boni ab ipsis consequendi reliqua est, alia arte opus est, Conciliis, ut videmus, nihil perficitur. Nam insani illi stulti sibi persuaserunt, nos summopere cupere Concilium, perinde ac si absque eorum Concilio, & auctoritate christiani nihil agere possint, proinde nostrum esse, eorum ambire gratiam, ut in æternum habeant materiam nos naso subdolæ irrisionis suspendere. At nos hujus sententiæ non sumus, & ego Deo propitio, illis aliam cantilenam cantabo,*

ſi detrectant Concilium, per nos quidem eis licebit, nos nullo opus habemus Concilio, & ſi ob id nobis iraſcuntur, age, facimus eis jus concacandi fœmoralia, & a collo ſuſpendendi, & hoc eſſet bulla amaricini, & oſculum pacis pro id genus delicatis ſanctulis. Deus indignos eos judicat, qui vitam emendent, aut aliquid boni faciant, traditi ſunt in reprobam mentem. Quamvis autem Tridentina Synodus jam a principio tam ſiniſtro fato propter crebras oppoſitiones exponi videretur, atque a Sectatoribus impugnata, convitiis lacerata, doloſis effugiis declinata atque eluſa fuerit, imo etiam ob bellum Gallicum & Turcicum illam differre oportuerit, nihilominus ſicut ſincero veram fidem ſtabiliendi, ab hæreſum fæce expurgandi, tumultus reſtituta unione ſedandi animo a ſummo Pontifice, Imperatore, Præſulibus, Principibus aliisque Catholicis ardenter fuit exoptata, ita etiam adſpirante Sancti Spiritus afflatu feliciter utiliterque fuit inchoata, ringentibus licet inferi portis.

§. II.

De Concilii Tridentini fatis in ſuo progreſſu.

Poſtquam igitur in decem omnino Seſſionibus cum ingenti animorum conſenſu, ac immoto religionis ac reformationis ſtudio fides Catholica circa Scripturam Sacram

cram, originale peccatum, juſtificationem, & Sacramenta fuerat roborata, necnon ſaluberrimis decretis varia circa emendationem ſtabilita, anno 1547 tum propter morbum Tridenti graſſantem, tum propter imminentes belli Smalcaldici tumultus Synodum prorogare decernebatur; interim Proteſtantes ac Smalcaldici fœderati proſperum Tridentini Concilii initium indignantes, cum vererentur, ne Cæſar eos ad illud amplectendum cogeret, jam anno 1546. in ſuo Francofordienſi Conventu ſeſe ſaltem ſecundis hujus Synodi progreſſibus opponere ſtatuebant, non jam ſuæ ſectæ articulos examinari petentes, ſed in id unice intenti, ut plenam novi ſui inventi libertatem Mahometanorum more armis extorquerent: inſuper, ne a Cameræ Imperialis judicio tanquam Deo, Eccleſiæ & Cæſari perduelles plecti poſſent, hujus tribunalis auctoritatem labefactare, ac ex ſuæ ſectæ fautoribus aliquos Judices intrudere moliebantur: cum vero antea ſæpius jactitaſſent, quod cuilibet poſcenti novæ ſuæ doctrinæ rationem reddere parati eſſent, in Ratisbonenſi colloquio a Cæſare indicto in arenam contra Catholicos deſcendere tentabant: aſt Bucero varia contra Proteſtantium voluntatem concedere coacto, quatuor illorum Pugiles propudioſa fuga diſputationis aciem Catholicis Victoribus relinquere compellebantur, nec minori ignominia Pro-

teſtantes jam bina victoria a Cæſare debellati ſeſe ejusdem arbitrio permittere, ac Concilio Tridentino parendum eſſe, in Auguſtanis comitiis decernere cogebantur. Tum ergo Caroli V. Cæſaris, quem Proteſtantes Imperii Principes non ſine atroci injuria nonniſi *Carolum Gandavenſem* appellitabant, opera de Concilio Bononia Tridentum revocando agebatur, & quamvis per quatuor omnino annos hoc Concilium fuiſſet ſuſpenſum, Julio tamen tertio regnante in Seſſione XI. illud iterum Tridenti eſſe continuandum ſanciebatur. Poſtea in Seſſione XIII. dogmata de Sacramento Euchariſtiæ ex Sacris literis fuere corrobata, in ſequentibus vero ſeſſionibus de Pœnitentia atque extrema unctione actum, ſimulque tredecim reformationis decreta edebantur: demum vero rurſus invitabantur Proteſtantes Theologi, fruſtra tamen expectati, etiamſi illis idonea ſecuritatis cautio facta fuiſſet: anno autem 1552. Mauritius Elector bellum adverſus Imperatorem ſuum, necnon contra ipſum Concilium movere aggrediebatur, ut Lutheranos a Papæ, Concilii & Cæſaris obedientia vi illata exſolveret, novamque Sectam in Romano Imperio ſtabiliret: unde non modo improviſum hoc bellum, ſed etiam tranſactio Paſſavienſis metu vique extorta proſperos Tridentinæ Synodi progreſſus, iniquiſſimo fato retardabant, adeo,

ut

ut Concilii ſuſpenſionem anno 1552. decernere oporteret, quæ etiam ſuſpenſio partim ob bellum Cæſarem inter, & Henricum II. Franciæ Regem, partim ob Julii III. & Marcelli II. & Pauli IV. obitum opinione diutius tenuit: propitio autem fato poſtea Ferdinandus in Cæſarem coronatus, & Pius IV. ad Divi Petri Cathedram evectus eſt, ubi ambo hi veræ fidei pugiles Synodi progreſſum promovere, ſublatisque diſſidiis Eccleſiæ pacem revocare unice intenti erant: quapropter hic idem Pontifex anno 1560. hoc Concilium eſſe continuandum edito diplomate declarabat: nec tamen propterea quievere Proteſtantes, qui Synodum continuari dolentes, quid agendum eſſet, anno 1561. Naumburgi conſultabant, aliis cenſentibus, quod unaomnes Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcribere deberent, ne ob ſua in religione diſſidia Catholicorum in una fide per tot ſæcula conjunctorum contemptui ſeſe ulterius exponerent: aliis vero huic conſilio ſeſe opponentibus, iterum re infecta diſceſſum eſt, prout in omnibus ferme hæreticorum conventibus factum legimus: ne vero excuſationem obtendere poſſent, denuo a Pio IV. Pontifice & Cæſare humaniter ad Synodum invitabantur, ſed illi Concilium reſpuebant, cum in ſuo ſenſu potius abundare, quam Matris ſuæ voci obtemperare mallent.

Præterea circa annum 1562. Concilii progreſſum recens exorta Calvini hæreſis turbare videbatur: prævalente tamen Spiritus Sancti gratia, ac proborum zelo continuanda Synodi celebratio decernebatur, quamvis inimicus homo nova rurſus obſtacula opponeret, ſuſcitata diſſenſione dubitantium, an hoc Concilium eſſe continuatum vel potius de novo indictum diceretur: ubi ſimul etiam aliæ lites, difficultates, & impedimenta a Principum Oratoribus, aliisque de honoris, ſedisque prærogativa, necnon de Calicis uſu opponebantur, quibus tamen omnibus compoſitis, ac Proteſtantibus rurſus ad Synodum vocatis in Seſſione XXI. de communione ſub utraque ſpecie fidei Catholicæ dogma, necnon novem reformationis decreta fuerunt ſancita: in ſequenti autem Seſſione præter ſaluberrimos undecim reformationis articulos doctrina de Sacrificio Miſſæ Sacræ Scripturæ teſtimoniis corroborata eſt. Poſt hæc denuo hujus Synodi curſum morabantur altercationes de loci prærogativa inter Hiſpanum & Gallum Oratores: hac controverſia autem feliciter compoſita anno 1563. de Sacramento Ordinis actum, ubi etiam octodecim reformationis capitibus provide admodum variæ corruptelæ tollebantur, ſicut etiam in Seſſione XXIV. anno 1563. de Sacramento & reformatione Matrimonii duodecim Canones ac quinquaginta decreta

ta condebantur, ipſaque Synodus vere pacis ſtudioſa litem ex his verbis: *proponentibus Legatis* exortam componebat, declarans, quod per iſta verba nequaquam intendat, ut conſueta ratio negotia in Generalibus Conciliis agitandi ulla ex parte immutetur. Denique in Seſſione XXV. actum eſt de Purgatorio, veneratione Sanctorum eorumque reliquiis, ſacrisque Imaginibus, ex quibus Capitibus Proteſtantes ſane colligere potuiſſent, quod hæc Synodus ſincero animo ea, quæ emendanda occurrerent, reformare intenta fuerit, proin & ipſi ſuas, ſi quas haberent, æquas querendi cauſſas libere, ac non ſine ſatisfactione ſua proponere potuiſſent, ſi duntaxat vero Eccleſiam reformandi ſtudio accenſi fuiſſent. Adjungebantur inſuper viginti & unum decreta de regularibus, & viginti de Epiſcopis, ut hac ratione ceteris etiam Proteſtantium, aliorumque querelis ſatisfieret.

Haud equidem inficiamur, in toto hujus Synodi progreſſu plures etiam inter Catholicos altercationes, oppoſitiones, ac diſſidia fuiſſe exorta, quin tamen exinde læſa fuiſſet charitas, aut unanimis in fidei rebus conſenſio imminuta; imo haud immerito obſervandum venit illud diſcrimen inter legitima Catholicorum Concilia, & Novatorum conciliabula, quod quamvis ob opinionum varietatem aut diverſa Natio-

num ſtudia non raro in ejusmodi Catholicorum Conciliis crebræ acresque intervenerint diſceptationes, ſemper tamen circa fidei articulos omnium conſenſio floruerit, & litibus cunctis feliciter compoſitis ejusmodi Synodi cum maxima Eccleſiæ utilitate, ac fidelium jubilo fuerint abſolutæ, cum econtra in Sectatariorum conventiculis nonmodo animorum acerbitates, verborum contentiones, & jurgia aſſidue prævaluerint, ſed inſuper hi nonniſi mutuis convitiis, contumeliis, injuriis, ac vindictis invicem ſeſe laceſſiverint, adeo, ut ejusmodi conventus ſemper cum majori Religionis diſſidio continuati, ac demum re infecta ſoluti fuerint: nec id mirum, eoquod hi litigantes omni certa fidei regula, ac ſupremo & infallibili Judice deſtituti nilniſi privatum ſpiritum, ac fingendi ſentiendique libertatem ſequerentur.

§. III.

De Synodi Tridentinæ fatis in ejus exitu.

Tandem in Seſſione ultima promulgato de Indulgentiis decreto, aliisque ſancitis atque emendatis Synodo finem eſſe imponendum decernebatur, eoquod hæreticos illuc comparituros ſpes nulla affulgeret, aliunde vero quicquid ad Eccleſiæ utilitatem, incrementumque neceſſarium eſſe Patribus viſum fuerat, abunde ſta-

ſtabilitum fuiſſet: unde Febronius perperam queritur, quod hoc Concilium *leviores* duntaxat corruptelas ſuſtulerit, eisque leve remedium oppoſuerit, relictis gravioribus, quales ipſe reputat eſſe Iſidoriana principia, & independentes Pontificiæ poteſtatis exceſſus, perinde acſi Pontificia auctoritas Iſidori Mercatoris decretis (*) inniteretur, aut tot Concilia, totque doctiſſimos Patres usque ad Febronii, ipſique ſimilium ætatem latuiſſent moderati Pontificiæ poteſtatis limites: ceterum per tot diſciplinæ decreta in hoc Concilio ſtabilita, nonniſi leviora diſciplinæ malis adhibita remedia, dicere poterunt illi, qui aut ea non perlegerunt, aut diſciplinam integre reformatam non credunt, niſi ſummum Pontificem ſua auctoritate plene exutum, ac nonniſi ad inane Primatus nomen, & inutilis honoris ſimulacrum redactum cernent. Nec minus inſulſum eſt, quod quidam tam hujus Concilii, quam Pontificiæ auctoritatis oſores Concilium ſupra Papam fuiſſe ex eo evincere nitantur, eo quod hoc Concilium in multis Dominatum Pontificis compeſcuerit, ac primam Judiciorum inſtantiam in eo loco, ubi lites ſunt exortæ, fieri voluerit, reſervationes Papales,

(*) Vid. Petri Ballerini tractatum de antiquis collectionibus & collectoribus Canonum §. 5. pag. 220. n. 10.

acceſſus & regreſſus, coadjutorias &c. abolverit, variaque circa Cardinales *etiam reſpective ad Papam* decreverit: ergone hæc ipſa invito Pontifice, & non potius ipſomet volente ac ſua auctoritate ſponte concurrente decreta fuere? num propterea Regius Senatus Rege ſuperior eſt, quia Rex ex conſilio & ſuaſu ſui Senatus quoddam jus ſibi alias competens moderetur, vel eidem exigente temporis rerumque viciſſitudine cedit? nonne ipſametSynodus cuncta ſua decreta ita ſancita fuiſſe (*) declarabat, *ut in his SALVA ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit & eſſe intelligatur:* quid clarius Papæ auctoritatem etiam extra Concilium ei competentem, non autem primum ab ipſa Synodo derivatam ſignificare poteſt; quippe poteſtas *Salva* manere non poteſt, ſi primum ea cuipiam tribuitur, non autem jam antea aliunde competebat: ruit ergo ridicula horum verborum explanatio, qua nonnulli ea ideo addita fuiſſe ſcribunt, quia auctoritas Pontificis maxime a Proteſtantibns impugnata fuit, perinde acſi Proteſtantes non æque Concilii ac Pontificis poteſtatem tum atque hodiedum impugnarent, vel ea ab illis non impugnaretur, ſi hæc verba Concilii decretis addita legerent: Attamen raucis etiam faucibus vociferentur

(*) Seſſ. 7. in prœmio Decret. Seſſ. 25. cap. 1. Seſſ. 25. cap. 21.

tur Ecclesiæ, Concilii, & Pontificis hostes, salva semper erit Sedis Apostolicæ auctoritas, semperque Tridentina Synodus in suo exitu tanquam victrix ac glorioſa ſeprædicabitur, eoquod decreta plurima ad Divini Numinis cultum, animarum salutem, Sacrorum nitorem, necnon ad immortale Ecclesiæ Romano-Catholicæ incrementum ac decus condidit: cum vero hæc ipsa Synodi decreta juris, ut vocant, positivi sint, atque ipsa Synodus suam auctoritatem, obstringendique vim a supremi Capitis potestate atque approbatione derivari agnosceret, hinc omnes hujus Synodi Patres (exceptis tribus) Pontificis confirmationem petebant, quam etiam Pius IV. in suo diplomate, quod incipit: *Benedictus Deus* veterum Conciliorum vestigia secutus indulsit: hinc risu digna est illorum Scriptorum hallucinatio, qui una ex parte Tridentinum Concilium superioritatem supra Papam exercuisse referunt, simul tamen scribere non dubitant, quod *UNICUM* sit *Tridentinum, quod Pontificis confirmationem rogaverit*, si enim nulla Concilia ante Tridentinum hanc confirmationem a Papa petierunt, cum tamen nihil in illis de hac superioritate statutum fuit, quænam, quæso, ratio Tridentinam Synodum permovere potuit, ut ipsa *sola* primum sua decreta confirmare peteret a Pontifice, quem tamen ipso Concilio inferiorem esse verbo & opere docuit? ex al-

tera

tera parte prorsus insulsum est, quod hi Auctores, dum in præfato Pii IV. diplomate hæc verba legunt: *veterum secuti vestigia Conciliorum*, ea ab Amanuensi vel hujus Bullæ Architecto ex ignorantia fuisse addita scribant, *quia hic vel in Historia Conciliorum parum erat versatus, vel ipsos fontes minime consuluerit:* perinde acsi ipsemet Pontifex, Cardinales, aliique Viri doctissimi hoc diploma saltem non perlegissent, vel historiam Conciliorum ignorassent, aut illam forte primum ab Authoribus hodie natis discere debuissent. Potius crassæ in Conciliorum Historia ignorantiæ accusari posset Scriptor ille, qui in suo libro prorsus singulari de statu Ecclesiæ cap. 6. §. 5. de Conciliis generalibus nimis audacter scripsit, *unicum esse Tridentinum*, quod Pontificis confirmationem concedi rogavit: an ergo ignoravit, quod Romana Synodus in Nundinarii Barcinonensis & Sylvani Calaguritani Episcoporum caussa sub sancto Hilario, necnon Concilium itidem Romanum sedente sancto Gelasio in caussa Miseni olim Pontificii Legati, celebratum sua acta Pontificis auctoritate confirmari petierit: ergone nunquam pervolvit Romanæ Synodi sub S. Felice III. contra notos Ecclesiæ perturbatores celebratæ epistolam Synodicam ad Clericos & Monachos Orientales scriptam? nonne disertis verbis hi Patres se confirmationem suæ Synodi a Papa petiisse profitentur:

tur: (*) *Quoties*, inquiunt illi, *intra Italiam propter Ecclesiasticas causſas, præcipue fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, CONSUETUDO retinetur, ut Succeſſor Præſulum Sedis Apoſtolicæ ex perſona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, juxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum OMNIUM competentem cuncta conſtituat, qui Caput eſt omnium, Domino ad B. Petrum Apoſtolum dicente:* Tu es Petrus &c. *quam vocem ſequentes trecenti octodecim ſancti Patres apud Nicæam congregati, CONFIRMATIONEM rerum ad auctoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt.*

Acceſſit ergo Tridentinæ Synodo ultima Concilii bene geſti conditio, ſcilicet confirmatio facta ab eo, cui hæc poteſtas tradita eſt: fruſtra igitur tam Novatores, quam Pſeudo-Catholici Tridentino huic Concilio proſperi exitus gloriam invident: incaſſum etiam calamos ſuos acuerunt adverſus celeberrimam hanc Synodum hæretici Scriptores, atque inter eos præcipue Innocentius Gentiletus e grege Calviniſtarum, necnon Chemnitius, quem præter alios Didacus Payva Theologus Luſitanus (**) & Jacobus Tilletanus Lovanienſis Doctor in ſua apologia pro decretis Concilii Tridentini egregie refellebant: pariter quoque

(*) Vid. Collect. Conc. tom. 2. & S. Petr. Chryſolog. epiſt. ad Euthychem.

(**) Lib. 1, Defenſ. Trid. Fidei.

que mendaciis Pauli Sarpii hiſtoriam ex ipſius aſſertionibus Philippus Quorlius, Henricus Scipio, Pallavicinus & alii ſexcentis falſitatibus ſcatentem acri cenſura perſtringebant, ipſiusque hujus Concilii æquitatem, honorem, auctoritatemque vindicabant. Haud moror calumnias & querelas aliorum Proteſtantium Scriptorum, quos Pfaffius Introduct. in hiſt. Theolog. (*) exhibet; ab ejusmodi enim Viris nulla Synodus Catholica magis benignum fatum, melioremque ſortem expectare potuiſſet, omnique ævo hæreticis familiare fuit, ut illud Concilium, in quo damnati fuere, tanquam nullum, illegitimum, & tanquam a fidei & Eccleſiæ hoſtibus conflatum convitiis proſcindant, ſic etiam Ariani Nicænam, Macedoniani Conſtantinopolitanam I. Neſtoriani Epheſinam, Eutychiani Chalcedonenſem, Monothelitæ Conſtantinopolitanam III. ſeu inter Oecumenicas ſextam Synodum impugnabant.

§. IV.

De Ejusdem Concilii fatis in executione, atque illius receptione.

Cum ad ſeriam morum ac diſciplinæ emendationem ſaluberrima etiam ſtatuta parum proficerent, niſi ea executioni darentur, aliunde vero decreta in hoc Concilio

(*) Tom. 3. l. 4. pag. 206.

cilio circa reformationem condita juris positivi essent, hinc Pius IV. tempus, a quo ea ligare inciperent, præscripsit, nimirum primam Maji diem anni 1564. utque horum decretorum usum urgeret, singulariter Romanis Officialibus suis ac ceteris omnibus præcepit, ut Concilii Tridentini decreta, necnon Reformationem a se factam fideliter observarent: (*) atque exequendis ejusmodi decretis manum admoverent: speciali autem diplomate omnibus privilegiis, gratiis atque immunitatibus, quomodocunque concessis, si hæc Concilii decretis adversentur, derogavit: postea Clemens VIII. Sixtus V. Gregorius XIII. omnes, præcipue vero Gallos, hortabantur, ut Concilium Tridentinum effectui darent, ne sensim per *non usum* tam salutaria statuta negligantur, atque in oblivionem trahantur, proin Synodus non modo tam immensi laboris fructu frustretur, sed etiam Ecclesiæ disciplina, fideliumque mores denuo corrumpantur: eapropter hoc Concilium quoad dogmata ab omnibus Catholicis statim ubique cum summa veneratione recipiebatur, ac præprimis Imperator, Reges, S. R. I. Electores, Principes, Respublicæ & Magistratus, quibus Ecclesiæ nitor, ac subditorum salus cordi erat, ambabus ulnis hanc Synodum non modo quoad

(*) Hist. Eccl. Fleury l. 168. §. 51.

quoad fidei decreta, sed etiam disciplinæ statuta recepe runt; his autem omnibus exemplo præibat Sebastianus Lusitaniæ Rex, qui die 2. Octobris anno 1564. datis ad Papam literis se religiose dogmata defensurum, ac disciplinæ decreta in executionem immoto studio deducturum pollicebatur: mox etiam Veneti inter sacra solemnia in Basilica sancti Marci jussu Veneti Senatus hoc Concilium promulgabant. (*) Pariter Philippus II. Hispaniæ Rex ex consilio suorum Præsulum absque ulla restrictione Synodum Tridentinam in omnibus Regnis & Provinciis suis recipi, publicique juris fieri edito diplomate die 2. Julii anno 1564. præcepit, salvis Regis Regnique juribus, quibus aliunde Synodus derogare nunquam intendit: (**) mox autem ad Regis exemplum in Concilio Toletano anno 1565. Præside Christophoro de Sandoval Cordubensi Episcopo, necnon postea in Synodo Mexicana anno 1585. Præside Petro Moya de Contreras Archiepiscopo Tridentini Concilii decreta in usum deducta fuere: nil dicam de Italiæ Principibus, qui unaomnes mox prompto obsequio hanc Synodum vix promulgatam amplectebantur, ac præprimis hanc in rem Ecclesia Mediolanensis

(*) Morosinus l. 8. hist. Venet.

(**) Vid. Van. Espen Comm. in Canon. differt. in Jus Can. noviss. §. 6.

nensis sub sancto Carolo Borromæo Archiepiscopo primum suum Concilium anno 1565. celebrabat. Insuper in Polonia, quamvis hæretici, eorumque fautores Sigismundi Regis imbecillitate abutentes sese opponerent, nihilominus hic idem Rex, ejusque Senatus Commendoni Pontificii Legati rationibus, ipsaque hujus Concilii utilitate expugnati in Regni comitiis anno 1564. hujus Synodi decreta susceperunt. Insuper etiam Ecclesia Aquilejensis in sua Synodo Præside Francisco Barbaro Patriarcha anno 1596. hujus Synodi executionem urgebat: his quoque Ecclesia Germanica, ac præcipue Austriaca in Synodis Augustana anno 1567. sub Othone Truchsesio, necnon in Salisburgensi anno 1569. accesserat; demum progressu temporis in omnibus aliis Regionibus Catholicis, licet circa quædam reformationis decreta ad disciplinam spectantia nonnullæ limitationes fuissent adhibitæ, hocConcilium feliciter promulgatum, receptumque est, uti præcipue a Belgis in Conciliis Cameracensibus anno 1565. & anno 1586. necnon Mechlinienſibus anno 1570. & 1607. celebratis.

Major autem erat Gallorum repugnantia, quæ tamen nequaquam ortum trahebat ex eo, quod hujus Nationis Reges Præsules & Proceres de Tridentinæ Synodi auctoritate, æquitate ac legitimitate dubitarent, sed duntaxat ex privatis

quorumdam contentionibus, profanisque rationibus circa quædam reformationis decreta apud Gallos Oratores ad Tridentinam Synodum decretos, necnon apud Aulæ Regiæ Miniſtros quæſtio movebatur; præprimis enim Lotharingius Cardinalis, qui Legati Apoſtolici dignitatem in hoc Concilio ambiebat, ſpe ſua fruſtratus exequendis Concilii decretis ſegniorem adhibebat operam, quæſito obtentu, perinde acſi reformatio in Concilio facta non eſſet integra & ſufficiens. Oratores quoque Galli, contentione circa loci, ſedisque prærogativam cum Lunenſi Comite Hiſpaniæ Legato exorta palam declararemoliebantur, eorum *Regem hujus Concilii decreta non probaturum, neque Eccleſiam Gallicanam ea pro decretis Oecumenicæ Synodi habituram*, eoquod nihil a Tridentinis Patribus, ſed omnia magis Romæ quam Tridenti acta fuiſſent (*). Verum cum hæc ratio nimium futilis, nec veritati congrua eſſet, aliunde vero hæc lis Legatorum Papalium opera compoſita fuiſſet, immodicus quoque Gallorum fervor contra hoc Concilium reſedit. Non tamen diffitemur, iam in ipſo Tridentinæ Synodi progreſſu a Gallis varias contentiones fuiſſe ſuſcitatas, imo etiam Henricus II. Sedente Julio III. adverſus hanc Synodum conteſtatus fuerat, non quaſi hæc legitima

(*) Hiſt. Fleury contin. lib. CLXV. §. 18.

gitima auctoritate destituta esset, sed ideo, quia Rex bello cum Julio III. & Carolo V. Cæsare implicitus nec Concilii rebus attendere, nec Gallicanæ Ecclesiæ Præsules ad illud mittere posset; ipsemet enim Rex hanc suam contestationem a se non ideo fieri profitebatur, *quasi aut cogitaret ullo modo, aut haberet in animo meritam, ac debitam a se Sedi Apostolicæ observantiam & obediendi conditionem, aut excutere, aut diminuere; quin contra operam daturus esset, ut magis, ac magis in dies se dignum probaret, Christianissimi Regis cognomine, hocque maximo Primogeniti Ecclesiæ Filii, ac Fidei Protectoris elogio. Animi hujus sui, ac studii propensionem ad feliciora, melioraque tempora reservari, cum scilicet hoc humano generi, ac præcipue Reipublicæ christianæ, summis ipsius, ac totius Populi Gallici votis Dei optimi Maximi gratia tribuisset, ut honeste depositis armis, quæ essent parum modeste illata, & motiones animi componerentur, & hoc modo pax ipsa conveniret:* hinc palam professus est, *se Ecclesiæ Catholicæ charitatem deponere non posse, sed susceperum, quicquid ab ea pertractatum, decretum, constitutum fuerit, quomodo quidem ab illa pertractari, decerni & constitui par est, dum ne quid interea sincero, atque integro ab hæreticorum vecordia Principi immerenti, atque innocenti aut captiosum comparetur, aut contumeliosum sit.*

Perperam ergo hujus Concilii hoſtes ex hac Regis Chriſtianiſſimi conteſtatione eruere moliuntur, quod Franciæ Reges hanc Synodum flocci habuerint, eamque propterea conſtanter recuſarint: minus vero a recipienda hac Synodo quoad decreta ad diſciplinam ſpectantia averſum animum præſeferebat Henricus III; cum enim Guiſiani Principes invictiſſimi veræ fidei Pugiles, ac Catholicæ Religionis in Francia conſervatæ Vindices Calviniſtarum opera Concilii Tridentini receptionem in Aula Regis potenter præpediri cernerent, varia ac generalia Nationis & Cleri Gallicani comitia celebrari curarunt, ut in illis decreta hujus Concilii acceptarentur: nec vanus erat hac in re Guiſiorum conatus; quique reipſa anno 1567. generalis habebatur conventus, in quo Clerus Concilium Tridentinum promulgari, atque executioni dari, incaſſum licet, petebat, poſtea anno 1577. Bleſis ejusmodi celebrabantur comitia, in quibus Clerus Gallicanus Regi iterum ſuplicabat, ut Concilium Tridentinum promulgari permitteret: Rex etiam reſpondit, ſibi gratum eſſe eorum ſtudium, quo Religionem, Deique cultum promovere ſatagerent, hinc re cum ſuo Senatu communicata ſe eorum petitioni ſatisfacturum pollicebatur: obſtabant tamen tunc plurium Provinciarum Deputati ſæculares: nihilominus denuo Clerus Gallicanus, qui Ecclе-

cleſiam Gallicanam repræſentat, anno 1579. in comitiis Meloduni habitis a Rege petebat, ut Concilii Tridentini decreta publici juris fierent, atque in uſum deducerentur: ubi Rex promptam ſuam ac Prædeceſſoris ſui voluntatem his verbis teſtabatur: *Jam ab initio Regiminis mei ardenter deſiderabam, ut Tridentinum Concilium in Regno meo promulgaretur, verum illius receptio non a me ſolo dependet, notum enim vobis eſt, quod nequidem Carolus frater meus id impetrare potuerit;* obnitebantur enim Aulæ ſuæ Miniſtri potiſſima ex parte aut Calvini erroribus infecti, aut Pſeudo-politicis principiis imbuti: cum autem Clerus propenſum Regum ſuorum animum ſibi ſatis compertum haberet, in comitiis Pariſienſibus anno 1585. perorante Claudio de Angennes Noviodunenſi Epiſcopo ſollicitantibus etiam Cæſaris Oratoribus, & omnium Chriſtianorum Principum Deputatis Concilium Tridentinum promulgari efflagitabat, nullum tamen aliud a Rege reſponſum tulit, niſi *ſe cum ſuo Senatu, cujus præcipua ea de re cognitio eſſet, acturum.* Inſuper rurſus eodem anno Menſe Octobri in Abbatia Sancti Germani bina vice Regi ſupplicatum pro exequendis Synodi decretis; quoniam vero Rex denuo obtenderet, quod Senatus ſui Præſides, ac Conſiliarii in hiſce decretis quædam Eccleſiæ Gallicanæ privilegiis Regnique iuribus adverſa obſervarint,

mox Clerus objectam hanc difficultatem dissolvebat, exponens: *quod Concilii Tridentini decreta in se complecterentur duo capita, scilicet doctrinam, & disciplinam: quantum vero ad primum articulum nulla omnino obversaretur difficultas: si vero quædam circa disciplinam difficultates occurrerent; eæ facili negotio per diploma a Papa impetrandum tolli possent.* Hac nimirum declaratione prudentissimi Præsules Regi viam indicare satagebant, qua suorum Procerum frivolas objectiones eludere posset, eadem prorsus ratione, qua Philippus II. Hispaniæ Rex æterna memoria dignus oppositiones & difficultates contra hujus Synodi receptionem a suis Magistratibus & Belgii Senatoribus motas superabat, eisdem die 25. Novembris anno 1564. ita respondens: *sibi non placere in Concilio populis proponendo quidquam excipi, ne & Romæ, ubi sermonum avida materies obtrectandi, & reliquis Christianis Principibus in Hispaniam intentis, occasio imitandi præberetur; nam quod de regio, ac provinciali jure dicebatur, consideratum abunde fuisse, cum de Concilio eodem publicando quæsitum fuerit in Hispania, in qua illæ plane difficultates existebant, quarum sicuti nulla tunc ratio habita est, sed Concilium sine ulla exceptione propositum, adhibita tamen perlevi moderatione in ejus usu, ita velle in Belgio idem factitari; eoque mitti Hispanicæ promulgationis exemplum, ut parentes*

tes imperio ſuo populi ad unam ubique normam pariter exigantur.

Poſtquam vero Placentinus Cardinalis Pontificius apud Gallos Legatus ſummis precibus apud Henricum IV. pro hujus Concilii promulgatione inſtaret, eluſis variis oppoſitionibus, quæ potiſſimam Ordinum partem offendebant, die ſexta Auguſti hæc Synodus a fœderatis acceptabatur: cum vero Fœderatorum zelus illis, qui Regiæ parti adhærebant, ſuſpectus videretur, hinc, ut magis ſolemnis haberetur acceptatio, rurſus verba faciente Claudio de Angennes Rambouilleto Cenomanenſi Epiſcopo anno 1596. Henrico Magno hujus nominis quarto in eundem finem Clerus Gallicanus ſupplicabat, quæ preces anno 1598. perorante Franciſco de la Guesle Turonenſi Archiepiſcopo, necnon anno 1605. die quinta Decembris ſub Hieronymo de Villars Archiepiſcopo Viennenſi fuerunt iteratæ, ita, ut Henricus IV. victus graviſſimis hujus Archipræſulis rationibus, quod reſponderet, nihil aliud in promptu haberet, niſi magnopere ſe exoptare, ut Concilium Tridentinum reciperetur in Francia, verum a rationibus mundi ſæpe oppugnari intentiones cæli: nihilominus Clerus Gallicanus anno 1608. in comitiis generalibus ab Andrea Fremiot Archiepiſcopo Bituricenſi celebratis rurſus ſuas preces interponebat. Demum vero, cum

Ludovicus XIII. Francici Regni ſceptrum rotaret, Clerus in comitiis Ordinum Regni Pariſienſibus die vigeſima tertia Februarii anno 1615. perorante Armando du Pleſſis Epiſcopo Lucionenſi, poſtea S. R. E. Cardinali Richelio multis rationibus Regem ad Concilii Tridentini promulgationem hortabatur, id eidem ſuadens, primo „ex ipſius rei bonitate, cum „nihil ſit in eo niſi Sanctum. Secundo, „ex auctoritate cauſſæ, cum ab Eccleſia „univerſali celebratum fuerit, cujus tanta „eſt auctoritas, ut abſque ea ſe non crediturum Evangelio profiteatur S. Auguſtinus. Tertio, ex Sanctitate finis, qui „non eſt alius, quam Religionis conſervatio, & veræ diſciplinæ in Eccleſia inſtauratio. Quarto, ex fructu, qui ex illius „Concilii decretis derivatur; ſiquidem in „omnibus regionibus, quæ illud obſervant, „Eccleſiæ ordo recte conſtitutus, ac diſpoſitus ſubſiſtat. Quinto, ex detrimento, „quod promulgationis iſtius prorogatio „Gallicano infert nomini: ſiquidem ea de „cauſſa multi de Gallorum fide male judicent, falſo exiſtimantes Concilii Tridentini doctrinam ab illis rejici, quam profiteri tenentur, niſi hæretici haberi velint. „Sexto, ab exemplo ceterorum Principum „Chriſtianorum, ſiquidem Hiſpania, Italia, Polonia, Belgium & Germaniæ maxima pars illud ſuſceperint. Septimo, a „verbo,

„verbo, & promisso Henrici Magni Regis „ipsius Ludovici Patris, qui ejusdem Con„cilii promulgationem solemniter pollicitus „est, cum absolutionem ab hæresi a Sede „Apostolica obtinuit. Si quæ tamen sint „ejusdem Concilii capita antiquis Regni „moribus repugnantia, ad Romanum Pon„tificem rogandum, ut ea temperet, Cle„rus Gallicanus se obstringit.

Postea Ordines Regni conjunctis studiis Regi pro Concilii promulgatione supplicarunt, illud tandem Gallicani Præsules, ceterique viri Ecclesiastici Gallicanam Ecclesiam repræsentantes in frequentissimis Comitiis eodem anno Parisiis celebratis subscriptione sua, ac juramento receperunt, ac se recipere declararunt; atque in Conciliis Provincialibus solemni ritu recipiendum, & comprobandum decreverunt, Salvis Regni juribus, & privatorum rationibus, quorum gratia summus Pontifex rogaretur a Clero, ut quædam ejusdem Synodi capita temperaret: id constat ex oratione, quam Ordinis Illustrissimi nomine ad Regem habuit die octava Augusti Franciscus Harlæus Augustopolitanus Archiepiscopus, & Rothomagensis Archiepiscopi Coadjutor.

Pariter anno 1615. die septima Julii Clerus Gallicanus Parisiis in Conventu Fratrum Eremitarum sancti Augustini congregatus hanc Synodum solemni ritu at-

que unanimi omnium consènsu acceptavit, atque in usum deduci mandavit, edito hanc in rem decreto, quod in actis Cleri Gallicani anno 1673. Victoriaci impressum habetur hujus tenoris.

„Nos Cardinales, Archiepiscopi, Epi„scopi, Prælati, aliique Ecclesiastici infra „subscripti, repræsentantes universum Fran„ciæ Clerum, permittente Rege in Con„ventu Augustinianorum Parisiis congre„gati, post maturam deliberationem circa „Concilii Tridentini promulgationem, una„nimi suffragio professi sumus & declaravi„mus, ac etiamnum profitemur, & de„claramus, quod officii nostri ratione & „conscientiæ legibus obstricti simus, ut re„cipiamus, sicut etiamnum recipimus præ„fatum Concilium, ac promittimus, quod „illud, quantum valemus, ex officio nostro „& auctoritate spirituali & Pastorali obser„vare velimus: ut vero illius Synodi ma„gis ampla, magisque solemnis, ac spe„cialior a nobis fiat receptio, decernimus, „ut omnia Concilia omnium Provinciarum „Provincialia & hujus Regni Metropoli„tana in qualibet Provincia saltem intra „semestre convocentur & congregentur, „atque Archiepiscopi & Episcopi absentes „per præsentes nostri conventus literas „unacum præsentis articuli transumpto „mittendas rogentur, ut in præfatis Con„cilisi Provincialibus præfatum Concilium

„Tri-

„Tridentinum recipi curent, atque injun-
„gant, ut illud poſtea in omnium Diæce-
„ſium particularium Synodis recipiatur,
„juxta generalem Ordinum Regni delibe-
„rationem, cujus articulus ad calcem hu-
„jus præſentis inſtrumenti apponetur, ſi
„vero quocunque impedimento dictorum
„Provincialium Conciliorum celebratio in-
„tra præfatum tempus retardaretur, nihilo-
„minus præfatum Tridentinum Concilium
„in dictis Synodis Diæceſanis proxime ha-
„bendis recipiatur, atque a præfatis Diæ-
„ceſibus obſervetur. Hæc infra ſcripti
„Præſules, aliique Eccleſiaſtici promiſimus,
„ac juravimus, quod omnia hæc procura-
„re, atque in uſum deducere, atque ab
„aliis deduci velimus. Datum in comi-
„tiis generalibus Cleri Gallicani celebratis
„Lutetiæ apud Auguſtinianos die 7. Julii
„anno 1615.

Huic autem declarationi ſubſcripti legebantur Gondius, Perronius, & Rupifocaldius Cardinales, præter ſeptem Archiepiſcopos Rhemenſem, Viennenſem, Acquenſem, Auxitanum, Bituricenſem, Embrodunenſem, & Auguſtopolitanum Rothomagenſis Archiepiſcopi coadjutorem: pariter quadraginta & unus Epiſcopi proprio chirographo & juramento hanc declarationem firmabant, præter alios viginti octo Eccleſiaſticos ad præfatum conventum deputatos. Rurſus anno 1625. idem Clerus Galli-

Gallicanus in comitiis Parisiensibus ad recipiendum & pro viribus observandum hoc Concilium jurisjurandi Religione se obstrinxit. Quoniam vero Clerus Gallicanus probe prospexerat, quod prævalente Ministrorum sæcularium potentia Synodus Tridentina saltem integra in Galliis auctoritate Regia a profanis tribunalibus non esset promulganda, hinc universi Franciæ Episcopi, qui Ecclesiam Gallicanam repræsentant, & quibus de jure ejusmodi rei sacræ ad Ecclesiæ suæ Regimen spectantis ac tantopere necessariæ cura atque acceptatio competit, omne suum studium, Zelumque in eo impendebant, ut hæc Synodus saltem in Conciliis Provincialibus reciperetur, atque in usum a suis Diæcesanis deduceretur: jam enim ceteris omnibus exemplo præibat Ecclesia Rhemensis, quæ in Concilio Provinciali anno 1564. Præside Carolo Cardinali Lotharingio ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo in secundo decreto hanc Synodum his verbis recipiebat: *sancta Synodus officii sui esse arbitratur, si eam doctrinam, quæ universi orbis Christiani Legitimis Antistitibus, & nobis ipsis placuit, Diœcesi nostræ proponimus, jubemus nostrarum Ecclesiarum Rectores, infra Natalem Domini Tridentinam Synodum, sive Latine, sive Gallice comparare, in eaque tanquam in speculo inspicere omnium propemodum contentionum, quæ Christianos divexarunt, veritatem,*

ac

ac ipſam ſincere, ac pacifice ſuis gregibus commendare; contrarias vero opiniones ut hæreſes deteſtari, ac fugere.

Poſtea anno 1583. rurſus in alio Rhemenſi Concilio Præſide Ludovico Cardinali Guiſio Archiepiſcopo Tridentinum hoc Concilium tam quoad fidei dogmata quam pleraque reformationis capita recipiebatur. Inſuper Rothomagenſis Eccleſia in ſuo Concilio Provinciali anno 1581. Præſide Carolo Cardinali Borbonio Sedis Apoſtolicæ Legato, ejusdemque Eccleſiæ Archiepiſcopo his verbis Concilii Tridentini obſervationem præcepit: *Noſtra hæc Synodus unanimi Conſenſu ipſum Chriſtianiſſimum Regem noſtrum ut pro ſua ſingulari pietate Tridentinum Concilium (quo labenti Reipublicæ Chriſtianæ accuratiſſime ſubvenitur) ſicut non ita pridem hujus Regni Ordines, ſive Status Bleſis, & Clerus nuper Meloduni congregatus factitarunt, promulgari juberet, humillimis precibus ſollicitare decrevit, verum quoniam multa viſa ſunt, quæ dilatione non indigent, ordinanda, de Fratrum noſtrorum Coepiſcoporum conſenſu, eorumque, qui huic Synodo interfuerunt, conſilio, dum hujusmodi promulgationem ſperamus, & expectamus, quæ ſequuntur, pro temporum neceſſitate, & Provinciæ noſtræ ſtatu . . . ad Dei Laudem ſtatuere duximus. Cap. 1. Eccleſia univerſa errare non poteſt, quæ regitur Spiritu veritatis ſecum manente in æternum . . . Ejus itaque doctrinæ, & fidei inhærentes, quam poſtremo*

ſtremo pro neceſſitate hæreſeon, & temporum edidit veritatis confeſſionem in Generali Synodo amplectimur, & profitemur; & ex ea tanquam ex fidei regula, probari, & internoſci in noſtris Eccleſiis ſtatuimus veros fideles a quibuscunque hæreticis, atque a fictis, & ſimulatis in fide Catholica, & Religione Chriſtianis, propterea eandem Confeſſionem ſtatuimus exigi, & ſignari ab omnibus promovendis ad ſacros Ordines, & ad quæcunque beneficia, &c. Poſtmodum ſubjiciebatur formula Profeſſionis fidei Pii IV. Diplomate præſcripta, in qua hæc habentur: *cetera item omnia a ſacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quascunque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, atque anathematizo.*

Pariter anno 1583. Burdigalenſis Eccleſia ſub Antonio Prevotio Sanſaco Archiepiſcopo decreta fidei & Canones acceptavit, necnon Eccleſiaſticam diſciplinam, *ex ejusdem potiſſimum Tridentini Concilii præſcripto* reformavit: eodem autem anno etiam in Synodo Provinciali partim Turoni partim Andegavi celebrata Turonenſis Clerus præſide Simone a Maille Archiepiſcopo diſciplinam Eccleſiaſticam ex ejusdem Concilii decretis reſtauravit, uti teſtatur idem Archipræſul ad Gregorium XIII. hæc perſcri-

ſcribens: *Habebit ergo tua Sanctitas tuorum humillimorum ſervorum Turonenſis Provinciæ Patrum decreta, e Tridentino tuo Oecumenico excerpta Concilio; pro temporis inſtantis uſu, conditione, & neceſſitate.* Tridentini denique Concilii promulgationem a Chriſtianiſſimo Rege Henrico III. poſtulavit his verbis: *cum Tridentini Oecumenici Concilii ad fidei Catholicæ conſervationem promulgatio, & juris Epiſcopos & Abbates eligendi dudum ab Eccleſiis Franciæ diſtracti, & obtriti reſtitutio, ſint perneceſſariæ, ſuam Majeſtatem impenſe rogat Synodus, ut dignetur jubere, Concilium Tridentinum publicari, necnon ipſis Eccleſiaſticis permittere, ut Epiſcopos, & Abbates ſibi deligere valeant.*

Anno autem 1584. Eccleſia Bituricenſis in ſuo Concilio Provinciali Præſide Reginaldo Bellunenſi, Patriarcha & Archiepiſcopo ſuæ Diæceſis mores juxta Tridentini decreta correxit, ea motus ratione, quod *ſancta Univerſalis Eccleſia ex omnibus in univerſo orbe particularibus Eccleſiis, omnibusque membris ſuis viſibilibus nuper Tridenti in Spiritu ſancto collecta, & congregata, multa pia, & præclara Decreta ediderit, quæ cuivis Chriſtiano abunde ſatisfacere poſſint, & contumaces vi, & efficacia verbi Dei ad caulas Eccleſiæ reducere, niſi reſiſtentes Spiritu ſancto ſibi ipſis iram Dei accerſerent: tamen quia multa quotidie in Eccleſiis particularibus emergunt, quædam adhuc latent, quædam jam in lucem venerunt,*

quæ

quæ ampliori explicatione, aut novo tractatu indigent; ut novis morbis nova remedia, novis negotiis novæ leges imponi solent & pie & prudenter Universalis Tridentina Synodus, priscæ legis, & consuetudinis memor, providit, & statuit, ut provinciales Synodi celebrentur, non ut diversa, aut (quod Deus avertat) contraria proponantur, aut tractentur, sed ut eodem Spiritu ducti Pastores, & Episcopi Ecclesiarum simul congregati ea, quæ ab Universali Synodo statuta sunt, arctius amplectantur, observent, explicent, suisque observanda proponant.

Insuper Ecclesia Acquensis anno 1585. Præside Alexandro Coignaco Archiepiscopo Synodum Provincialem celebrabat, simulque Regi Christianissimo pro Tridentini promulgatione supplicandum decernebat: *Interea vero*, statuebat Synodus, *dum hujusmodi promulgationem speramus, & expectamus, de Fratrum nostrorum Coepiscoporum consensu, eorumque, qui huic Synodo interfuerunt, consilio; tum quod Episcopi ipsi in sua quisque Diœcesi, pro suæ conscientiæ exoneratione, omnia quoad ejus fieri potest, ad ipsius Concilii Decretorum præscriptum dirigant, & moderentur: tum hæc, quæ sequuntur, pro temporum necessitate, & Provinciæ nostræ statu, ad Dei laudem, & Ecclesiæ amplificationem in nomine Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis statuere duximus.*

Præterea Tolosani Præsules in suo Provinciali Concilio anno 1590. Præside Franciſco

ciſco Cardinali de Joyoſa Archiepiſcopo ita profitentur: *ea omnia, & ſingula, quæ a ſancta Tridentina Synodo definita, & ſtatuta ſunt, palam recipimus; veram obedientiam ſummo Romano Pontifici ſpondemus, & profitemur, ſimulque hæreſes omnes ab eadem Synodo damnatas publice deteſtamur, & anathematizamus.*

Denique Eccleſia Avenionenſis in ſua Provinciali Synodo Præſide Franciſco Maria Archiepiſcopo anno 1594. necnon Narbonenſis Eccleſia anno 1609. ſub Ludovico de Verviens itidem Archiepiſcopo & Primate Tridentinæ Synodi decreta in uſum deduci præceperunt: porro earum Provincialium Synodorum ſtudium in promovenda Concilii Tridentini executione usque ad annum 1624. propagatum eſt. Plura autem, quæ in hanc rem adduci poſſent, ſilentio præterimus, ne nimis prolixi videamur, utiliter tamen hac in re conſuli poſſet Stephanus Raſſicodus in ſua diſſertatione de Concilii Tridentini receptione & auctoritate in Gallia. Equidem Aula Regia hanc Synodum quoad nonnulla diſciplinæ decreta non acceptabat & quidem, ut refert Pallavicinus lib. 24. cap. 11, ex duabus cauſſis, tum quod Tridentinum Concilium vetuiſſet Beneficia Regularia tradi in commendam, idque Regibus damnum inferret, qui ſuorum Miniſtrorum merita bonorum Eccleſiaſticorum divitiis com-

penſare aſſueverant: tum quod Aulici vererentur, ne Calviniſtæ a Tridentino toties perculſi in Regno pejora molirentur: alia adhuc oppoſuit Carolus Molinæus, atque alia anno 1585. in Conventu hanc in rem per Regem indicto a Politicis fuerunt objecta, quæ tamen facili brachio a Clero Gallicano fuere confutata (*) nihilominus ex ejusdem Cleri decretis ac Synodis compertum habetur, Tridentinam Synodum in Galliis eſſe receptam, necnon Eccleſiaſticam diſciplinam juxta illius decreta ibidem fuiſſe emendatam, id continuato ſtudio urgentibus ſummis Pontificibus Pio IV, Clemente VIII, Sixto V, & Gregorio XIII, aliisque, ad quos avito jure ſpectabat, ut ipſi Conciliorum definitiones hinc inde in Provincias mitterent, atque, ut eæ ibidem ab aliis reciperentur, curarent; antiquitus etiam uſu receptum fuerat, ut tunc, dum Concilia in Oriente celebrata ſunt, ſummi Pontifices pariter Romæ Concilia haberent, & ibi Orientalium Synodorum actis rite examinatis, ac poſtea per ipſosmet approbatis, ea promulgari juberent: hinc jam ſæculo V. Gelaſius Papa in ſua ad Orientales epiſtola velut rem ipſismet Orientalibus jam aliunde ſatis notam affirmat, ſolius Sacræ Sedis eſſe, Pontificia auctoritate omnia Concilia confirmare.

(*) Hiſt. Fleurii cont. l. 77. §. 59. & 60.

mare. Inde vero Synodorum vis, atque auctoritas descendit, atque ideo, postquam Pontifices, ac præcipue Pius IV. in sua Bulla, qua Tridentinum Concilium Romæ anno 1563. confirmaverat, omnes Principes Christianos invitaverant, ut idem Concilium protegerent, observarent, atque executioni darent: inde, ut inquit Salgadus (*) primum nascebatur Regibus Facultas condendæ legis in ejusdem Concilii executionem & manutenentiam, necnon aliis Magistratibus potestas mandandi, ut Tridentina decreta inviolabiliter observentur: si vero hi vel ob pertinaciam, socordiam, vel alias humanas rationes desunt officio suo, quo Imperatores, Reges & Principes nominantur Canonum & Conciliorum ad status Ecclesiæ conservationem, & bonum ordinem spectantium, tunc omnino necessarium est, ut Archiepiscopi, Episcopi, ceterique Prælati pro muneris sui ratione generalis ejusmodi Concilii decreta promulgent, atque in executionem trahi curent; dolendum enim summopere esset, ait citatus Hispanus Jurisconsultus (**) „si quæ in Generalibus Conciliis tan„to cum labore, vigilantia, & meditatio„ne, assistentiaque tantorum Patrum to-

 „tius

(*) Tract. de Supplicatione ad Sanctissimum part. 3. cap. 1. n. 31.

(**) part. 2. cap. 1. n. 43.

„tius orbis Christiani, Regumque, & Prin„cipum supremorum, per Nuntios suos, „& Ambassiadores ad idem specialiter de„stinatos, sunt edita, ad reformationem „universalem morum, & pro universalis „Reipublicæ spiritualis, & Ecclesiasticæ „aptiori regimine, quibus omnino avel„luntur infinita damna, quæ in perniciem „utilitatis publicæ reperta fuere: lamen„tabile, inquam, foret, ut tantus labor, „tantum & insomne studium, totque San„ctissima decreta divinitus, & feliciter de„finita, ac salubriter recepta, fructum ex „incuria, & negligentia amitterent in da„mnum Reipublicæ, & Status Ecclesia„stici, ac Christianæ Religionis: „ ut igitur vigilantissimi Franciæ Præsules tam ingens damnum ob neglecta Concilii Tridentini decreta a Galliarum Regno averterent, ipsi in crebris suis comitiis, ac Synodis Provincialibus Tridentinam Synodum receperunt, promulgarunt, atque ab omnibus suis subditis observari præceperunt, adeo, ut insuperhabita Parlamenti Parisiensis repugnantia, spretisque oppositionibus Calvinistarum, qui etiam arma in Galliis minitabantur, si hujus Concilii receptio tentaretur, eoquod per hanc Synodum se suamque sectam invictis argumentis damnari nossent, nihilominus ob universam hujus Synodi etiam quod morum decreta factam promulgationem, atque ab Episcopis in

suis

ſuis Diæceſibus ſuſcitatam obligationem, hoc Concilium etiam in Francia ſuſceptum haud immerito dici poteſt, non quidem ſolemni aliqua profana promulgatione a Rege ejusque Senatu facta, bene tamen per diverſas Synodos Provinciales per duo ſæcula celebratas.

Ex relatis igitur colligere fas eſt, quod Synodus Tridentina tam in ſuo initio, progreſſu, quam exitu non raro ſiniſtro fato ob hæreticorum pertinaciam ac petulantiam, imo & propter Catholicorum quorumdam oppoſitiones, & Pſeudo-Politicorum cavillationes jactitata fuerit, ſemper tamen victrix evaſerit, omnibusque liberi, Chriſtiani, legitimi, atque in Spiritu Sancto congregati Concilii dotibus, prærogativis, ac conditionibus ornata extiterit, ne propterea concludendum ſit, inanes prorſus & frivolas atque impias eſſe excuſationes illas, quas obtendunt Sectarii, ne ſaluberrimis ejusdem ſanctionibus parere cogantur.

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CLXVII.

§. 1. Sessio XXIV. Concilii Tridentini. pag. 1.

§. 2. Expositio doctrinæ de Matrimonii Sacramento. 3

§. 3. Duodecim Canones de Matrimonio. 5

§. 4. Decretum de Matrimonio in decem capita distinctum. 8

§. 5. Caput I. De Matrimoniis clandestinis. ibid.

§. 6. Caput II. De cognationis Spiritualis gradibus Matrimonium impedientibus. 13

§. 7. Caput III. De impedimento publicæ honestatis. 14

§. 8. Caput IV. De impedimento affinitatis ex fornicatione. 15

§. 9. Caput V. Pœnæ contra eos, qui matrimonium in gradibus prohibitis ineunt. ibid.

§. 10. Caput VI. Pœnæ contra raptores. 16

§. 11. Caput VII. De Matrimoniis vagorum. 17

§. 12. Caput VIII. Pœnæ concubinariorum. ibid.

§. 13. Caput IX. Nemo ad matrimonium cogendus. 19

§. 14. Caput X. De tempore, quo matrimonia inire licet. ibid.

§. 15. Caput I. De reformatione generali, & de creatione Episcoporum, ac Cardinalium. 22

§. 16.

§. 16. Caput II. De Conciliis Provincialibus, & Synodis Diæceſanis. 26
§. 17. Caput III. De Viſitationibus Epiſcoporum in ſuis Diæceſibus. 28
§. 18. Caput IV. De Epiſcoporum officio circa prædicationem. 31
§. 19. Caput V. De cauſſis criminalibus Epiſcoporum. 33
§. 20. Caput VI. De Epiſcoporum poteſtate in diſpenſatione irregularitatum &c. 34
§. 21. Caput VII. De Epiſcoporum Sollicitudine in inſtruendo populo. 35
§. 22. Caput VIII. De inſtituendo Pœnitentiario. 36.
§. 23. Caput IX. De Viſitatione Eccleſiarum, quæ ſunt nullius Diæceſis. 37
§. 24. Caput X. De exequendis Epiſcoporum edictis in eorum viſitationibus. ibid.
§. 25. Caput XI. De conſervandis Epiſcoporum juribus. 38
§. 26. Caput XII. De Canonicorum qualitatibus, eorumque Officiis. 40
§. 27. Caput XIII. De Eccleſiis, quæ reditibus vacant. 45
§. 28. Caput XIV. De juribus in Beneficiorum poſſeſſionibus. 49
§. 29. Caput XV. De Præbendarum nimis tenuium reditibus augendis. 50
§. 30. Caput XVI. De Capituli officiis Sede vacante. 51
§. 31. Caput XVII. De Beneficiorum unione. 53
§. 32. Caput XVIII. De ſelectu, & Parochorum examine. 55
§. 33. Caput XIX. De gratiis exſpectativis, & Reſervationibus. 60
§. 34. Caput XX. De modo, quo cauſſæ in tribunali Eccleſiaſtico inſtituendæ ſint. 62
§. 35. Caput XXI. Quædam Seſſionis decimæ ſeptimæ verba melius explicata. 65

§. 36. Quorumdam Præſulum animadverſiones in hæc decreta. 66
§. 37. Hæc decreta a Legatorum primo approbata. 69
§. 38. Seſſio proxima per decretum indicta. ib.
§. 39. Hiſpaniæ Rex a Papa Synodi continuationem petens. 70
§. 40. Lotharingii Cardinalis conſilium de abſolvenda Synodo. 72
§. 41. Legatorum Sollicitudo pro diſcutiendis quæſtionibus. 74
§. 42. Congregationes generales pro diſciplinæ, ac dogmatum examine. 75
§. 43. Novi articuli a variis Præſulibus propoſiti. 77
§. 44. Variæ opiniones circa frugalitatem Epiſcoporum. ibid.
§. 45. Lunenſis Comes Hiſpaniæ Regis reſponſum expectari poſtulans. 78
§. 46. Quæſtionum diſcuſſio a Patribus maturata. 81
§. 47. Primi Legati oratio ad Patres circa Synodi exitum. 82
§. 48. Seſſio XXV. & poſtrema, ſeu nona ſub Pio IV. 86
§. 49. Decretum primum de Purgatorio. 89
§. 50. Decretum II. De invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris imaginibus. 90
§. 51. De reformatione Regularium, & Monialium. 96
Caput I. Regulares omnes ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant: id ut fiat, Superiores ſedulo curent. 97
§. 52. Caput II. Proprietas regularibus omnino prohibetur. 98
§. 53. Bona immobilia poſſidendi facultas Regularibus conceſſa. 98

Caput

Caput III. Omnia monaſteria, quæ hic non prohibentur, poſſunt poſſidere bona immobilia: numerus perſonarum in illis pro modo facultatum, aut Eleemoſynarum conſtituendus: nulla ſine licentia Epiſcopi erigenda. 99
§. 54. De religioſorum exitu. 100
Caput IV. Regularis ſine Superioris licentia nec ſe obſequio alterius loci, aut perſonæ ſubjiciat: nec a conventu recedat: abſens ſtudiorum cauſſa in Conventibus commoretur. 102
§. 55. De clauſura Monialium. 103
Caput V. Clauſuræ Monialium, præſertim quæ extra Urbes agunt, providetur. 103
§. 56. De Superiorum electionibus. 104
Caput VI. Ratio eligendi Superiores. 105
§. 57. De electione Superiorum in Monialium Monaſteriis. ibid.
Caput VII. Quæ & quomodo in Abbatiſſas, & quocunque nomine Præfectas eligendæ: duobus Monaſteriis nulla præficiatur. 106
§. 58. De Monaſteriis Sedi Apoſtolicæ ſubjectis. 106
Caput VIII. Regimen Monaſteriorum, non habentium Ordinarios Regulares Viſitatores, quo modo inſtituendum. 107
§. 59. De Monialium Monaſteriis Pontifici ſubditis. 111
Caput IX. Monialium Monaſteria immediate ſubjecta Sedi Apoſtolicæ ab Epiſcopo regantur: alia vero a Deputatis in Capitulis generalibus, vel aliis Regularibus. 111
§. 60. De Monialium Confeſſariis. ibid.
Caput X. Monaſteria immediate ſubjecta Sedi Apoſtolicæ ab Epiſcopo regantur: alia vero a deputatis in Capitulis generalibus, vel aliis Regularibus. 111
§. 61. De Monialium Confeſſariis. 113

Caput X. Moniales unoquoque menſe confiteantur, & communicent: de Confeſſario extraordinario iis ab Epiſcopo provideatur: apud illas extra publicam Eccleſiam Euchariſtia non conſervetur. 113
§. 61. De Parochis Religioſis. 114
Caput XI. In Monaſteriis, quibus imminet cura perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum familia, viſitet Epiſcopus, & eidem curæ præficiendas examinet, certis exceptis. 114
§. 62. De cenſurarum obligatione. 115
Caput XII. Conformentur regulares ſæcularibus in obſervatione cenſurarum Epiſcopalium, & feſtorum Diœceſis. 115
§. 63. De Sedis prærogativa inter Regulares, & ſæculares Clericos. 115
Caput XIII. Controverſias de præcedentia e veſtigio componat Epiſcopus. Exempti non in ſtrictiori clauſura viventes ad ſupplicationes publicas accedere compellantur. ibid.
§. 64. De puniendis Regularibus. 116
Caput XIV. Regulari publice delinquenti pœna a quo irroganda. 116
§. 65. De profeſſionis tempore. 117
Caput XV. Profeſſio non fiat niſi anno probationis exacto, & decimo ſexto ætatis completo. 117
§. 66. De Novitiorum ceſſionibus. ibid.
Caput XVI. Renuntiatio, aut obligatio facta ante duos menſes proximos profeſſioni ſit nulla: finita probatione Novitii aut profiteantur, aut ejiciantur. In pio Clericorum Societatis Jeſu inſtituto nihil innovatur. Cavetur, ne quid ex bonis novitii monaſterio tribuatur ante profeſſionem. ibid.
§. 67. De Examine Monialium.
Caput XVII. Puella major duodecim annis, ſi habitum regularem ſuſcipere voluerit, exploretur

retur ab Ordinario: iterumque ante profeſſionem. 119
§. 68. Anathema in eos, qui profeſſionem impediunt, vel ad eam cogunt. 120
Caput XVIII. Ne quis præterquam in caſibus a jure expreſſis, cogat mulierem ad ingrediendum Monaſterium, aut ingredi volentem prohibeat: pœnitentium, ſeu convertitarum conſtitutiones ſerventur. 120
§. 69. De reclamantibus contra ſuam Profeſſionem.
Caput XIX. Quomodo in cauſſis deficientium a Religione procedendum. 122
§. 70. De viſitatione Monaſteriorum.
Caput XX. Superiores Ordinum Epiſcopis non ſubjecti inferiora Monaſteria viſitent, ac corrigant, etiam commendata. 123
§. 71. De Monaſteriis in commendam datis.
Caput XXI. Monaſteria Regularibus conferantur: Ordinum capita nemini in poſterum commendentur. 124
§. 72. De obſervatione horum decretorum.
Caput XXII. Prædicta de reformatione Regularium nulla mora interpoſita obſerventur. 126
§. 73. Decretum de Reformatione.
Caput I. Cardinales, atque omnes Eccleſiarum Prælati modeſtam ſuppellectilem, & menſam habeant: Conſanguineos, familiaresque ſuos ex bonis Eccleſiarum non augeant. 128
§. 74. De horum decretorum acceptatione.
Caput II. A quibus nominatim Decreta Concilii ſolemniter recipi, & doceri debeant. 131
§. 75. De excommunicationis uſu.
Caput III. Excommunicationis gladio temere non utendum: ubi executio realis, aut perſonalis fieri poteſt, a cenſuris abſtinendum. iisque civili Magiſtratui ſe immiſcere nefas eſto. 133
§. 76. De reductione Miſſarum.

§. 77.

Caput IV. Ubi nimius eſt Miſſarum faciendarum numerus, ſtatuant Epiſcopi, Abbates, & Generales Ordinum, quod expedire judicaverint. 136
§. 77. De Fundationibus,
Caput V. Rebus bene conſtitutis annexum onus habentibus nihil detrahatur. 137
§. 78. De Capitulis exemptis.
Caput VI. Qui ſe gerere debeat Epiſcopus quoad viſitationem Capitulorum exemptorum. 138
§. 79. De Acceſſu, & Regreſſu.
Caput VII. Acceſſus, & regreſſus ad beneficia tolluntur: Coadjutor quomodo, cui, & ex qua cauſſa concedendus. 141
§. 80. De Hoſpitalium Miniſtris.
Caput VIII Miniſtratorum Hoſpitalium munus: eorum negligentia, a quibus, & qua ratione coercenda. 143
§. 81. De jure Patronatus. 145
Caput IX. Quomodo probandum jus Patronatus: cui deferendum munus patronorum: acceſſiones vetitæ: quibus id juris non acquiratur. 146
§. 82. De Judicibus delegatis.
Caput X. Judices a Synodo deſignandi, qui delegentur a Sede Apoſtolica, a quibus, & Ordinariis cauſſæ breviter terminandæ. 150
§. 83. De Locationibus Beneficiorum.
Caput XI. Variæ locationes bonorum Eccleſiaſticorum prohibentur: quædam factæ irritantur. 152
§. 84. De Solutione Decimarum.
Caput XII. Decimæ integre perſolvendæ: eas ſubtrahentes excommunicandi: Rectoribus Eccleſiarum tenuium pie ſubveniendum. 153
§. 85. De juribus exequiarum.
Caput XIII. Quartam funeralium Cathedrales, vel Parochiales Eccleſiæ recipiant. 154
§. 86. De Concubinariis.

Caput

Caput XIV. De Pœnis contra Clericos Concubinarios. 155
§. 87. De Clericis illegitimis.
Caput XV. Filii Clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi. 158
§. 88. De Vicariis perpetuis.
Caput XVI. Beneficia curata non convertantur in ſimplicia: ei, in quem translata fuerit cura animarum, aſſignetur congrua portio. Vicariæ ceſſent, cura ad titulos revocata. 159
§. 89. De Veneratione Epiſcopis debita.
Caput XVII. Epiſcopi dignitatem ſuam morum gravitate commendent: nec cum Regum miniſtris, Regulis, aut Baronibus, indigna demiſſione ſe gerant.
§. 90. De Decretorum diſpenſatione.
Caput XVIII. Canones ad amuſſim ſerventur: ſi quando in eis diſpenſandum, id valide, mature, & gratis fiat. 161
§. 91. De Duello.
Caput XIX. Monomachia, ſive duellum pœnis graviſſimis punitur. 162
§. 92. De Principum patrocinio erga Clericos.
Caput XX. Quæ ſunt juris Eccleſiaſtici Principibus Sæcularibus commendantur. 164
§. 93. Clauſula Synodi Decretis appoſita.
Caput XXI. In omnibus ſalva Sedis Apoſtolicæ Auctoritas maneat. 167

LIBER CLXVIII.

§. 1. Seſſio XXV. continuata: indulgentiarum decretum in Congregatione confectum, atque approbatum. 168
§. 2. Decretum de indulgentiis. 169
§. 3. Decretum de delectu ciborum, jejuniis, & diebus feſtis. 171
§. 4. Decretum de libris prohibitis, Catechismo, Breviario, & Miſſali. ibid.
§. 5. Declaratio circa Ordinem Oratorum in Concilio. 172

§. 6. Decretum de Synodi decretis recipiendis, atque obſervandis. 173
§. 7. Decretum de finiendo, & confirmando Concilio. 175
§. 8. Acclamationes a Lotharingio Cardinale pronuntiatæ, & reſponſiones Patrum. 177
§. 9. Patres Synodi actis ſubſcribere juſſi. 180
§. 10. Moroni, & Simonettæ Legatorum adventus Romam. 184
§. 11. Pontificis conſilia pro confirmanda Synodo, atque urgenda illius executione. 186
§. 12. Papa Tridentinam Synodum confirmare rogatus. 188
§. 13. Calviniſtarum crudelitates poſt Drocenſe prælium. 189
§. 14. Guiſius Dux prope Aureliam occiſus. 190
§. 15. Reginæ ſtudium de Wittembergenſi Duce in Franciam advocando. 192
§. 16. Reginæ conſilium de pace ineunda. 193
§. 17. Miniſtrorum petitio de exequendo Januarii edicto. 195
§. 18. Pacis articuli a Paſtoribus Calviniſtarum propoſiti. 196
§. 19. Princeps Condæus rejectis hiſce articulis nonniſi Nobilium ſententias rogans. 197
§. 20. Edicti Ambaſiani articuli de pace cum Calviniſtis. 198
§. 21. Archithalaſſus in Normaniam profectus hanc pacem præpediturus. 200
§. 22. Edictum pro confirmatione ad Pariſienſem Curiam transmiſſum. ibid.
§. 23. Calviniſtæ Aurelia excedentes. 201
§. 24. Varvicenſis Comes ad reddendum Gratiæ portum a Rege ſollicitatus. 202
§. 25. Renuente Comite urbs a Gallis obſeſſa, captaque. ibid.
§. 26. Carolus IX. Tutelam egreſſus a Rothomagenſi Senatu declaratur. 204
§. 27. Regina Regni adminiſtrationem abdicans. 206

§. 28.

§. 28. Decimarum jura Ecclesiasticis per Regis edictum asserta. 207
§. 29. Parisiensis Curia edictum de majori Regis ætate acceptare recusans. 208
§. 30. Regis responsum ad Parisiensis Senatus Deputatos. ibid.
§. 31. Regis interdictum de libris absque ejus approbatione non imprimendis. 210
§. 32. Aliud edictum in favorem Parochorum. 211
§. 33. Jacobi Putei Cardinalis obitus. ibrd.
§. 34. Duo Cardinales a Papa creati. 213
§. 35. Papa Angliæ Reginam anathemate percellere tergiversatus. 214
§. 36. Articuli Londinensis Concilii sub Elisabetha. 215
§. 37. Wolffgangi Musculi Lutherani mors. 220
§. 38. Opera ab hoc Scriptore edita. 222
§. 39. Sebastiani Castallionis obitus. 224
§. 40. Ejusdem latina, & Gallica Sacræ Scripturæ versio. 225
§. 41. Alia ejusdem Auctoris opera. 227
§. 42. Carolus Molinæus Lugduni captus, ac demum liber dimissus. 229
§. 43. Theologicæ Facultatis oppositio de Religiosis præter consuetum numerum non admittendis. 231
§. 44. Morlasienfis Antitrinitariorum Synodus. 232
§. 45. Ochinus Tiguro pulsus, ac in Poloniam veniens. 233
§. 46. Errores in Polonia ab Ochino sparsi. 234
§. 47. Ochinus Commendoni opera e Polonia ejectus. 236
§. 48. Ochinus in Moraviam auffugiens, ibique peste sublatus. 237
§. 49. Bernardini Ochini opera. ibid.
§. 50. Pii IV. Bulla pro Tridentinæ Synodi confirmatione. 239
§. 51. Cardinalis Borromæi epistola ad utrumque Hispa-

Hiſpaniæ Nuntium circa hanc confirmationem. 247
§. 52. Tempus, quo Synodi decreta obligare incipiant, a Papa indictum. 248
§. 53. Diſſidium circa loci prærogativam inter Benedictinos, & Canonicos Regulares a Papa compoſitum. 249
§. 54. Bulla contra Græcos Sacræ Sedi ſubjectos. 250
§. 55. Regis Luſitani Epiſtola ad Papam circa Synodi confirmationem. 251
§. 56. Concilium Tridentinum a Venetis receptum. 252
§. 57. Regis Hiſpaniæ conſultatio de modo hoc Concilium recipiendi. 253
§. 58. Galli hoc Concilium recipere tergiverſantes. 254
§. 59. Gallorum querelæ contra agendi rationem Cardinalis Lotharingii. 255
§. 60. Difficultates Nuntio Apoſtolico propoſitæ contra Synodi receptionem. 257
§. 61. Hiſpaniæ Regis, & Sabaudiæ Ducis Legatio ad Regem ob hanc repulſam. 258
§. 62. Regis reſponſum ad hoſce Oratores. 259
§. 63. Pariſienſis Curia Concilii receptioni obſiſtens. 260
§. 64. Molinæi conſultatio adverſus Concilium Tridentinum. 263
§. 65. Molinæus in carcerem conjectus, ac poſtea Regis juſſu liberatus. 266
§. 66. Alia ejusdem Molinæi conſultatio circa electionem Petri Crequii ad Ambianum Epiſcopatum. 269
§. 67. Nova Pontificis molimina ad urgendam Synodi receptionem in Galliis. 271
§. 68. Pontificis conatus circa Synodum in Germania recipiendam. 272
§. 69. Cæſaris poſtulatum circa Calicis uſum a Papa Cardinalibus propoſitum. 274
§. 70. Calicis uſus Germanis conceſſus. 275

§. 71.

§. 71. Aliud Cæsaris postulatum circa uxores Sacerdotibus reversis relinquendas. 277
§. 72. Iteratæ Maximiliani II. preces circa Sacerdotum conjugia. 278
§. 73. Cæsaris rationes pro indulgendo Sacerdotum conjugio. 279
§. 74. Pontificis conatus pro Concilio in Polonia recipiendo. 282
§. 75. Ecclesiæ disciplina in Poloniæ regno eversa. 283
§. 76. Religio in Polonia eversa ob Præsulum dissensiones. ibid.
§. 77. Synodus Nationalis in Polonia per Commendonum impedita. 286
§. 78. Gnesnensis Archiepiscopi hanc Synodum urgentis artes a Commendono dissipatæ. 287
§. 79. Impressa Tridentinæ Synodi decreta Commendono a Pontifice transmissa. 288
§. 80. Synodi Decreta a Commendono Regi tradita. 289
§. 81. Commendoni oratio in pleno Senatu habita pro Synodi promulgatione. 290
§. 82. Senatus hoc sermone pie commotus. 296
§. 83. Tridentina Synodus a Rege, ac Senatu promulgata. 297
§. 84. Cardinales de Synodi promulgatione a Polonis facta per Papam edocti. 298
§. 85. Variæ Pontificis Bullæ pro disciplina. 299
§. 86. Bulla Pontificis circa juramentum de profitenda fide. 301
§. 87. Fidei Professionis norma. 302
§. 88. Ejusdem Pontificis diploma circa Indicem librorum prohibitorum. 307
§. 89. Regulæ indicis circa librorum prohibitionem. ibid
§. 90. Sodalitates a Papa vel erectæ, vel confirmatæ. 317
§. 91. Initia Oratorii a S. Philippo Nerio erecti. 319

§. 92. Deputatus ab Armenorum Patriarcha ad Papam ablegatus. 323
§. 93. Hiſpaniæ Rex Papam exorans pro obtinenda B. Didaci Canonizatione. 325
§. 94. Franciæ Regis epiſtola ad Papam circa Navarræ Reginam. 326
§. 95. Franciæ edictum pro alienatis Eccleſiarum bonis. 330
§. 96. Novum edictum Ruſſinone promulgatum pro dilucidando pacis decreto. 331
§. 97. Calviniſtarum querelæ contra hoc edictum. 335
§. 98. Carpii Cardinalis obitus. 336
§. 99. Guidonis Aſcanii Sfortiæ Cardinalis extrema. 340
§. 100. Cardinalis de Monte mortuus. 341
§. 101. Bartholomæi Camerarii fata. 343
§. 102. Thomæ Campegii obitus. 344
§. 103. Friderici Staphyli extrema. 352
§. 104. Calvini hæreſiarchæ interitus. 353
§. 105. Calvini opera. 354
§. 106. Martinus Borrhæus mortuus. 356
§. 107. Theodori Bibliandri obitus. 358
§. 108. Vani conatus de Lutheranis & Zwinglianis inter ſe uniendis. 360
§. 109. Maulbrunenſe colloquium inter utramque factionem. 361
§. 110. Utraque facticne Victoriam canente, re indeciſa diſceſſum. 363
§. 111. Scholæ in Pariſienſi Jeſuitarnm Collegio inchoatæ. 364
§. 112. Quædam Simonis Vigoris propoſitiones examinatæ. 365
§. 113. Novum Teſtamentum in lingua Syriaca editum. 367
§. 114. Regina Scotiæ ad recipiendum Concilium Tridentinum a Pontifice ſollicitata. 368

§. 115.

§. 115 Repetitæ Maximiliani Cæsaris preces pro obtinendo Sacerdotum connubio. 369
§. 116. Conspiratio in Pontificem ab Accoltio conflata. 370
§. 117. Variæ Constitutiones a Pio IV. editæ. 372.
§. 118. Immoderatum Pontificis studium in amplianda sua familia. 373
§. 119. Pontificis severitas erga Balneum, Corneum, Vitellium, & Bentivolium. 375
§. 120. Viginti tres Cardinales a Pio IV. creati. 377

LIBER CLXIX.

§. 1. Historia vitæ Cardinalis Borromæi. 381
§. 2. Sub Pio IV. Cardinalis creatus, ac gravibus negotiis præpositus. 383
§. 3. Sancta Caroli vita, ejusque desiderium sese ad Monasterium recipiendi. 385
§. 4. Borromæus relicta Aula Romana Mediolani in sua Diæcesi commorans. 387
§. 5. Concilium Provinciale Mediolani ab eo convocatum. 388
§. 6. Acta, & Statuta primi Concilii Mediolanensis. 389
§. 7. Actum de Ecclesiasticorum officiis. 391
§. 8. Synodi statuta pro Monialibus, & Nosocomiis. 393
§. 9. Papa datis ad Carolum literis felicem Synodi exitum gratulatus. 395
§. 10. Rhemensis Conventus a Lotharingio Cardinale celebratus. 397
§. 11. Hujus Synodi statuta. 400
§. 12. Victoriaci-Francici Parochi, necnon Bellovacensis Episcopi causa ibidem examinata. 401
§. 13. Concilium Cameracense. 404
§. 14. Concilium Toletanum. 406

§. 15. Pontificis diploma in favorem Ordinis ſancti Lazari. 406
§. 16. Cardinalis Borromæus in Etruria de Pontificis morbo certior factus. 411
§. 17. Pii IV. Papæ obitus. 412
§. 18. Conclave pro eligendo Pontifice. ibid.
§. 19. Borromæi ſtudia erga Cardinalem Moronum. 413
§. 20. Borromæus Boncompagno, & Sirleto favens. 415
§. 21. Cardinalis Alexandrinus Borromæi opera in Papam electus. 417
§. 22. Friderici Gonzagæ Cardinalis obitus. ibid.
§. 23. Cæſii Cardinalis mors. 419
§. 24. Navagerus Cardinalis mortuus. 420
§. 25. Alphonſi Caraffæ Cardinalis extrema. 423
§. 26. Ranutius Farneſius Cardinalis ultimam diem claudens. 424
§. 27. Mors Cardinalis Pasquæ. 426
§. 28. Vicecomes Cardinalis Naturæ debitum ſolvens. 427
§. 29. Bozzuti Cardinalis fata. 429
§. 30. Alexandri Aleſii Proteſtantis interitus. 430
§. 31. Turcæ Melitam obſidentes, ac profligati. 432
§. 32. Juramenti formula Regis Franciæ juſſu a Calviniſtis ſignanda. 433
§. 33. Continuatæ Univerſitatis vexationes contra Jeſuitas. 436
§. 34. Quæſtiones coram Rectore Jeſuitis propoſitæ. ibid.
§. 35. Jeſuitæ ad Regium Senatum provocantes. 437
§. 36. Molinæi judicium circa hoc negotium. 439
§. 37. Petrus Verſorius pro Jeſuitis perorans. 440
§. 38. Verſorii reſponſa ad argumenta contra Societatis Inſtitutum propoſita. 443

§. 39.

§. 39. Declamatio Pasquerii in Universitatis favorem contra Jesuitas. 447
§. 40. Alia oratio Joannis Baptistæ Mesnili Procuratoris Generalis. 454
§. 41. Suas lectiones prosequi Jesuitis permissum, nec tamen Universitati aggregati. 456
§. 42. Origo tumultuum Belgicorum. 457
§. 43. Calviniste ad seditionis suæ obtentum Tridentini Concilii promulgatione utentes. 458
§. 44. Hispaniæ Regis mandata per Egemontium Comitem ad Gubernatricem deferenda. 460
§. 45. Mutato priori consilio severiora mandata a Philippo injuncta. 462
§. 46. Gubernatricis edictum pro exequendis Hispaniæ Regis mandatis. 464
§. 47. Plures Theologiæ Tractatus a Bajo editi. 466
§. 48. Baji Tractatus de peccato originali. 467
§. 49. Tractatus de merito operum. 474
§. 50. Baji Tractatus de prima hominis justitia. 477
§. 51. Baji Tractatus de virtutibus impiorum. 478
§. 52. Baji Tractatus de Sacramentis in genere. 480
§. 53. Tractatus de forma Baptismi. 481
§. 54. Controversia inter Franciscanos circa confessionem. ibid.
§. 55. Propositiones ex Baji libris excerptæ, atque ab ejus adversariis ad Hispaniæ Regem transmissæ. 482
§. 56. Ravesteinii Epistola ad Villavicentium contra Bajum. 483
§. 57. Censura libri Mirabilis a Facultate Parisiensi pronuntiata. 488
§. 58. Palinodia Patris Volantii Ordinis Fratrum Minorum. 489
§. 59. Colloquium in Polonia inter Pinczovienses, & spurios Reformatores. 490
§. 60. Initium disputationi datum ab examine Mysterii SS. Trinitatis. 491

§. 61. Falsa verborum sancti Joannis explicatio. 494
§. 62. Pinczovienses ira commoti, ac dissoluto conciliabulo secedentes. 495
§. 63. Actum de parvulorum baptismo. 497
§. 64. Bresvicensis, & Wengroviensis Synodus circa eandem quæstionem. 498
§. 65. Valentini Gentilis historia continuata. 502
§. 66. Valentinus instructis judicii actis capite plexus. 504
§. 67. Hujus Hæretici opera. 505
§. 68. Historia Matthæi Gribaldi alterius Anabaptistæ. 507
§. 69. Gribaldi errores, & opera. 509
§. 70. Historia vitæ Pii V. ante ejus Pontificatum. 511
§. 71. Caraffæ ab eodem pristinis honoribus, ac dignitatibus restituti. 515
§. 72. Pontificis studium in hæreticis inquirendis, ac plectendis. 516
§. 73. Ejusdem Constitutiones contra Lupanaria Romana. 517
§. 74. Alia decreta pro Pontificio Palatio, & Cardinalibus. 519
§. 75. Variæ ejusdem Pontificis Constitutiones. 520
§. 76. Diversum Romæ judicium de hisce Sanctionibus. 522
§. 77. Quidam Judæus a Pio V. ad Christi fidem conversus. ibid.
§. 78. Chios, seu Scio Insula a Turcis occupata. 524
§. 79. Comitia a Cæsare Augustæ celebrata. 525
§. 80. Commendonus Cardinalis ad comitia Augustana delatus. 526
§. 81. Archiepiscopi Moguntini responsum ad Legatum circa Synodum Tridentinam. 528
§. 82. Pontificis mandata Legato tradita, ac Cæsari significanda. 529
§. 83. Conventus Augustani exitus. 531

§. 84.

§. 84. Pontificis liberalitas erga Equites Melitenſes. 532
§. 85. Confeſſio Auguſtana Magdeburgi acceptata. 534
§. 86. Monaſterienſis Epiſcopus Canonicis ob concubinarum ejectionem exoſus. 535
§. 87. Franciæ Rex Mulinum profectus. 536
§. 88. Cancellarii Oratio in Mulinenſibus comitiis habita. 538
§. 89. Edictum Mulinenſe circa Eccleſiæ res. 541
§. 90. Hoc edictum in Senatu confirmatum. 543
§. 91. Colinii cum Guiſiis reconciliati. ibid.
§. 92. Pariſienſe colloquium inter Catholicos, & Proteſtantes. 544
§. 93. Apamienſis conflictus inter Catholicos, & Proteſtantes. 546
§. 94. Jouſa Comes a Proteſtantibus Urbis ingreſſu prohibitus. 547
§. 95. Reorum nonnulli ob contumaciam damnati. 549
§. 96. Tumultus in Belgio continuati. 550
§. 97. Libellus ſupplex a conjuratis Gubernatrici porrectus. 552
§. 98. Gubernatricis reſponſum ad hunc libellum. 553
§. 99. Origo nominis Geuſii Proteſtantibus in Belgio attributi. 554
§. 100. Libellus conjuratis a Gubernatrice redditus adjecta ad marginem reſponſione. 555
§. 101. Pietatis erga Beatiſſimam Virginem in Belgio inſtitutæ exercitium. 556
§. 102. Novus libellus Gubernatrici porrectus. 557
§. 103. Conjurati ſuam ſocietatem edito libello honeſtare ſatagentes. 559
§. 104. Gubernatricis Epiſtola ad Provinciarum Rectores circa hunc conjuratorum libellum. 560.
§. 105. Publici ſermones ab hæreticis confluente populo habiti. 562

§. 106. Alius libellus Gubernatrici a Proteſtantibus porrectus. 563
§. 107. Orangii adventus Antverpiam. 564
§. 108. Fœderatorum conventus Trudonopoli. 565
§. 109. Hæreticorum querelæ coram Orangio Principe expoſitæ. 566
§. 110. Alius Fœderatorum libellus ad Gubernatricem. 569
§. 111. Antverpia a Principe Orangio novo Gubernatore præſidio munita. ibid.
§. 112. Moderata Hiſpaniæ Regis juſſa, ſed nimis tarda. 570
§. 113. Hæreticorum rabies in Eccleſias Catholicorum. 571
§. 114. Cathedralis Antverpienſis Eccleſia ab hæreticis occupata. 574
§. 115. Gubernatrix convocato Senatu hiſce malis opem allatura. 575
§. 116. Gubernatrix Bruxellis abire cogitans, ſed præpedita. 576
§. 117. Mansfeldius Comes Bruxellenſis Urbis Præfectus ab eadem nominatus. 577
§. 118. Gubernatrix ab Hiſpaniæ Rege milites conducere juſſa. 578
§. 119. Fœderati Teneramundæ circa Hiſpaniæ Regis adventum deliberantes. 581
§. 120. Solemne Fœderatorum juramentum. 583
§. 121. Hæreticorum Antverpienſium conſilia pro defenſione. ibid.
§. 122. Hæreticorum libellus ſupplex per Hochſtratum Gubernatrici porrectus. 585
§. 123. Gubernatricis ſtudium circa diſſidia inter Fœderatos conflanda. 587
§. 124. Ejusdem conſilium pro deprimenda ſeditioſorum audacia. 588
§. 125. Brederodius copias conſcribere juſſus. 590
§. 126. Fœderatorum libellus ad Gubernatricem miſſus. 591
§. 127. Reſponſum ad hunc libellum. 593

HISTO-

Finis Concilii Tridentini.

Kauber fec. A. V.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXVII.

PIUS IV. PONTIFEX MAXIMUS,
FERDINANDUS I. OCCID. IMP.

§. I.

Sessio XXIV. Concilii Tridentini. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Cum omnia, prout in priori libro memoravimus, essent disposita, una omnes eo intenti erant, ut Sessio, quæ erat vigesima quarta, celebrare- *Lab. Collect. Conc. tom. 14. p. 814. & seq.*

Sæcul. XVI A.C. 1563.

Pallav. hist. Conc. Trid. l. 23. c. 8. n. 7. & seq. Sarp. hist. Conc. l. 8. p. 765.

tur, cui etiam mane die undecima Novembris dabatur initium, atque ad seram usque noctem protrahebatur. Celebrabat solemne sacrum de Spiritu Sancto Georgius Cornarus, seu Cornelius Travisanus Episcopus, Franciscus vero Richardotus Atrebatensis Episcopus sermonem latinum pronuntiabat, ac pro themate assumebat Evangelium ex capite vigesimo primo S. Joannis postea recitatum, ubi mentio fit de miraculo, quod Christus Dominus patrabat in nuptiis Canæ Gallileæ: porro hic textus studiose seligebatur, eoquod Matrimonii Sacramento, quod in hac Sessione definiendum erat, percommodus esset: inter cetera vero idem Præsul in suo sermone hæc effatus est: „ jam totum „biennium hæc sanctissima Synodus „parturit, omnesque in summam expe„ctationem adducit ejusdem partus, „non ergo convenit, ut fœtum aliqua „sui parte truncatum, aut mutilatum „in lucem emittat, cum prolem solidis „membrorum artubus præditam, & „partum integrum orbis expectet: id „vero ut ad effectum deduci queat, in „Apostolos intuendum, & in Martyres, & „Ecclesiam antiquam, eaque sibi propo„nenda est in exemplar, unde prolis „nascituræ similitudo, & lineamenta „sumantur: hæc eadem sit doctrina, „reli-

„religio, eademque disciplina; quæ o- Sæc. XVI.
„mnia cum his temporibus degenera- A.C. 1563.
„rint, in pristinum statum restituantur,
„nam hoc illud esse comperitur, quod
„tamdiu exspectationem totius Chri-
„stianæ Reipublicæ excitavit, atque
„etiamnum excitat.„ His dictis, peractaque re divina recitabantur literæ Margarithæ Austriacæ Belgii Administratricis, necnon juxta ordinem, quo Tridentum venerant, Florentini, & Melitensis Oratorum mandata prælegebantur.

§. II.

Expositio doctrinæ de Matrimonii Sacramento.

Postea idem Prælatus, qui sacris operabatur, alta voce Canones, & decreta circa Matrimonium recitabat: præmiserat tamen brevem præfationem, seu introductionem, quæ continebat expositionem doctrinæ de hoc Sacramento, eratque illa his concepta verbis: „Matrimonii perpetuum, indis- *Labb. l. c.*
„solubilemque nexum, primus humani
„generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc* *Geneſ.* 11.
„*nunc os ex ossibus meis. & caro de* *v.* 23.
„*carne mea:* quam ob rem *relinquet ho-* *Epheſ.* 5.
„*mo patrem suum & Matrem, & adhæ-* *v.* 31.
„*rebit uxori suæ, & erunt duo in car-* 1. *Cor.* 6. *v.* 17.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„*ne una.* Hoc autem vinculo duos „tantummodo copulari, & conjungi, „Chriſtus Dominus apertius docuit, „cum poſtrema illa verba tanquam a „Deo prolata referens, dixit: *itaque jam non ſunt duo, ſed una caro,* ſta„timque ejusdem nexus firmitatem, ab „Adamo tanto ante pronuntiatam, his „verbis confirmavit: *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Matth. 19. *v.* 5.

Marc. 10. *v.* 9.

„Gratiam vero, quæ naturalem il„lum amorem perficeret, & indiſſolu„bilem unitatem confirmaret, conju„gesque ſanctificaret, ipſe Chriſtus ve„nerabilium Sacramentorum inſtitutor, „atque perfector, ſua nobis paſſione „promeruit, quod Paulus Apoſtolus in„nuit, dicens: *Viri diligite uxores veſtras, ſicuti Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea;* mox ſubjungens, *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

Epheſ. 5. *v.* 28. & 32.

„Cum igitur Matrimonium in lege „evangelica veteribus connubiis per „Chriſtum gratia præſtet; merito in„ter novæ legis Sacramenta annume„randum Sancti Patres noſtri, Concilia, „& univerſalis Eccleſiæ traditio, ſemper „docuerunt, adverſus quam impii ho„mines hujus ſæculi inſanientes, non „ſolum perperam de hoc venerabili Sa„cra-

„cramento ſenſerunt, ſed de more ſuo, Sæcul. XVI.
„prætextu Evangelii, libertatem carnis A.C. 1563.
„introducentes, multa ab Eccleſiæ ca-
„tholicæ ſenſu, & ab Apoſtolorum tem-
„poribus probata conſuetudine aliena,
„ſcripto, & verbo aſſeruerunt, non ſine
„magna Chriſti fidelium jactura, quo-
„rum temeritati ſancta, & univerſalis
„Synodus cupiens occurrere inſignio-
„res prædictorum ſchiſmaticorum hæ-
„reſes, & errores, ne plures ad ſe tra-
„hat pernicioſa eorum contagio, exter-
„minandos duxit, hos in ipſos hæreti-
„cos, eorumque errores decernens a-
„nathematiſmos.

§. III.

Duodecim Canones de Matrimonio.

CANON I.

„Si quis dixerit Matrimonium non eſſe
„vere, & proprie unum ex ſeptem
„legis evangelicæ Sacramentis a Chri-
„ſto Domino inſtitutum, ſed ab homi-
„nibus in Eccleſia inventum, neque gra-
„tiam conferre, anathema ſit.

II. „Si quis dixerit, licere Chriſtia-
„nis plures ſimul habere uxores, & hoc
„nulla lege divina eſſe prohibitum; a-
„nathema ſit.

III. „Si quis dixerit, eos tantum
„conſanguinitatis, & affinitatis gradus,

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Levit. 7.

„qui in Levitico exprimuntur, posse „impedire matrimonium contrahen„dum, & dirimere contractum, nec pos„se Ecclesiam in nonnullis illorum dis„pensare, aut constituere, ut plures im„pediant, & dirimant; anathema sit.

IV. „Si quis dixerit, Ecclesiam non „potuisse constituere impedimenta Ma„trimonium dirimentia, vel in iis con„stituendis errasse; anathema sit.

V. „Si quis dixerit, propter hære„sim, aut molestam cohabitationem, „aut affectatam absentiam a conjuge, „dissolvi posse matrimonii vinculum; „anathema sit.

VI. „Si quis dixerit, matrimo„nium ratum, non consummatum, per „solemnem Religionis professionem al„terius conjugum non dirimi, anathe„ma sit.

VII. „Si quis dixerit, Ecclesiam „errare, cum docuit, & docet, juxta ev„angelicam, & Apostolicam doctrinam, „propter adulterium alterius conju„gum matrimonii vinculum non posse „dissolvi, & utrumque, vel etiam in„nocentem, qui caussam adulterio non „dedit, non posse altero conjuge viven„te, aliud matrimonium contrahere, „mæcharique eum, qui dimissa adulte„ra aliam duxerit, & eam, quæ dimisso „adultero alii nupserit; anathema sit.

VIII.

VIII. „ Si quis dixerit, Eccleſiam „errare, cum ob multas cauſſas ſepara- „tionem inter conjuges quoad thorum, „ſeu quoad cohabitationem, ad certum, „incertumve tempus fieri poſſe decer- „nit; anathema ſit. Sæc. XVI. A.C.1563.

IX. „ Si quis dixerit, Clericos in ſa- „cris ordinibus conſtitutos, vel Regu- „lares, caſtitatem ſolemniter profeſſos „poſſe matrimonium contrahere, con- „tractumque validum eſſe, non obſtante „lege Eccleſiaſtica, vel voto, & op- „poſitum nihil aliud eſſe, quam damna- „re matrimonium, qui non ſentiunt ſe „caſtitatis, etiamſi eam voverint, ha- „bere donum; anathema ſit; cum Deus „id recte petentibus non deneget, nec „patiatur nos ſupra id, quod poſſimus, „tentari.

X. „ Si quis dixerit, ſtatum conju- „galem anteponendum eſſe ſtatui Vir- „ginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe „melius, ac beatius manere in virgini- „tate, aut cœlibatu, quam jungi matri- „monio; anathema ſit.

XI. „ Si quis dixerit, prohibitionem „ſolemnitatis nuptiarum certis anni „temporibus ſuperſtitionem eſſe tyran- „nicam, ab ethnicorum ſuperſtitione „profectam, aut benedictiones, & alias „ceremonias, quibus Eccleſia in illis u- „titur, damnaverit; anathema ſit.

Sæcul. XVI. A. C. 1563

XII. „ Si quis dixerit, cauſſas ma„trimoniales non ſpectare ad judices „Eccleſiaſticos; anathema ſit.

§. IV.

Decretum de Matrimonio in decem capita diſtinctum.

Idem Epiſcopus, qui rem divinam peragebat, pariter ſequentia duo prælegit decreta, quorum primum de Matrimonio decem capita complectitur, alterum vero in viginti unum articulo diviſum de reformatione agit.

§. V.

CAPUT I.

De Matrimoniis clandeſtinis, ac de Filiorum Familias connubiis.

„ Tametſi dubitandum non eſt, clande„ſtina matrimonia, libero contra„hentium conſenſu facta, rata, & vera „eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia ea „irrita non fecit, & proinde jure da„mnandi ſint illi, ut eos ſancta Synodus „anathemate damnat, qui ea vera, ac „rata eſſe negant; quique falſo affir„mant, matrimonia a filiis familias ſi„ne conſenſu parentum contracta irri„ta eſſe, & parentes ea rata, vel irrita „facere poſſe: nihilominus ſancta Dei „Eccleſia ex juſtiſſimis cauſſis illa ſem-

„per

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„per deteſtata eſt, atque prohibuit: ve-
„rum cum ſancta Synodus animadver-
„teret, prohibitiones illas propter ho-
„minum inobedientiam jam non pro-
„deſſe, & gravia peccata perpendat,
„quæ ex eisdem clandeſtinis conjugiis
„ortum habent: præſertim vero eorum,
„qui in ſtatu damnationis permanent,
„dum priore uxore, cum qua clam con-
„traxerant, relicta, cum alia palam con-
„trahunt, & cum ea in perpetuo a-
„dulterio vivunt, cui malo, cum ab Ec-
„cleſia, quæ de occultis non judicat,
„ſuccurri non poſſit, niſi efficacius ali-
„quod remedium adhibeatur: idcirco
„ſacri Lateranenſis Concilii, ſub Inno-
„centio III. celebrati, veſtigiis inhæ-
„rendo, præcipit, ut in poſterum, ante-
„quam matrimonium contrahatur, ter
„a proprio contrahentium Parocho
„tribus continuis diebus feſtivis in Ec-
„cleſia inter Miſſarum ſolemnia publice
„denuntietur, inter quos matrimonium
„ſit contrahendum: quibus denuntia-
„tionibus factis, ſi nullum legitimum
„opponatur impedimentum, ad cele-
„brationem matrimonii in facie Eccle-
„ſiæ procedatur, ubi Parochus viro, &
„muliere interrogatis, & eorum mu-
„tuo conſenſu intellecto, vel dicat: E-
„go vos in matrimonium conjungo in
„nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„cti, vel aliis utatur verbis, juxta re-
„ceptum uniuscujusque provinciæ ri-
„tum: quod si aliquando probabilis fue-
„rit suspicio, matrimonium malitiose
„impediri posse, si tot præcesserint de-
„nuntiationes, tunc vel una tantum
„denuntiatio fiat, vel saltem Parocho
„& duobus, vel tribus testibus, matri-
„monium celebretur: deinde ante illius
„consummationem denuntiationes in
„Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt im-
„pedimenta, facilius detegantur: nisi
„Ordinarius ipse expedire judicaverit
„ut prædictæ denuntiationes remittan-
„tur, quod illius prudentiæ, & judicio
„sancta Synodus relinquit, qui aliter
„quam præsente Parocho, vel alio Sa-
„cerdote, de ipsius Parochi, seu Ordi-
„narii licentia, & duobus, vel tribus
„testibus matrimonium contrahere at-
„tentabunt, eos sancta Synodus ad sic
„contrahendum omnino inhabiles red-
„dit, & hujusmodi contractus irritos,
„& nullos esse decernit, prout eos
„præsenti decreto irritos facit, & an-
„nullat: insuper Parochum, vel alium
„Sacerdotem, qui cum minore testium
„numero, & testes, qui sine Parocho,
„vel Sacerdote hujusmodi contractui
„interfuerint, nec non ipsos contrahen-
„tes, graviter arbitrio Ordinarii puniri
„præcipit: præterea eadem sancta Sy-
„nodus

„nodus hortatur, ut conjuges ante be- Sæcul. XVI.
„nedictionem ſacerdotalem in templo A.C. 1563.
„ſuſcipiendam in eadem domo non co-
„habitent, ſtatuitque benedictionem a
„proprio Parocho fieri, neque a quo-
„quam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab
„Ordinario, licentiam ad prædictam
„benedictionem faciendam alii Sacer-
„doti concedi poſſe, quacunque con-
„ſuetudine, etiam immemorabili, quæ
„potius corruptela dicenda eſt, vel pri-
„vilegio non obſtante: quod ſi quis Pa-
„rochus, vel alius Sacerdos, ſive re-
„gularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio,
„vel immemorabili conſuetudine lice-
„recontendat, alterius Parochiæ Spon-
„ſos ſine illorum Parochi licentia ma-
„trimonio conjungere, aut benedicere
„auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpen-
„ſus maneat, quamdiu ab Ordinario
„ejus Parochi, qui matrimonio inter-
„eſſe debebat, ſeu a quo benedictio ſu-
„ſcipienda erat, abſolvatur. Habeat
„Parochus librum, in quo conjugum,
„& teſtium nomina, diemque & locum
„contracti matrimonii deſcribat, quem
„diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtre-
„mo ſancta Synodus conjuges hortatur,
„ut, antequam contrahant, vel ſaltem
„triduo ante matrimonii conſumma-
„tionem, ſua peccata diligenter confi-
„teantur, & ad Sanctiſſimum Evcha-
„riſtiæ

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ristiæ Sacramentum pie accedant, si „quæ provinciæ aliis, ultra prædictas, „laudabilibus consuetudinibus, & cere„moniis hac in re utuntur, eas omni„no retineri sancta Synodus vehemen„ter optat: ne vero hæc tam salubria „præcepta quemquam lateant, Ordina„riis omnibus præcipit, ut, cum pri„mum potuerint, curent hoc decretum „populo publicari, ac explicari in sin„gulis suarum diœcesium parochialibus „Ecclesiis, idque in primo anno quam „sæpissime fiat: deinde vero quoties „expedire viderint: decernit insuper, „ut hujusmodi decretum in unaqua„que Parochia suum robur post trigin„ta dies haberi incipiat, a die primæ „publicationis in eadem Parochia factæ „numerandos. „

Hoc decretum a Synodis Provincialibus receptum Ritualibus fuit insertum, ac denique per Blesense edictum ea, quæ in illo sunt majoris momenti, fuere approbata: nihilominus supremi Franciæ Senatus declarant irrita Filiorum-familias matrimonia absque Parentum consensu contracta, atque eadem pronuntiant invalida (*) quamvis hoc

(*) Supple quoad effectus civiles.

hoc expreſſis hujus decreti verbis contrarium ſit. (*) Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. VI.

CAPUT II.

De cognationis ſpiritualis gradibus Matrimonium impedientibus.

„Docet experientia, propter multitu„dinem prohibitionum, multoties „in caſibus prohibitis ignoranter contra„hi matrimonia, in quibus vel non ſi„ne magno peccato perſeveratur, vel „ea non ſine magno ſcandalo dirimun„tur: volens itaque ſancta Synodus „huic incommodo providere, & a co„gnationis ſpiritualis impedimento in„cipiens, ſtatuit, ut unus tantum, ſive „vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Cano„num inſtituta, vel ad ſummum unus, „& una baptizatum de baptiſmo ſuſci„piant: inter quos, ac baptizatum i„pſum, & illius patrem, & matrem, nec „non inter baptizantem, & baptiza„tum, baptizatique patrem, ac matrem „tantum, ſpiritualis cognatio contraha„tur: Parochus antequam ad baptiſ„mum conferendum accedat, diligen„ter

(*) Unde fors non ſolum in Galliis Papa eſt inferior Conciliis, ſed ipſa etiam Concilia generalia ſunt inferiora Parlamentis.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcite-
„tur, quem, vel quos elegerint, ut ba-
„ptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant,
„& eum, vel eos tantum ad illum ſuſci-
„piendum admittat, & in libro eorum
„nomina deſcribat, doceatque eos,
„quam cognationem contraxerint, ne
„ignorantia ulla excuſari valeant: quod
„ſi alii ultra deſignatos, baptizatum
„tetigerint, cognationem ſpiritualem
„nullo pacto contrahant, conſtitutioni-
„bus in contrarium facientibus, non
„obſtantibus: ſi Parochi culpa, vel ne-
„gligentia ſecus factum fuerit, arbitrio
„Ordinarii puniatur: ea quoque cogna-
„tio, quæ ex confirmatione contrahi-
„tur, confirmantem, & confirmatum,
„illiusque patrem, & Matrem, ac te-
„nentem, non egrediatur, omnibus in-
„ter alias perſonas hujus ſpiritualis co-
„gnationis impedimentis omnino ſub-
„latis.

§. VII.

CAPUT III.

De impedimento publicæ honeſtatis.

„Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedi-
„mentum, ubi ſponſalia quacunque
„ratione valida non erunt, ſancta Sy-
„nodus prorſus tollit, ubi autem vali-
„da fuerint, primum gradum non ex-
„cedant,

„cedant, quoniam in ulterioribus gra- Sæcul. XVI.
„dibus jam non poteſt hujusmodi pro- A. C. 1563.
„hibitio absque diſpendio obſervari.

§. VIII.

CAPUT IV.

De impedimento affinitatis ex fornicatione.

„Præterea ſancta Synodus, eisdem, &
„& aliis graviſſimis de cauſſis ad-
„ducta, impedimentum, quod propter
„affinitatem ex fornicatione contractum
„inducitur, & matrimonium poſtea fa-
„ctum dirimit, ad eos tantum, qui in
„primo, & ſecundo gradu conjungun-
„tur, reſtringit: in ulterioribus vero
„gradibus ſtatuit hujusmodi affinita-
„tem matrimonium poſtea contractum
„non dirimere,

§. IX.

CAPUT V.

Poenæ contra eos, qui matrimonium in gradibus prohibitis ineunt.

„Si quis intra gradus prohibitos ſcien-
„ter matrimonium contrahere præ-
„ſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſa-
„tionis conſequendæ careat, idque in
„eo multo magis locum habeat, qui
„non tantum matrimonium contrahere,
„ſed etiam conſummare auſus fuerit:
„quodſi

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„quodsi ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit: si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit: in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex caussa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam caussam.

§. X.

CAPUT VI.

Poenæ contra Raptores.

„Decernit sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium: quodsi rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure

„jure excommunicati, ac perpetuo in- Sæc. XVI.
„fames, omniumque dignitatum inca- A. C. 1563.
„paces, & si Clerici fuerint, de pro-
„prio gradu decidant: teneatur præte-
„rea raptor mulierem raptam, sive eam
„in uxorem duxerit, sive non duxerit,
„decenter arbitrio judicis dotare.

§. XI.

CAPUT VII.

De Matrimoniis vagorum.

„Multi sunt, qui vagantur, & incer-
„tas habent sedes; ut improbi
„sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam,
„& plerumque plures, illa vivente, di-
„versis in locis ducunt, cui morbo cu-
„piens Sancta Synodus occurrere om-
„nes, ad quos spectat, paterne monet,
„ne hoc genus hominum vagantium ad
„matrimonium facile recipiant, Ma-
„gistratus etiam seculares hortatur, ut
„eos coerceant: Parochis autem præ-
„cipit, ne illorum matrimoniis inter-
„sint, nisi prius diligentem inquisitio-
„nem fecerint, & re ad Ordinarium de-
„lata, ab eo licentiam id faciendi ob-
„tinuerint.

§. XII.

CAPUT VIII.

Pœnæ concubinariorum.

„Grave peccatum est homines solu-
„tos concubinas habere: gravissi-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„mum vero, & in hujus magni Sacra-
„menti ſingularem contemptum admiſ-
„ſum, uxoratos quoque in hoc damna-
„tionis ſtatu vivere, ac audere eas quan-
„doque domi etiam cum uxoribus alere,
„& retinere: quare ut huic tanto malo
„Sancta Synodus opportunis remediis
„provideat, ſtatuit hujusmodi concubi-
„narios, tam ſolutos, quam uxoratos,
„cujuscunque ſtatus, dignitatis, &
„conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab
„Ordinario etiam ex officio ter admo-
„niti ea de re fuerint, concubinas non
„ejecerint, ſeque ab earum conſuetu-
„dine non ſejunxerint, excommunica-
„tione feriendos eſſe, a qua non abſol-
„vantur, donec reipſa admonitioni
„factæ paruerint: quodſi in concubinatu
„per annum, cenſuris neglectis perman-
„ſerint, contra eos ab Ordinario ſe-
„vere pro qualitate criminis procedatur.
„Mulieres, ſive conjugatæ, ſive ſo-
„lutæ, quæ cum adulteris, ſeu concu-
„binariis publice vivunt, ſi ter admo-
„nitæ non paruerint, ab Ordinariis lo-
„corum, nullo etiam requirente ex offi-
„cio, graviter pro modo culpæ punian-
„tur, & extra oppidum vel Diæceſim,
„ſi id eisdem Ordinariis videbitur, in-
„vocato, ſi opus fuerit, brachio ſecu-
„lari ejiciantur, aliis pœnis contra ad-
„ulteros,

„ulteros, & concubinarios inflictis, in „ſuo robore permanentibns.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XIII.

CAPUT IX.

Nemo ad matrimonium cogendus.

„Ita plerumque temporalium domino„rum, ac Magiſtratuum mentis ocu„los terreni affectus, atque cupiditates „excæcant, ut viros, & mulieres ſub „eorum juriſdictione degentes, maxi„me divites, vel ſpem magnæ hæredi„tatis habentes, minis, & pœnis adi„gant cum iis matrimonium invitos „contrahere, quos ipſi Domini vel Ma„giſtratus illis præſcripſerint: quare „cum maxime nefarium ſit, matrimo„nii libertatem violare, & ab eis inju„rias naſci, a quibus jura expectantur, „præcipit ſancta Synodus omnibus, „cujuscunque gradus, dignitatis, & „conditionis exiſtant, ſub Anathema„tis pœna, quam ipſo facto incurrant, „ne quovis modo directe, vel indirecte, „ſubditos ſuos, vel quascunque alios „cogant, quominus libere matrimonia „contrahant.

§. XIV.

CAPUT X.

De tempore, quo matrimonia inire licet.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Ab Adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti „usque in diem Epiphaniæ, & a „feria quarta Cinerum usque in Octa„vam Paſchatis incluſive, antiquas ſo„lemnium nuptiarum prohibitiones, di„ligenter ab omnibus obſervari ſancta „Synodus præcipit: in aliis vero tem„poribus nuptias ſolemniter celebrari „permittit, quas Epiſcopi, ut ea, qua „decet, modeſtia, & honeſtate fiant, cu„rabunt: ſancta enim res eſt matrimo„nium, & ſancte tractandum.

Vix non omnes ex Synodi Patribus hæc decreta approbabant, non deerant tamen, qui plura movebant dubia, ac primo quidem Moronus Legatus, pluresque alii ægre ferebant, quod in Canone duodecimo anathema diceretur illis, qui credunt, aut aſſerunt, quod cauſſæ Matrimonium concernentes non pertineant ad Judices Eccleſiaſticos: idem quoque Legatus Moronus ſubjunxit, quod circa matrimonia clandeſtina ſtaret Pontificis Judicio, nec minus idipſum ſentiebat Simonetta Cardinalis: Navagerus autem Cardinalis cuncta rata habebat, Lotharingio tamen anathema in Canone ſexto pronuntiatum videbatur nimis ſeverum: diſſentiebant inſuper plures alii Patres circa varia capita. Demum Nicoſienſis Archiepiſcopus Cypri Eccleſiæ Primas

mas nomine Græcorum, quorum Epi- Sæcul. XVI.
scopus erat, legitimam fidei profeſſio- A.C.1563.
nem producebat, eamque Synodi actis inſeri petebat. Poſt hæc cum cuncti ſuas opiniones edicerent, Legatorum primus ſuffragiis collectis alta voce dicebat: „Omnes Patres doctrinam, & „capita de Sacramento Matrimonii ap„probant, nonnulli tamen deſiderant, „ut quædam adderentur, alia deme„rentur.„ Præterea decretum de clandeſtinis conjugiis potiſſimæ Patrum parti probabatur, eorum tamen quinquaginta illud rejecerunt, atque inter eos Simonetta Cardinalis Sedis Apoſtolicæ Legatus totum id ſummi Pontificis judicio ſubjecit, his verbis: *Ego pariter tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatus approbo hoc decretum, ſi illud Sanctiſſimus noſter approbat.* Nulla fiebat mentio de Oſio Legato utpote infirmo, qui nonniſi altera die ſuum ſuffragium transmiſerat: Moronus vero de hoc decreto differens non dixit: *approbo*, prout de aliis decretis affirmare aſſuetus erat, poſtquam illa Patrum potiſſimi approbarunt: porro id Moronus omiſit, eoquod duo ex quatuor Legatis, qui Papæ vices obibant, huic decreto adverſari viderentur. Verum omne dubium ſuſtulit ſubſequens Pontificis approbatio, cui omnes Legati, ac Patrum, qui ei ſeſe an-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

tea opponebant, potiſſimi ſua judicia ſubmittebant.

Poſtquam igitur ſpecialia hæc decreta de Matrimonii Sacramento fuere promulgata, cetera Reformationis generalis decreta proponebantur, in quibus extra morem plures fiebant mutationes ex ſententia Patrum: porro decreta hæc erant numero viginti, & unum, quæ in hac Seſſione promulgabantur.

§. XV.

CAPUT I.

De reformatione Generali, & de creatione Epiſcoporum, ac Cardinalium.

„Si in quibuslibet Eccleſiæ gradibus „providenter, ſcienterque curandum eſt, ut in Domini domo nihil ſit „inordinatum, nihilque præpoſterum, „multo magis elaborandum eſt, ut in „electione ejus, qui ſupra omnes gradus conſtituitur, non erretur, nam „totius familiæ Domini ſtatus, & ordo „nutabit, ſi quod requiritur in corpore, „non inveniatur in capite: unde etſi „alias ſancta Synodus de promovendis „ad Cathedrales, & Superiores Eccleſias nonnulla utiliter decrevit, hoc „tamen munus hujusmodi eſſe cenſet, „ut, ſi pro rei magnitudine expendatur, „nunquam ſatis cautum de eo videri poſſit:

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„poſſit: itaque ſtatuit, ut cum primum „Eccleſia vacaverit, ſupplicationes, ac „preces, publice, privatimque habeantur, atque a capitulo per civitatem, „& Diæceſim indicantur, quibus clerus, „populusque bonum a Deo paſtorem valeat impetrare: omnes vero, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus quacunque ratione a Sede Apoſtolica habent, aut „alioquin operam ſuam præſtant, nihil in iis pro præſenti temporum ratione innovando, hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil „ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem utilius poſſe facere, quam ſi „bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant, „eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi „judicaverint, non quidem precibus, „vel humano affectu, aut ambientium „ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus „meritis, præfici diligenter curaverint, „& quos ex legitimo matrimonio natos, „& vita, ætate, doctrina, atque aliis „omnibus qualitatibus prædítos ſciant, „quæ juxta Sacros Canones Tridentinæ „hujus Synodi decreta requiruntur: quoniam vero in ſumendo de prædictis „omnibus qualitatibus gravi, idoneo-

Sæcul. XVI. A.C. 1563

„que bonorum, & doctorum virorum
„teſtimonio, non uniformis ratio ubi
„que ex nationum, populorum, ac mo
„rum varietate poteſt adhiberi; man
„dat ſancta Synodus, ut in provincial
„Synodo per Metropolitanum habenda
„præſcribatur quibusque locis, & pro
„vinciis propria examinis, aut inſtru
„ctionis faciendæ forma, Sanctiſſimi
„Romani Pontificis arbitrio approban
„da, quæ magis eisdem locis utilis
„atque opportuna eſſe videbitur, ita
„tamen, ut cum deinde hoc examen
„ſeu inquiſitio de perſona promovendi
„perfecta fuerit, ea in inſtrumentum
„publicum redacta cum toto teſtimo
„nio, ac profeſſione fidei ab eo facta,
„quamprimum ad Sanctiſſimum Roma
„num Pontificem omnino transmitta
„tur, ut ipſe ſummus Pontifex, plena
„totius negotii, ac perſonarum notitia
„habita, pro gregis Dominici commo
„do de illis, ſi idonei per examen, ſeu
„per inquiſitionem factam reperti fue
„rint, Eccleſiis poſſit utilius providere:
„omnes vero inquiſitiones, informatio
„nes, teſtimonia, ac probationes quæ
„cunque de promovendi qualitatibus,
„& Eccleſiæ ſtatu, a quibuscunque,
„etiam in Romana curia habitæ, per
„Cardinalem, qui relationem facturus
„erit in Conſiſtorio, & alios tres Car-

„dina-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„dinales, diligenter examinentur, ac „relatio ipsa Cardinalis relatoris, & „trium Cardinalium subscriptione robo„retur, in qua ipsi singuli quatuor Car„dinales affirment, se adhibita accu„rata diligentia inveniisse promovendos „qualitatibus a jure, & ab hac sancta „Synodo requisitis præditos, ac certo „existimare, sub periculo salutis æ„ternæ, idoneos esse, qui Ecclesiis præ„ficiantur, ita, ut relatione in uno Con„sistorio facta, quo maturius interea de „ipsa inquisitione cognosci possit, in a„liud consistorium judicium differatur, „nisi aliud Beatissimo Pontifici videbi„tur expedire: ea vero omnia, & sin„gula, quæ de Episcoporum præficien„dorum vita, ætate, doctrina, & ce„teris qualitatibus alias in eadem Sy„nodo constituta sunt, decernit eadem „etiam in creatione sanctæ Romanæ Ec„clesiæ Cardinalium, etiamsi Diaconi „sint, exigenda, quos Sanctissimus Ro„manus Pontifex ex omnibus Christia„nitatis nationibus, quantum commo„de fieri poterit, prout idoneos reper„erit, assumet. Postremo eadem sancta „Synodus, tot gravissimis Ecclesiæ in„commodis commota, non potest non „commemorare, nihil magis Ecclesiæ „Dei esse necessarium, quam ut Bea„tissimus Romanus Pontifex, quam so„licitu-

Sæcul. XVI. A C. 1563.

„licitudinem universæ Ecclesiæ ex mu„neris sui officio debet, eam hic potis„simum impendat, ut lectissimos tan„tum sibi Cardinales adsciscat, & bo„nos maxime, atque idoneos pastores „singulis Ecclesiis præficiat; idque eo „magis, quod ovium Christi Sangui„nem, quæ ex malo negligentium, & „sui officii immemorum pastorum regi„mine peribunt, Dominus noster Jesus „Christus de manibus ejus sit requisi„turus.„

§. XVI.

CAPUT II.

De Conciliis Provincialibus, & Synodis Diœcesanis.

„Provincialia Concilia sicubi omissa „sunt, pro moderandis moribus, cor„rigendis excessibus, controversiis com„ponendis, aliisque ex sacris Canoni„bus permissis renoventur, quare Me„tropolitani per seipsos, seu illis legiti„me impeditis, Coepiscopus antiquior „intra annum ad minus a fine præsen„tis Concilii, & deinde quolibet saltem „triennio, post Octavam Paschæ Resur„rectionis Domini nostri Jesu Christi, „seu alio commodiori tempore pro more „provinciæ, non prætermittat Syno„dum in provincia sua cogere, quo Epi„scopi omnes, & alii, qui de jure, vel

„con-

„consuetudine interesse debent, excep- Sæcul XVI.
„tis iis, quibus cum imminenti peri- A.C. 1563.
„culo transfretandum esset, convenire
„omnino teneantur, nec Episcopi com-
„provinciales prætextu cujuslibet con-
„suetudinis ad Metropolitanam Eccle-
„siam in posterum accedere inviti com-
„pellantur: itidem Episcopi, qui nulli
„Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem
„vicinum Metropolitanum semel eligant,
„in cujus Synodo provinciali cum aliis
„interesse debeant, & quæ ibi ordinata
„fuerint, observent, ac observari fa-
„ciant: in reliquis omnibus eorum exem-
„ptio, & privilegia salva, atque integra
„maneant. Synodi quoque Diæcesanæ
„quotannis celebrentur, ad quas exempti
„etiam omnes, qui alias, cessante exem-
„ptione, interesse deberent, nec capitu-
„lis Generalibus subduntur, accedere
„teneantur, ratione tamen parochia-
„lium, aut aliarum secularium Eccle-
„siarum, etiam annexarum, debeant
„ii, qui illarum curam gerunt, quicun-
„que illi sint, Synodo interesse: quodsi
„in his tam Metropolitani, quam Epi-
„scopi, & alii supra scripti negligentes
„fuerint, pœnas sacris Canonibus sanci-
„tas incurrant.

§. XVII.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XVII.

CAPUT III.

De Visitationibus Episcoporum in suis Diœcesibus.

„Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam diœcesim per „seipsos, aut, si legitime impediti fue„rint, per suum generalem Vicarium, „aut Visitatorem, si quotannis totam „propter ejus latitudinem visitare non „poterunt, saltem majorem ejus par„tem, ita tamen, ut tota biennio per „se, vel visitatores suos compleatur, „visitare non prætermittant: a Metro„politanis vero, etiam post plene visi„tatam propriam Diœcesim, non visi„tentur Cathedrales Ecclesiæ, neque „Diœceses suorum comprovincialium, „nisi caussa cognita, & probata in Con„cilio provinciali: Archidiaconi autem, „Decani, & alii inferiores, in iis Ec„clesiis, ubi hactenus visitationem exer„cere legitimam consueverunt, debeant „quidem assumpto Notario, de consensu „Episcopi deinceps per seipsos tantum „ibidem visitare: Visitatores etiam a Ca„pitulo deputandi, ubi Capitulum jus „visitandi habet, prius ab Episcopo ap„probentur: sed non ideo Episcopus, „vel eo impedito ejus visitator, eas„dem Ecclesias seorsim ab his visitare

„pro-

„prohibeatur, cui ipsi Archidiaconi, vel „alii inferiores, visitationis factæ infra „mensem rationem reddere, & deposi- „tiones testium, ac integra acta ei ex- „hibere teneantur, non obstantibus „quacunque consuetudine, etiam im- „memorabili, atque exemptionibus & „privilegiis quibuscunque: visitationum „autem omnium istarum præcipuus sit „scopus, sanam, orthodoxam doctri- „nam, expulsis hæresibus inducere, bo- „nos mores tueri, pravos corrigere, po- „pulum cohortationibus, & admonitio- „nibus ad Religionem, pacem, inno- „centiamque accendere, cetera, prout „locus, tempus, & occasio feret, ex „visitantium prudentia ad fidelium fru- „ctum constituere, quæ ut facilius, fe- „liciusque succedant, monentur præ- „dicti omnes, & singuli, ad quos visi- „tatio spectat, ut paterna charitate, „Christianoque Zelo omnes amplectan- „tur, ideoque modesto contenti equi- „tatu, famulatuque, studeant quam ce- „lerrime, debita tamen cum reveren- „tia, visitationem ipsam absolvere, in- „terimque caveant, ne inutilibus sum- „ptibus cuiquam graves, onerosive sint, „neve ipsi, aut quisquam suorum, quid- „quam procurationis caussa pro visita- „tione, etiam testamentorum ad pios „usus, præter id, quod ex relictis piis „jure

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Sæcul. XVI A.C.1563.

„jure debetur, aut alio quovis nomine, „nec pecuniam, nec munus, quodcun„que ſit, etiam qualitercunque offera„tur, accipiant, non obſtante quacun„que conſuetudine, etiam immemora„bili, exceptis tantum victualibus, quæ „ſibi, ac ſuis frugaliter, moderateque „pro temporis tantum neceſſitate, & „non ultra erunt miniſtranda, ſit ta„men in optione eorum, qui viſitantur, „ſi malunt ſolvere id, quod erat ab ipſis „antea ſolvi certa pecunia taxata con„ſuetum, an vero prædicta victualia „ſubminiſtrare, ſalvo item jure conven„tionum antiquarum cum monaſteriis, „aliisve piis locis, aut Eccleſiis non „parochialibus inito, quod illæſum per„maneat: in iis vero locis, ſeu provin„ciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec vi„ctualia, nec pecunia, nec quidquam „aliud a viſitatoribus accipiatur, ſed „omnia gratis fiant, ibi id obſervetur, „quod ſi quisquam, quod abſit, ali„quid amplius in ſupradictis omnibus ca„ſibus accipere præſumpſerit, is præ„ter dupli reſtitutionem, intra menſem „faciendam, aliis etiam pœnis juxta „conſtitutionem Concilii Generalis Lug„dunenſis, quæ incipit, *Exigit*, nec „non & aliis pœnis, in Synodo pro„vinciali arbitrio Synodi absque ulla „ſpe veniæ mulctetur: patroni vero in „iis,

„iis, quæ ad Sacramentorum admini- Sæcul. XVI.
„ſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præ- A. C. 1563.
„ſumant ingerere, neque viſitationi or-
„namentorum Eccleſiæ, aut bonorum
„ſtabilium, ſeu fabricarum proventibus,
„immiſceant, niſi quatenus id eis ex
„inſtitutione, ac fundatione competat,
„ſed Epiſcopi ipſi hæc faciant, & fabri-
„carum redditus in uſus Eccleſiæ ne-
„ceſſarios, & utiles, prout ſibi expe-
„dire magis viſum fuerit, expendi cu-
„rent.

§. XVIII.

CAPUT IV.

De Epiſcoporum officio circa prædicationem.

„Prædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens
„ſancta Synodus, quo frequentius poſ-
„ſit ad fidelium ſalutem exerceri, ca-
„nones alias ſuper hoc editos ſub feli-
„cis recordationis Paulo tertio, aptius
„præſentium temporum uſui accomo-
„dando, mandat, ut in Eccleſia ſua
„ipſi per ſe, aut ſi legitime impediti
„fuerint, per eos, quos ad prædicatio-
„nis munus aſſument, in aliis autem
„Eccleſiis per Parochos, ſive iis impe-
„ditis, per alios ab Epiſcopo impenſis
„eorum, qui eas præſtare vel tenentur,
„vel ſolent, deputandos in civitate, aut

„in

Sæcul. XVI A. C. 1563.

„in quacunque parte Diæceſis cenſe„bunt expedire, ſaltem omnibus Do„minicis, & ſolemnibus diebus feſtis, „tempore autem jejuniorum Quadra„geſimæ, & Adventus Domini quoti„die, vel ſaltem tribus in hebdomada „diebus, ſi ita oportere duxerint, ſa„cras Scripturas, divinamque legem „annuntient, & alias, quotiescunque id „opportune fieri poſſe judicaverint, mo„neatque Epiſcopus populum diligen„ter, teneri unumquemque parochiæ „ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri „poteſt, ad audiendum Verbum Dei: „nullus autem ſecularis, vel Regula„ris, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordi„num contradicente Epiſcopo prædi„care præſumat: iidem etiam, ſaltem „Dominicis, & aliis feſtivis diebus, „pueros in ſingulis parochiis fidei rudi„menta, & obedientiam erga Deum, „& parentes, diligenter ab iis, ad quos „ſpectabit, doceri curabunt; & ſi opus „ſit, etiam per cenſuras eccleſiaſticas „compellent, non obſtantibus privile„giis, & conſuetudinibus. In reliquis „ea, quæ de prædicationis munere ſub „eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum „robur obtineant.

§. XIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XIX.

CAPUT V.

De cauſſis criminalibus Epiſcoporum.

„Cauſſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod „abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum ſummo Romano Pontifice cognoſcantur, „& terminentur: quod ſi ejusmodi ſit „cauſſa, quæ neceſſario extra Romanam curiam ſit committenda, nemini „prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis a Beatiſſimo „Papa eligendis: hæc vero Commiſſio, „& ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis ſignata, nec unquam „plus his tribuat, quam ut ſolam facti „inſtructionem ſumant, proceſſumque „conficiant, quem ſtatim ad Romanum „Pontificem transmittant, reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva. „Cetera alias ſub felicis recordationis „Julio III. ſuper his decreta, necnon & „conſtitutio ſub Innocentio tertio, in „Concilio Generali, quæ incipit, *qualiter & quando*, quam ſancta Synodus „in præſenti innovat, ab omnibus obſervetur. Minores criminales cauſſæ „Epiſcoporum in Concilio tantum provinciali cognoſcantur, & terminentur,

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„vel a deputandis per Concilium pro„vinciale.

§. XX.

CAPUT VI.

De Episcoporum potestate in dispensatione irregularitatum &c.

„Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex „delicto occulto provenientibus, ex„cepta ea, quæ oritur ex homicidio vo„luntario, & exceptis aliis deductis ad „forum contentiosum, dispensare, & „in quibuscunque casibus occultis, e„tiam Sedi Apostolicæ reservatis, de„linquentes quoscunque sibi subditos, „in Diæcesi sua per seipsos, aut Vica„rium, ad id specialiter deputandum, „in foro conscientiæ gratis absolvere, „imposita pœnitentia salutari, idem & „in hæresis crimine in eodem foro con„scientiæ eis tantum, non eorum Vi„cariis, sit permissum.

Ea hujus capitis pars, quæ solis Episcopis ab hæresi absolvendi potestatem concedit, & disertis verbis eorum Vicarios Generales ab ea excludit, ab Ecclesia Gallicana usu non est recepta, novumque id jus ibidem non acceptatum, sed in hoc Regno Episcoporum potissimi antiquam, quæ ante Concilium erat, consuetudinem reti-

retinuerunt, vi cujus ſuas facultates hac ſuper re non modo ſuis Vicariis, ſed etiam ſuis Pœnitentiariis, omnibusque, prout ipſis bene viſum, Sacerdotibus delegant. Sæcul. XVI. A.C.1563.

§. XXI.

CAPUT VII.

De Epiſcoporum ſollicitudine in inſtruendo populo.

„Ut fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramenta majori cum reverentia, „atque animi devotione accedat, præ„cipit ſancta Synodus Epiſcopis omni„bus, ut non ſolum, cum hæc per ſe„ipſos erunt populo adminiſtranda, prius „illorum vim, & uſum pro ſuſcipien„tium captu explicent, ſed etiam idem „a ſingulis Parochis pie, prudenterque, „etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, „& commode fieri poterit, ſervari ſtu„deant, juxta formam a ſancta Synodo „in Catecheſi ſingulis Sacramentis præ„ſcribendam, quam Epiſcopi in vulga„rem linguam fideliter verti, atque a „Parochis omnibus populo exponi cu„rabunt, nec non inter Miſſarum So„lemnia, aut divinorum celebrationem „ſacra eloquia, & ſalutis monita ea„dem vernacula lingua ſingulis diebus „feſtis, vel ſolemnibus explanent, ea„demque in omnium cordibus, poſtpo-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„sitis inutilibus quæstionibus, inferere
„atque eos in lege Domini erudire stu
„deant.

§. XXII.

CAPUT VIII.

De Instituendo Pœnitentiario.

„Apostolus monet, publice peccante
palam esse corripiendos: quand
„igitur ab aliquo publice, & in multo
„rum conspectu crimen commissum fue
„rit, unde alios scandalo offensos, con
„motosque fuisse non sit dubitandum
„huic condignam pro modo culpæ pœ
„nitentiam publice injungi oportet, u
„quos exemplo suo ad malos mores pro
„vocavit, suæ emendationis testimoni
„ad rectam revocet vitam, Episcopu
„tamen publicæ hoc pœnitentiæ genu
„in aliud secretum poterit commutare
„quando ita magis judicaverit expedire
„in omnibus etiam Cathedralibus Ec
„clesiis, ubi id commode fieri poterit
„Pœnitentiarius aliquis cum unione
„præbendæ, proxime vacaturæ, ab
„Episcopo instituatur, qui Magister sit
„vel Doctor, aut Licentiatus in Theo
„logia, vel jure Canonico, & annorum
„quadraginta, seu alias, qui aptior pro
„loci qualitate reperiatur; qui dum
„confessiones in Ecclesia audiet, inte
„rim præsens in choro censeatur.

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

§. XXIII.

CAPUT IX.

De Visitatione Ecclesiarum, quæ sunt nullius Diœcesis.

„Quæ alias sub felicis recordationis Paulo tertio, & nuper sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. in hoc „eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta „sunt, eadem etiam in Ecclesiis secularibus observentur, quæ in nullius „Diœcesi esse dicuntur, ut ab Episcopo, „cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, „qui semel in Concilio provinciali a Prælato loci illius electus fuerat, tanquam „Sedis Apostolicæ delegato, visitentur, „non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

§. XXIV.

CAPUT X.

De exequendis Episcoporum edictis in eorum visitationibus.

„Episcopi, ut aptius, quem regunt, populum possint in officio, atque

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„obedientia continere, in omnibus his, „quæ ad visitationem, ac morum cor„rectionem subditorum suorum spectant, „jus, & potestatem habeant, etiam „tanquam Sedis Apostolicæ delegati, „ea ordinandi, moderandi, puniendi, „& exequendi, juxta Canonum san„ctiones, quæ illis ex prudentia sua pro „subditorum emendatione, ac diœcesis „suæ utilitate necessaria videbuntur, „nec in his, ubi de visitatione, aut mo„rum correctione agitur, exemptio, aut „ulla inhibitio, appellatio, seu que„rela, etiam ad Sedem Apostolicam „interposita, executionem eorum, quæ „ab his mandata, decreta, aut judi„cata fuerint, quoque modo impediat, „aut suspendat.„

Hoc decretum in Galliis receptum, & approbatum fuit per edicta Francisci I. Caroli IX. Henrici III. necnon Regias literas Henrici IV. ad normam edicti Anno millesimo sexcentesimo sexto Mense Decembri datas, & denique per declarationem, quam Ludovicus XIV. Mense Martio Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto promulgari fecit.

§. XXV.

CAPUT XI.

De conservandis Episcoporum juribus.

Quo-

„Quoniam privilegia, & exemptio- Sæcul. XVI.
„nes, quæ variis titulis plerisque A.C 1563.
„conceduntur, hodie perturbationem in
„Episcoporum jurisdictione excitare, &
„exemptis occasionem laxioris vitæ
„præbere dignoscuntur; decernit sancta
„Synodus, ut si quando justis, gravi-
„bus, & fere necessariis suadentibus
„causis, aliquos honorariis titulis Pro-
„tonotariatus, Acolythatus, Comitis Pa-
„latini, Capellani Regii, aut aliis hu-
„jusmodi in Romana Curia, vel extra,
„insignibus decorandos esse placuerit,
„necnon alios, cuicunque Monasterio
„oblatos, vel quomodocunque addictos,
„aut sub nomine servientium militiis,
„seu Monasteriis, hospitalibus, Colle-
„giis, aut quocunque alio titulo assumi,
„nihil ex his privilegiis detractum esse
„Ordinariis intelligatur, quo minus ii,
„quibus ea jam concessa sunt, vel in
„posterum concedi contigerit, ipsis Or-
„dinariis, tanquam Sedis Apostolicæ
„delegatis, plene in omnibus, & quo-
„ad Capellanos Regios, juxta Consti-
„tutionem Innocentii tertii, quæ inci-
„pit, *cum capellæ*, subjecti existant, ex-
„ceptis tamen iis, qui prædictis locis,
„aut militiis actu serviunt, & intra eo-
„rum septa, ac domos residents, sub-
„que eorum obedientia vivunt, sive iis,
„qui legitime, & secundum regulam

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„earundem militiarum professionem fe-
„cerint, de qua Ordinario constare de-
„beat, non obstantibus privilegiis qui-
„buscunque, etiam Religionis Sancti
„Joannis Jerosolymitani, & aliarum mi-
„litiarum: quæ vero privilegia residen-
„tibus in Curia Romana vigore Euge-
„nianæ Constitutionis, aut familiarita-
„tis Cardinalium competere solent, ea
„in iis, qui beneficia Ecclesiastica ob-
„tinent, ratione prædictorum benefi-
„ciorum minime intelligantur, sed Or-
„dinarii jurisdictioni subjecti perma-
„neant, non obstantibus quibuscunque
„inhibitionibus.„

§. XXVI.

CAPUT XII.

De Canonicorum qualitatibus, eorumque Officiis.

„Cum dignitates in Ecclesiis præser-
tim Cathedralibus, ad conservan-
„dam, augendamque Ecclesiasticam di-
„sciplinam fuerint institutæ, ut, qui
„eas obtinerent, pietate præcellerent,
„aliisque exemplo essent, atque Epi-
„scopos opera, & officio juvarent, me-
„rito, qui ad eas vocantur, tales esse
„debent, qui suo muneri respondere
„possint: nemo igitur deinceps ad di-
„gnitates quascunque, quibus anima-
„rum cura subest, promoveatur, nisi

„qui

Sæcul. XVI
A.C. 1563.

„qui saltem vigesimum quintum suæ „ætatis annum attigerit, & in cleri„cali Ordine versatus, doctrina ad suum „munus exequendum necessaria, ac „morum integritate commendetur, jux„ta constitutionem Alexandri tertii in „Concilio Lateranensi promulgatam, „quæ incipit, *cum in cunctis*. Archi„diaconi etiam, qui oculi dicuntur Epi„scopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi „fieri poterit, Magistri in Theologia, „seu Doctores, aut Licentiati in jure „Canonico: ad ceteras autem dignita„tes, vel personatus, quibus anima„rum cura nulla subest, clerici alioquin „idonei, & viginti duobus annis non „minores adsciscantur: provisi etiam „de beneficiis quibuscunque curam ani„marum habentibus, teneantur a die „adeptæ possessionis ad minus intra duos „menses in manibus ipsius Episcopi, vel „eo impedito, coram generali ejus „Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ „fidei publicam facere professionem, & „in Romanæ Ecclesiæ obedientia se per„mansuros spondeant, ac jurent: pro„visi autem de Canonicatibus, & digni„tatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non „solum coram Episcopo, seu ejus Offi„ciali, sed etiam in Capitulo idem facere „teneantur: alioquin prædicti omnes pro„visi, ut supra, fructus non faciant suos,

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„nec illis poſſeſſio ſuffragetur. Nemi-
„nem etiam deinceps ad dignitatem,
„Canonicatum, aut portionem reci-
„piant, niſi qui eo ordine ſacro aut ſit
„initiatus, quem illa dignitas præben-
„da, aut portio requirit, aut in tali æ-
„tate, ut infra tempus a jure, & ab
„hac ſancta Synodo ſtatutum, initiari
„valeat: in omnibus vero Eccleſiis Ca-
„thedralibus omnes Canonicatus, ac
„portiones habeant annexum Ordinem
„Presbyterii, Diaconatus, vel Subdia-
„conatus: Epiſcopus autem cum con-
„ſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat,
„prout viderit expedire, quibus quis-
„que Ordo ex ſacris annexus in poſte-
„rum eſſe debeat, ita tamen, ut dimi-
„dia ſaltem pars Presbyteri ſint, ceteri
„vero Diaconi, aut Subdiaconi: ubi
„vero conſuetudo laudabilior habet, ut
„plures, vel omnes ſint Presbyteri, om-
„nino obſervetur. Hortatur etiam San-
„cta Synodus, ut in provinciis, ubi id
„commode fieri poteſt, dignitates om-
„nes, & ſaltem dimidia pars Canoni-
„catuum in Cathedralibus Eccleſiis, &
„Collegiatis inſignibus, conferantur
„tantum Magiſtris, vel Doctoribus, aut
„etiam licentiatis in Theologia, vel
„jure Canonico: præterea obtinentibus
„in eisdem Cathedralibus, aut Colle-
„giatis, dignitates, Canonicatus, præ-
„bendas,

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„bendas, aut portiones, non liceat vi-
„gore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetu-
„dinis, ultra tres menſes ab eisdem
„Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis
„nihilominus earum Eccleſiarum con-
„ſtitutionibus, quæ longius ſervitii tem-
„pus requirunt: alioquin primo anno
„privetur unusquisque dimidia parte
„fructuum, quos ratione etiam præ-
„bendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos: quod
„ſi iterum eadem fuerit uſus negligen-
„tia, privetur omnibus fructibus, quos
„eodem anno lucratus fuerit: creſcente
„vero contumacia, contra eos, juxta
„ſacrorum Canonum conſtitutiones,
„procedatur: diſtributiones vero, qui
„ſtatis horis interfuerint, recipiant, re-
„liqui quavis colluſione, aut remiſſione
„excluſa, his careant, juxta Bonifacii
„Octavi decretum, quod incipit, *con-*
„*ſuetudinem*, quod ſancta Synodus in
„uſum revocat, non obſtantibus qui-
„buscunque ſtatutis, & conſuetudi-
„nibus.„

„Omnes vero divina per ſe, & non
„per ſubſtitutos compellantur obire of-
„ficia, & Epiſcopo celebranti, aut alia
„Pontificalia exercenti, adſiſtere, &
„inſervire, atque in Choro ad pſallen-
„dum inſtituto hymnis, & Canticis Dei
„nomen reverenter, diſtincte, devote-
„que laudare: veſtitu inſuper decenti,

„tam

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„tam in Ecclesia, quam extra, assidue „utantur, ab illicitisque venationibus, „aucupiis, choreis, tabernis, lusibus„que abstineant, atque ea morum in„tegritate polleant, ut merito Ecclesiæ „Senatus dici possit. Cetera, quæ ad „debitum in divinis officiis regimen „spectant, deque congrua in his ca„nendi, seu modulandi ratione, de „certa lege in Choro conveniendi, & „permanendi, simulque de omnibus „Ecclesiæ ministris, quæ necessaria e„runt, & si qua hujusmodi, Synodus „provincialis pro cujusque provinciæ „utilitate, & moribus certam cuique „formulam præscribet: interea vero „Episcopus non minus quam cum duo„bus Canonicis, quorum unus ab Epi„scopo, alter a capitulo eligatur, in „iis, quæ expedire videbuntur, pot„erit providere.

In Galliis, ut quis juxta Canonum præscripta Ecclesiæ Cathedralis Canonicatum obtinere valeat, decimus quartus ætatis annus, pro Collegiali autem Canonicatu decimus annus requiritur: unde Tridentinum Concilium, quod decimum quartum annum præscribit, in Francia non est receptum, cum prævaleat usus contrarius, qui per decimam septimæ Cancellariæ Regulam stabilitus est.

§. XXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXVII.

CAPUT XIII.

De Ecclesiis, quæ reditibus vacant.

„Quoniam pleræque Cathedrales Ecclesiæ, tam tenuis redditus sunt, „& angustæ, ut Episcopali dignitati „nullo modo respondeant, neque Ec„clesiarum necessitati sufficiant, exami„net Concilium provinciale, vocatis iis, „quorum interest, & diligenter expen„dat, quas propter angustias, tenuita„temque invicem unire, vel novis pro„ventibus augere expediat, confecta„que de præmissis instrumenta ad sum„mum Romanum Pontificem mittat, „quibus instructus summus Pontifex, ex „prudentia sua, prout expedire judi„caverit, aut tenues invicem uniat, „aut aliqua accessione ex fructibus au„geat: interim vero donec prædicta ef„fectum sortiantur, hujusmodi Episco„pis, qui fructuum subventione pro diæ„cesis suæ tenuitate indigent, poterit „de beneficiis aliquibus, dum tamen „curata non sint, nec dignitates, seu „Canonicatus, & præbendæ, nec mo„nasteria, in quibus viget regularis ob„servantia, vel quæ Capitulis gene„ralibus, & certis visitatoribus subdun„tur, a summo Romano Pontifice pro„videri: in parochialibus etiam Eccle-

„siis,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ſiis, quorum fructus æque adeo exi-
„gui ſunt, ut debitis nequeant oneri-
„bus ſatisfacere, curabit Epiſcopus, ſi
„per beneficiorum unionem (non ta-
„men Regularium) id fieri non poſ-
„ſit, ut primitiarum, vel decimarum
„aſſignatione, aut per parochianorum
„ſymbola, ac collectas, aut qua com-
„modiori ei videbitur ratione, tantum
„redigatur, quod pro Rectoris, ac pa-
„rochiæ neceſſitate decenter ſufficiat:
„in unionibus vero quibuslibet, ſeu ex
„ſupradictis, ſeu aliis cautis faciendis,
„Eccleſiæ parochiales monaſteriis qui-
„buscunque, aut Abbatiis, ſeu digni-
„tatibus, ſive præbendis Eccleſiæ Ca-
„thedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis
„beneficiis ſimplicibus, aut hoſpitalibus,
„militiisve non uniantur, & quæ unitæ
„ſunt, revideantur ab Ordinariis, juxta
„alias Decretum in eadem Synodo ſub
„felicis recordationis Paulo tertio: quod
„etiam in unitis ab eo tempore citra æ-
„que obſervetur, non obſtantibus in iis,
„quibuscunque verborum formis, quæ
„hic pro ſufficienter expreſſis habean-
„tur. Ad hæc in poſterum omnes hæ
„Cathedrales Eccleſiæ, quarum reddi-
„tus ſummam ducatorum mille, & pa-
„rochiales, quæ ſummam ducatorum
„centum, ſecundum verum annuum
„valorem, non excedunt, nullis pen-
„ſioni-

„sionibus, aut reservationibus fructuum Sæcl. XVI.
„graventur. A.C. 1563.

„In iis quoque civitatibus, ubi „parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed „promiscue petentibus Sacramenta administrant; mandat sancta Synodus „Episcopis, pro tutiori animarum eis „commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias, „unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas „cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio „utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant, idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent, „non obstantibus quibuscunque privilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Sola Pontificis concessio in Galliis non est sufficiens, ut quis legitime jus pensionis ex antiquo beneficio habere, vel eo frui valeat: insuper enim requiritur, ut Principis leges sequatur: unicus tamen datur eventus, in quo Episcopus habet auctoritatem permittendi pensionem in favorem illius, qui cedit, assignandam: quando nempe cessio eo fine fit, ut cedentis beneficium alteri bene-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

beneficio ad Ecclesiæ, & boni publici utilitatem uniatur.

Pariter Galli summo Pontifici abnegant jus concedendi ullam pensionem ex beneficiis curam animarum habentibus, si ea Patronorum laicorum nominationi subsunt, nisi hi ipsimet consentiant: quoad Episcopatus vero, vel Abbatias requiritur Regis consensus: præterea qualiscunque pensio imponatur beneficio, quod residentiam exigit, semper post persolutam pensionem necesse est, ut ejusmodi beneficium ab omni onere liberum, atque exemptum permaneat, ita, ut summa trecentarum librarum Titulari ex adventitiis Parochi pecuniis, ac iis, quæ Ecclesiæ fundus appellantur, non numeratis, relinquatur apud Parochos, uti in hoc capite perspicitur: apud Canonicos vero, quotidianæ distributiones ad supplendas hasce trecentas libras computantur, eoquod tunc, si has distributiones non recipiant, id ex eorum culpa fit: si vero pensio excedat, ac Titulari hæ trecentæ libræ non relinquantur, hic, si eundem ipsus instituit, jure exigere potest, ut pensio ad edicti præscriptum redigatur, quod tamen de Titularibus ad Residendum obstrictis intelligendum non est: inde autem sequitur, quod beneficia nimium tenuia pensioni-

sionibus gravari nequeant: insuper observandum est, quod nullus pensionem ex Parochiali beneficio, aut ex præbenda, postquam illam per integros quindecim annos possedit, atque administravit, sibi reservare valeat, prout præcipitur edicto, quod Mense Decembri Anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio promulgatum fuit.

§. XXVIII.

CAPUT XIV.

De juribus in Beneficiorum possessionibus.

„In pluribus Ecclesiis, tam Cathedra„libus, quam Collegiatis, & paro„chialibus, ex earum constitutionibus, „aut ex prava consuetudine obser„vari intelligitur, ut in electione, præ„sentatione, nominatione, institutione, „confirmatione, collatione, vel alia „provisione, sive admissione ad posses„sionem alicujus Cathedralis Ecclesiæ, „vel beneficii, canonicatuum, aut præ„bendarum, vel partem proventuum, „seu ad distributiones quotidianas, certæ „conditiones, seu deductiones ex fru„ctibus, solutiones, promissiones, com„pensationesve illicitæ, aut etiam, quæ „in aliquibus Ecclesiis dicuntur turno„rum lucra, interponantur: hæc cum „sancta Synodus detestetur, mandat

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Episcopis, ut, quæcunque hujusmodi „in usus pios non convertuntur, at„que ingressus eos, qui simoniacæ la„bis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem „habent, fieri non permittant, ipsi„que diligenter de eorum constitutioni„bus, sive consuetudinibus super præ„dictis cognoscant, & illis tantum, „quas ut laudabiles probaverint, ex„ceptis, reliquas ut pravas, ac scan„dalosas rejiciant, & aboleant: eos „vero, qui adversus hæc in præsenti „Decreto comprehensa quavis ratione „commiserint, pœnis contra Simonia„cos editis, sacris Canonibus, & va„riis summorum Pontificum constitu„tionibus, quas omnes innovat, teneri „decernit, non obstantibus quibuscun„que statutis, constitutionibus, & con„suetudinibus, etiam immemorabili„bus, etiam Apostolica auctoritate con„firmatis, de quarum subreptione, ob„reptione, & intentionis defectu Epi„scopus tanquam Apostolicæ Sedis de„legatus, cognoscere possit.

§. XXIX.

CAPUT XV.

De Præbendarum nimis tenuium reditibus augendis.

„In Ecclesiis Cathedralibus, & Colle„giatis insignibus, ubi frequentes, adeo-

Sæc. XVI. A.C 1563.

„adeoque tenues sunt præbendæ simul „cum distributionibus quotidianis, ut „sustinendo decenti Canonicorum gra„dui pro loci, & personarum qualitate „non sufficiant, liceat Episcopis cum „consensu capituli, vel aliquot simplicia „beneficia, non tamen Regularia, iis „unire, vel si hac ratione provideri non „possit, aliquibus ex iis suppressis, cum „patronorum consensu, si de jure pa„tronatus Laicorum sint, quarum fru„ctus, & proventus reliquarum præben„darum distributionibus quotidianis ap„plicentur, eas ad pauciorem nume„rum reducere, ita tamen, ut tot su„persint, quæ divino cultui celebrando, „ac dignitati Ecclesiæ commode va„leant respondere, non obstantibus qui„buscunque constitutionibus, & privi„legiis, aut quacunque reservatione „generali, vel speciali, aut affectione, „neque prædictæ uniones, aut suppres„siones tolli, seu impediri possint ex „quibuscunque provisionibus, etiam vi„gore resignationis, aut quibusvis aliis „derogationibus, vel suspensionibus.

§. XXX.

CAPUT XVI.

De Capituli officiis Sede vacante.

„Capitulum, Sede vacante, ubi fru„ctuum percipiendorum ei munus

Sæcul. XVI. A.C 1563.

„incumbit, Oeconomum unum, vel „plures fideles, ac diligentes decernat, „qui rerum Ecclesiasticarum, & pro„ventuum curam gerant, quorum ra„tiones ei, ad quem pertinebit, sint „reddituri: item Officialem, seu Vi„carium infra octo dies post mortem „Episcopi constituere, vel existentem „confirmare, omnino teneatur, qui sal„tem in jure Canonico sit Doctor, vel „Licentiatus, vel alias, quantum fieri „poterit, idoneus: si secus factum fue„rit, ad Metropolitanum deputatio „hujusmodi devolvatur, &, si Eccle„sia ipsa Metropolitana fuerit, aut „exempta, Capitulumque, ut præ„fertur, negligens fuerit, tunc anti„quior Episcopus ex Suffraganeis in Me„tropolitana, & propinquior Episcopus „in exempta, Oeconomum, & Vica„rium idoneos possit constituere: Epi„scopus vero ad eandem Ecclesiam va„cantem promotus ex iis, quæ ad eum „spectant, ab eisdem Oeconomo, Vi„cario, & aliis quibuscunque Officiali„bus, & Administratoribus, qui Sede „vacante fuerunt a Capitulo, vel ab „aliis in ejus locum constituti, etiam„si fuerint ex eodem Capitulo, ratio„nem exigat officiorum, jurisdictionis, „administrationis, aut cujuscunque eo„rum muneris, possitque eos punire, qui

„qui in eorum officio, seu administra- Sæc. XVI.
„tione deliquerint: etiamsi prædicti A.C. 1563.
„Officiales redditis rationibus a Capi-
„tulo, vel a deputatis ab eodem, ab-
„solutionem, aut liberationem obti-
„nuerint: eidem quoque Episcopo te-
„neatur Capitulum de Scripturis ad
„Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad
„Capitulum pervenerunt, rationem
„reddere.

Hoc caput juxta quadragesimum quintum Blessensis edicti articulum in Francia duntaxat obtinet circa tempus, quod Synodus Capitulo concedit ad nominandum Vicarium Generalem.

§. XXXI.

CAPUT XVII.

De Beneficiorum unione.

„Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur,
„quando unus plurium officia oc-
„cupat clericorum, sancte Sacris Ca-
„nonibus cautum fuit, neminem opor-
„tere in duabus Ecclesiis conscribi:
„verum, quoniam multi improbæ cu-
„piditatis affectu, seipsos, non Deum,
„decipientes, ea, quæ bene constituta
„sunt, variis artibus eludere, & plura
„simul beneficia obtinere non erube-
„scunt, sancta Synodus debitam re-
„gendis Ecclesiis disciplinam restituere

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„cupiens, præsenti decreto, quod in „quibuscunque personis quocunque ti„tulo, etiamsi Cardinalatus honore ful„geant, mandat observari, statuit, ut „in posterum unum tantum beneficium „Ecclesiasticum singulis conferatur; „quod quidem, si ad vitam ejus, cui „confertur, honeste sustentandam non „sufficiat, liceat nihilominus aliud sim„plex sufficiens, dummodo utrumque „personalem residentiam non requirat, „eidem conferre: hæcque non modo „ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam „ad alia omnia beneficia, tam sæcu„laria, quam Regularia quæcunque, „etiam commendata, pertineant, cu„juscunque tituli, ac qualitatis exi„stant: illi vero, qui in præsenti plu„res parochiales Ecclesias, aut unam „cathedralem, & aliam parochialem „obtinent, cogantur omnino, quibus„cunque dispensationibus, ac unioni„bus ad vitam non obstantibus, una „tantum parochiali, vel sola Cathed„rali retenta, alias parochiales infra „spatium sex mensium dimittere, alio„quin tam parochiales, quam benefi„cia omnia, quæ obtinent, ipso jure „vacare censeantur, ac tanquam va„cantia libere aliis idoneis conferan„tur, nec ipsi antea illa obtinentes, „tuta conscientia fructus post dictum

„tem-

„tempus retineant: optat autem ſancta „Synodus, ut reſignantium neceſſitati- „bus commoda aliqua ratione, prout „ſummo Pontifici videbitur, provi- „deatur. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XXXIII.

CAPUT XVII.

De ſelectu, & Parochorum examine.

„Expedit maxime animarum ſaluti a „dignis, atque idoneis Parochis gu- „bernari, id ut diligentius, ac rectius „perficiatur, ſtatuit ſancta Synodus, ut, „cum parochialis Eccleſiæ vacatio, e- „tiamſi cura Eccleſiæ, vel Epiſcopo in- „cumbere dicatur, & per unum, vel „plures adminiſtretur, etiam in Ec- „cleſiis patrimonialibus, ſeu receptivis „nuncupatis, in quibus conſuevit Epi- „ſcopus uni, vel pluribus curam ani- „marum dare, quos omnes ad infra „ſcriptum examen teneri mandat, per „obitum, vel reſignationem, etiam in „Curia, ſeu aliter quomodocunque con- „tigerit, etiamſi ipſa parochialis Ec- „cleſia reſervata, vel affecta fuerit ge- „neraliter, vel ſpecialiter, etiam vigore „indulti, ſeu privilegii in favorem ſanctæ „Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ſeu „Abbatum, vel Capitulorum, debeat „Epiſcopus ſtatim habita notitia vaca- „tionis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, ido-

Sæcul. XVI. A.C. 1563

„neum in ea Vicarium, cum congrua, „ejus arbitrio, fructuum portionis assig- „natione constituere, qui onera ipsius „Ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore „provideatur: porro Episcopus, & qui „jus patronatus habet, intra decem „dies, vel aliud tempus ab Episcopo „præscribendum, idoneos aliquot cle- „ricos ad regendam Ecclesiam coram „deputandis examinatoribus nominet: „liberum sit tamen etiam aliis, qui ali- „quos ad id aptos noverint, eorum no- „mina deferre, ut possit postea de cu- „juslibet ætate, moribus, & sufficien- „tia fieri diligens inquisitio: & si Epi- „scopo, aut Synodo provinciali, pro „regionis more videbitur magis expe- „dire, per edictum etiam publicum „vocentur, qui volent examinari. Trans- „acto constituto tempore, omnes, qui „descripti fuerint, examinentur ab Epi- „scopo, sive eo impedito, ab ejus Vi- „cario generali, atque ab aliis exami- „natoribus non paucioribus, quam tri- „bus: quorum votis, si pares, aut sin- „gulares fuerint, accedere possit Epi- „scopus, vel Vicarius, quibus magis „videbitur: Examinatores autem sin- „gulis annis in diœcesana Synodo ab „Episcopo, vel ejus Vicario ad minus „sex proponantur, qui Synodo satisfa- „ciant, & ab eo probentur, adveniens-

„teque

Sæc. XVI. A. C. 1563.

„teque vacatione cujuslibet Eccleſiæ, „tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum „eo examen perficiant, indeque ſucce„dente alia vacatione, aut eosdem, aut „alios tres, quos maluerit, ex præ„dictis ſex eligat: ſint vero hi exami„natores, Magiſtri, ſeu Doctores, aut „licentiati in Theologia, aut jure Ca„nonico, vel alii Clerici, ſeu Regula„res, etiam ex Ordine Mendicantium, „aut etiam ſæculares, qui ad id vide„buntur magis idonei, jurentque om„nes ad ſancta Dei Evangelia, ſe qua„cunque humana affectione poſtpoſita, „fideliter munus executuros, caveant„que, ne quidquam prorſus occaſione „hujus examinis nec ante, nec poſt „accipiant, alioqui ſimoniæ vitium, „tam ipſi, quam alii dantes, incur„rant, a qua abſolvi nequeant, niſi „dimiſſis beneficiis, quæ quomodocun„que etiam antea obtinebant, & ad „alia in poſterum inhabiles reddantur: „Et de his omnibus, non ſolum coram „Deo, ſed etiam in Synodo Provinciali, „ſi opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, ſi quid contra officium „eos feciſſe compertum fuerit, gravi„ter, ejus arbitrio, puniri poſſint: per„acto deinde examine renuntientur, „quotcunque ab his idonei judicati fue„rint ætate, moribus, doctrina, pru-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„dentia, & aliis rebus ad vacantem „Ecclesiam gubernandam opportunis, „ex hisque Episcopus eum eligat, quem „ceteris magis idoneum judicaverit, „atque illi, & non alteri, collatio Ec„clesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit „eam conferre: si vero juris patrona„tus Ecclesiastici erit, ac institutio ad „Episcopum, & non alium pertineat; „is, quem patronus digniorem inter „probatos ab examinatoribus judicabit, „Episcopo præsentare teneatur, ut ab „eo instituatur: cum vero institutio ab „alio, quam ab Episcopo erit facienda, „tunc Episcopus solus ex dignis eligat „digniorem, quem patronus ei præ„sentet, ad quem institutio spectat: „quod si jus patronatus laicorum fue„rit, debeat, qui a patrono præsenta„tus erit, ab eisdem deputatis, ut su„pra, examinari, & nonnisi idoneus „repertus fuerit, admitti, in omnibus„que supra dictis casibus, non cuiquam „alteri, quam uni ex prædictis exami„natis, & ab examinatoribus approba„tis, juxta supradictam regulam, de „Ecclesia provideatur: nec prædicto„rum examinatorum relationem, quo „minus executionem habeat, ulla de„volutio, aut appellatio, etiam ad Se„dem Apostolicam, sive ejusdem Se„dis Legatos, aut Vice-legatos, aut nun-

tios,

„tios, seu Episcopos, aut Metropoli-
„tanos, Primates, vel Patriarchas in-
„terposita, impediat, aut suspendat,
„alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ va-
„canti antea Episcopus arbitrio suo ad
„tempus deputavit, vel forsan postea
„deputabit, ab ejus Ecclesiæ custodia,
„& administratione non amoveatur, do-
„nec aut eidem, aut alteri, qui proba-
„tus, & electus fuerit, ut supra, sit pro-
„visum: alias provisiones omnes, seu
„institutiones, præter supradictam for-
„mam factæ, subreptitiæ esse censean-
„tur, non obstantibus huic decreto
„exemptionibus, indultis, privilegiis
„præventionibus, affectionibus, novis
„provisionibus, indultis concessis qui-
„buscunque Universitatibus, etiam ad
„certam summam, & aliis impedimen-
„tis quibuscunque: si tamen adeo exi-
„gui reditus dictæ parochiales fue-
„rint, ut totius hujus examinationis
„operam non ferant, aut nemo sit, qui
„se examini quærat subjicere, aut ob
„apertas factiones, seu dissidia, quæ in
„aliquibus locis reperiuntur, facile
„graviores rixæ, ac tumultus possint
„excitari, poterit Ordinarius, si pro
„sua conscientia cum deputatorum Con-
„silio ita expedire arbitrabitur, hac
„forma omissa, privatum aliud examen,
„ceteris tamen ut supra servatis, adhi-

bere,

Sæcul. XVI. A C. 1562.

„bere, licebit etiam Synodo provin„ciali, ſiqua in ſupradictis circa exa„minationis formam addenda, remit„tendave eſſe cenſuerit, providere.

Hoc decreto Synodus videtur ſtabilire id, quod in variis Regionibus vocatur *concurſus*, qui tamen in Francia non eſt uſitatus.

§. XXXIII.

CAPUT XIX.

De gratiis expectativis, & Reſervationibus.

„Decernit ſancta Synodus, mandata „de providendo, & gratias, quæ „exſpectativæ dicuntur, nemini am„plius, etiam Collegiis, Univerſitatibus, „Senatibus, & aliis ſingularibus per„ſonis, etiam ſub nomine indulti, aut „ad certam ſummam, vel alio quovis „colore concedi, nec hactenus conces„ſis cuiquam uti licere, ſed nec reſer„vationes mentales, nec aliæ quæcun„que gratiæ ad vacatura, nec indulta „ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria „alicui, etiam ex ſanctæ Romanæ Ec„cleſiæ Cardinalibus, concedantur, & „hactenus conceſſa abrogata eſſe cen„ſeantur.

Porro gratia exſpectativa vocatur Reſcriptum, ſeu Pontificis diploma, quo Collator beneficium proxime vacans,

ad

ad quod conferendum jus habet, cui- Sæcul. XVI.
dam Clerico in Papæ literis designato A. C. 563.
conferre jubetur: mandata autem *de Providendo* sunt idem, ac gratiæ exspectativæ, quæ non respiciunt beneficia jamjam vacantia, sed duntaxat vacatura, atque in hoc distinquuntur a provisionibus ob cessionem, vel mortem, quæ sunt circa beneficia jam actu vacantia. Hæ gratiæ exspectativæ in capite mox relato per Synodum abrogantur, excipiendæ tamen sunt illæ, quæ concernunt Graduatos, atque Indulto provisos, necnon illos, qui ob fidelitatis juramentum, vel ob felicem Regni possessionem Regium diploma obtinuerunt.

Reservatio appellatur reservata Pontifici facultas conferendi quædam beneficia, cuicunque ipsi bene visum fuerit, ita, ut Ordinarius Collator ejusmodi beneficium conferre prohibeatur: porro alia reservatio dicitur perpetua, alia vero temporalis, ex quibus prior fit, dum Papa quædam beneficia tam sibi, quam suis Successoribus, Sacræque Sedi reservat: posterior autem tunc datur, quando quoddam beneficium conferendi potestatem sibi reservat, quoties sibi placuerit: ceterum solus Papa reservatione uti potest, per hasce autem Reservationes non privat Ordinarium

ipsa

Sæcul. XVI. A.C. 1563. ipsa possessione, sed duntaxat usum ad aliquod tempus ab eo removet.

§. XXXIV.

CAPUT XX.

De modo, quo caussæ in tribunali Ecclesiastico instituendæ sint.

„Caussæ omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, „etiamsi beneficiales sint, in prima in„stantia coram Ordinariis locorum dun„taxat cognoscantur, atque omnino sal„tem infra biennium a die motæ litis „terminentur: alioquin post id spatium „liberum sit partibus, vel alteri illa„rum, judices superiores, alias ta„men competentes, adire, qui caussam „in eo statu, quo fuerit, assumant, & „quamprimum terminari curent, nec „antea aliis committantur, nec avocen„tur, neque appellationes ab eisdem „interpositæ per Superiores quoscun„que recipiantur, eorumve commissio, „aut inhibitio fiat, nisi a definitiva, vel „a definitivæ vim habente, & cujus „gravamen per appellationem a defini„tiva reparari nequeat. Ab his exci„piantur caussæ, quæ juxta canonicas „sanctiones apud Sedem Apostolicam „sunt tractandæ, vel quas exurgente, „rationabilique caussa judicaverit sum„mus Romanus Pontifex per speciale „rescri-

„reſcriptum ſignaturæ Sanctitatis ſuæ, Sæcul. XVI.
„manu propria ſubſcribendum commit- A.C. 1563.
„tere, aut evocare: adhæc cauſſæ
„matrimoniales, & criminales, non
„Decani, Archidiaconi, aut aliorum
„inferiorum judicio, etiam viſitando,
„ſed Epiſcopi tantum examini, & ju-
„risdictioni relinquantur, etiamſi in
„præſenti inter Epiſcopum, & Deca-
„num, ſeu Archidiaconum, aut alios
„inferiores ſuper cauſſarum iſtarum
„cognitione lis aliqua in quacunque in-
„ſtantia pendeat, coram quo, ſi pars
„vere paupertatem probaverit, non co-
„gatur extra provinciam, nec in ſe-
„cunda, nec in tertia inſtantia in ea-
„dem cauſſa matrimoniali litigare, niſi
„pars altera, & alimenta, & expenſas
„litis velit ſubminiſtrare: Legati quo-
„que, etiam de latere, Nuntii, Gu-
„bernatores Eccleſiaſtici, aut alii qua-
„rumcunque facultatum vigore, non
„ſolum Epiſcopos in prædictis cauſſis
„impedire, aut aliquo modo eorum ju-
„risdictionem iis præripere, aut tur-
„bare non præſumant, ſed nec etiam
„contra Clericos, aliasve perſonas Ec-
„cleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius re-
„quiſito, eoque negligente, procedant:
„alias eorum proceſſus, Ordinationesve
„nullius momenti ſint, atque ad damni
„ſatisfactionem partibus illati teneantur:

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„tur: præterea si quis in casibus a jure „permissis appellaverit, aut de aliquo „gravamine conquestus fuerit, seu alias „ob lapsum biennii, de quo supra, ad „alium judicem recurrerit, teneatur „acta omnia coram Episcopo gesta, ad „judicem appellationis expensis suis „transferre, eodem tamen Episcopo „prius admonito, ut, si quid ei pro „caussæ instructione videbitur, possit „judici appellationis significare: quod „si appellatus compareat, cogatur tunc „is quoque actorum, quæ translata „sunt, expensas pro portione sua, si „illis uti voluerit, subire, nisi aliter „ex loci consuetudine servetur, ut sci„licet ad appellantem integrum hoc „onus pertineat: porro ipsam actorum „copiam teneatur Notarius, congrua „mercede accepta, appellanti, quanto „citius, & ad minus intra mensem ex„hibere: qui Notarius si in differenda „exhibitione fraudem fecerit, ab Officii „administratione arbitrio Ordinarii su„spendatur, & ad dupli pœnam, quanti „ea lis fuerit, inter appellantem, & „pauperes loci distribuendam, com„pellatur: judex vero, si & ipse impe„dimenti hujus conscius, participsve „fuerit, aliterve obstiterit, ne appel„lanti integra acta intra tempus trade„rentur, ad eandem dupli pœnam, prout

„prout supra, teneantur, non obstan- Sæcul. XVI.
„tibus, quoad omnia supra scripta, pri- A. C. 1563.
„vilegiis, indultis, concordiis, quæ
„suos tantum teneant auctores, & aliis
„quibuscunque consuetudinibus.

Hujus decreti clausula, qua causſæ, quarum judicium ad Ordinarios pertinet, excipiuntur a causſis, quas Papa vel committere, vel ad se devolvere poterit, præcipua fuit ratio, ob quam hoc Concilium quoad disciplinam in Galliis non fuerat receptum, cum Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus repugnet, quod Pontifici permittatur, ut causſas Ecclesiasticas coram Ordinariis incœptas ad se avocet: insuper in Francia non habetur ratio illorum duorum annorum, quorum decretum mentionem facit, adeo, ut toto litis tempore, quantumcunque duret, ad nullum alium Judicem superiorem, Metropolitanum, aut Primatem recurrere liceat.

§. XXXV.

CAPUT XXI.

Quædam Sessionis decimæ septimæ verba melius explicata.

„Cupiens sancta Synodus, ut ex de-
„cretis ab ea editis nulla unquam
„futuris temporibus dubitandi occasio
„oriatur, verba illa posita in decreto
„publicato Sessione prima sub beatissimo

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„Domino noſtro Pio quarto videlicet: „quæ proponentibus Legatis, ac Præ„ſidentibus, ad horum temporum le„vandas calamitates, ſedandas de Re„ligione controverſias, coercendas lin„guas doloſas, depravatorum morum „abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram, „& Chriſtianam pacem conciliandam „apta, & idonea ipſi Sanctæ Synodo „videbuntur, explicando declarat, men„tis ſuæ non fuiſſe, ut ex prædictis „verbis ſolita ratio tractandi negotia in „Generalibus Conciliis ulla ex parte im„mutaretur, neque novi quidquam, „præter id, quod a ſacris Canonibus, „vel Generalium Synodorum forma ha„ctenus ſtatutum eſt, cuiquam addere„tur, vel detraheretur.

§. XXXVI.

Quorumdam Præſulum animadverſiones in hæc decreta.

Pallav. l. 23. c. 12. n. 8.

Perlectis omnibus hiſce decretis Lotharingius Cardinalis Reformationis articulos minus ſibi probari oſtendebat, his enim, aut ſaltem eorum pluribus privilegia Franciæ Regis, regnique ſui jura labefactari credidit, quapropter ſuo, omniumque Franciæ Epiſcoporum nomine hæc edicebat: „oppoſitionem „biduo abhinc in Congregatione fa„ctam innovo, conteſtans, quod non re-

cipiam

Sæcul. XVI. A.C.1563.

„cipiam hanc emendationem, acſi eſſet „integra, aut ſufficiens, ſed eandem „tantum reſpicio velut reformationis „principium, quæ viam ſternit ad aliam „magis perfectam, eaque ſive a novis „Synodis, ſive alio modo ſperatur Pon„tificum opera, & maxime Pii IV. poſt„quam harum leviorum ſanctio„num auxilio Respublica Chriſtiana, „nimis nunc infirma, & corrupta, red„detur idonea ad ſuſtinenda validiora „remedia, præcipue ſi antiqui Canones, „ac primarum quatuor Synodorum de„creta innovarentur. De cetero caput „quintum de criminalibus Epiſcoporum „cauſſis approbo, ſi Patribus placuerit, „eoque magis, cum pridie in cœtu ipſis „viſum fuiſſet, quod Principum privi„legiis per illud nihil derogatum ſit: „inſuper vigeſimum de primis cauſſa„rum delationibus probatur mihi pro „iis provinciis, quæ totum illud „jus non poſſidebant, ſicuti eſt Gallia: „porro quoad hanc conteſtationem a me, „& a cunctis Galliæ Epiſcopis factam „peto a publicis Concilii Scribis, ut „legitimum teſtimonium in acta refe„ratur ad perpetuam rei memoriam: „idem dico de duobus illis Decre„tis, ne quid detrimenti patiantur ſacri „imperii, & Germaniæ Nationis jura: „poſtremo tamen Lotharingius rejecit

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

exceptionem in sexto capite appositam circa Episcoporum facultatem absolvendi ab hæresi occulta per eas provincias, ubi est inquisitionis tribunal.

Postea Cardinalis Madrutius verba faciens, Lotharingii Cardinalis opinioni, quantum ad ea, quæ quintum, & vigesimum caput concernebant, suffragabatur: eo autem sermonem suum absolvente ceteri Patres longe diversas proponebant sententias, adeo, ut vere affirmari valeat, quod admodum pauci tenori propositionum, quæ jam stabilitæ fuerant, non omnino assentirentur, aut quicquam corrigendum censerent: nihilominus erant nonnulli, qui petebant, ut retinerentur mandata prospiciendi Clericis pauperibus: alii autem postulabant, ut Decretum de primis caussarum delationibus, seu ut vocant, *instantiis* ampliaretur: præterea quidam volebant, ut illud restringeretur variis modis. Nec deerat, qui nomen pensionum respuens nequidem illius mentionem fieri peteret: quinimo etiam aliquis aderat, qui noluit, ut auctoritas absolvendi in Episcopis duntaxat ad casus occultos restringeretur: nec defuerunt, qui censebant, prohibitionem, ne duæ Parœciæ ab eodem simul haberentur, ad præteritum tempus extendendam non esse: denique aliis non proba-

probabatur, quod in uno, alterove Decreto Cardinales nominati fuerint. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. XXXVII.

Hæc decreta a Legatorum primo approbata.

Postquam omnium animadversiones fuerant exceptæ, cum jam instaret secunda noctis hora, atque ob temporis angustias quivis articulus cum aliis conferri non posset, Cardinalis Moronus Legatorum primus alta voce ita pronuntiabat: „Decreta omnia ferme „ab omnibus comprobantur, complu„res tamen in variis Decretis anno„tationes quasdam, declarationesque „addiderunt, quæ rem ipsam non mu„tant: insuper in secundo etiam, & in „tertio, in quinto, atque in sexto Ca„pite quædam adnotata sunt, quæ jux„ta majoris numeri vota compo„nentur, & æque habebuntur, ac si „fuissent in præsenti Sessione composita, „ac definita.„

§. XXXVIII.

Sessio proxima per decretum indicta.

Denique ab Episcopo, qui Sacris operabatur, prælecta fuit indictio Sessionis proximæ, ac postremæ, cui nona Decembris dies præfixa est, ita tamen, ut Patres hoc tempus contrahendi, vel *Pallav. n. 12.*

Sæcul. XVI. A. C. 1563

Sessionem præveniendi facultatem sibi reservarent, si id vel consultum videretur, vel quæstiones citius plene discussæ fuerint. Ceterum hoc decretum his verbis erat conceptum: „Insuper „eadem sacrosancta Synodus proximam „futuram Sessionem feria quinta post „Conceptionem beatæ Mariæ Virginis, „quæ erit dies nona mensis Decembris „proxime venturi, habendam esse sta„tuit, & decernit, cum potestate etiam „abbreviandi, in qua Sessione tractabi„tur de sexto nunc in eam dilato ca„pite, & de reliquis reformationis ca„pitibus jam exhibitis, deque aliis ad „eam pertinentibus: si vero opportu„num videbitur, & tempus patietur, „poterit etiam de nonnullis dogmatibus „tractari, prout suo tempore in Con„gregationibus proponentur.„

§. XXXIX.

Hispaniæ Rex a Papa Synodi continuationem petens.

Pallav. l. 24. c. 1. num. 1.

Interea summus Pontifex, cum Sy„nodum feliciter absolvi percuperet, totus in eo erat, ut Principes, ac præcipue Philippum II. qui potissimum obstrepebat, ad consensum induceret: hic vero Rex præcipue Concilium continuari ex eo fine desiderabat, eoquod antea Synodus fuisset coacta ad definienda dogma-

dogmata, atque ad Ecclesiam reformandam, necnon ad hæreticos in sinum Ecclesiæ reducendos, nihil autem horum ex integro confectum videretur: proinde Rex a Pontifice petebat, ut Synodus protraheretur, donec hæc tria maxime utilia bonorum genera perficerentur: verum summus Pontifex rationibus longe gravioribus, ac Philippus proferebat, ad absolvendam Synodum movebatur, præterquam enim, quod hoc Concilium jamjam longissimo tempore duraſſet, ac omnes, ex quibus constabat, Præsules fastidio affecti, plures etiam nequidem petita venia discessissent, insuper expensæ indies magis, magisque graves plurium æraria penitus exhauriebant, ac etiam bellum proxime imminens timebatur, cum Protestantes Herbipolin jamjam armis suis subjeciſſent: has igitur rationes Papa Philippo Regi proponere statuit, hancque ob rem Vicecomitem Ventimilliensem Episcopum ablegavit, qui etiam die trigesima Octobris in Hispaniam profectus est: porro cum is adhuc in itinere constitutus esset, Legati die duodecima Novembris Joannem Baptistam Victorium ad summum Pontificem decernebant, qui eundem de prospero postremæ Sessionis exitu certiorem redderet. Adiit is Papam Centum-cellis, qui

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Pallav. c. 2. num. 1.

Sæcul. XVI. A C. 1563.

qui ipsum res gestas enarrantem summa animi voluptate percepit, ratum tamen non habuit, quod Legati declarassent, se a Synodo recessuros, si Comes Lunensis absolvendæ Synodo obstacula opponere non desisteret: non enim, inquiebat Papa, decet, Concilium deserere ob privati cujusdam cavillationes: unde per responsum Victorio injunctum illos hortabatur, ut suos labores usque ad Concilii exitum strenue prosequerentur.

§. XL.

Lotharingii Cardinalis consilium de absolvenda Synodo.

Pallav. c. 2. num. 4. Sarp. l. c.

Tandem Concilium absolvi ferme omnes ardenter expetebant, atque inter alios Cæsarei nomine Imperatoris id efflictim rogabant, imo non modo Hispani Præsules haud amplius obsistebant, sed etiam suis sermonibus sat aperte indicabant, quod Synodi exitum non minus avide, quam ceteri præstolarentur: in quodam insuper conventu hac super re die duodecima Novembris habito Lotharingius Cardinalis hæc proponebat: „Equidem Cæsar, „atque Rex Catholicus ab initio sese „absolvendo Concilio opponebant, sed „moti validis hortationibus, evidenti„busque necessitatibus Galliæ, quæ versa-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

"versatur in discrimine secedendi, rem- "que per propriam nationis Synodum "corrumpendi, cesserunt voluntati Pon- "tificis tanquam filii obsequentes: ve- "rum ægerrime Clerus, omnesque "Franciæ Ordines, qui Possiacum pro "colloquio venerunt, retineri poterant, "ne aliter sibi consulerent, donec Con- "cilium terminaretur: porro iidem res "Synodo adversas statuere meditan- "tur, imo reipsa etiam statuent, si Sy- "nodus ultra protraheretur: insuper si "Synodus longius procedet, non modo "spatium temporis porrigetur hæreticis "concionatoribus ad inserendam popu- "lis pravam doctrinam, eamque tam "alte, ut ad ipsam postmodum evellen- "dam satis non sint ne ipsa quidem Con- "cilii Decreta: nec minus Gallici etiam "Præsules adigentur ad discessum ante "Synodi finem, partim ob dispendii gra- "vitatem, partim ob alias privatas, pub- "licasque necessitates, quod a complu- "ribus jam peractum videtur, & brevi "a cunctis peragetur, si res amplius "protrahatur: imo ego ipsus quoque "ab utraque necessitate ad profectionem "compellor, necnon ad Nativitatis Do- "minicæ festa in Franciam redire sta- "tuo: quamquam si Synodus die præ- "stituto erit absolvenda, Synodi Patri- "bus integrum erit efficere, ut mihi il-

Sæcul. XVI. A.C. 1563. "lud procuretur ſolatium, quod in Fran- "ciam optatum de abſoluto Concilio "nuntium mecum deferre poſſim.

§. XLI.

Legatorum ſollicitudo pro diſcutiendis quæſtionibus.

Pallav. n. 5. & 6. Omnes Patres ibidem congregati ra- „tionibus a Cardinale propoſitis ap- plaudebant, ac Synodum penitus ab- ſolvi petebant; obſiſtebant tamen Leridenſis, & Legionenſis Epiſcopi, petentes, ut antea Regis Catholici con- ſenſus obtineretur: alii quoque prius adhuc quasdam agitari quæſtiones po- ſtulabant, ſed & hi nonniſi remiſſius id urgebant: itaque Legatorum primus Eccleſiaſticis Oratoribus horum Patrum opiniones exponebat, prævalente tamen Cardinalis Lotharingii ſententia omnes eo intenti erant, ut de ratione hanc Synodum feliciter finiendi deliberare- tur: quam in rem inter omnes conven- tum, quod oporteret operam navare ad ſtabiliendas reliquas diſciplinæ leges, & in iis, quæ ſpectant ad Principum reformationem, ſuaviter procedendum: ideo ſummopere placuit exemplum Decreti miſſum a Pontifice, in quo re- novabantur de his ſanctiones Concilio- rum, Canonumque antiquorum, & ad- hibebantur paternæ admonitiones pro eo,

eo, quod odiosa anathemata vibrarentur: porro de dogmatibus, purgatorium, indulgentias, invocationem sanctorum, ac Sacras imagines concernentibus perpensum est, multa reperiri in prioribus Conciliis, aliquid tamen de his in hac quoque Synodo dicendum esse, ut veteres, pravæque consuetudines corrigantur: præsertim vero de imaginibus protulit Lotharingius Cardinalis quoddam Sorbonæ Decretum, quod ab illis Patribus magnopere probatum est. Postridie habiti sunt Conventus, & Legati una cum Lotharingio die decima quarta Novembris statuerunt, quod duntaxat de dogmatibus, quæ jam fuissent exhibita, agendum esset, ac de ipsis nonnisi juxta formam, de qua jam antea dictum: quare accitis ad se nonnullis Patribus susceptum consilium eis aperuerunt, & quinque Prælatos pro quolibet argumento selegerunt, eis injungentes, ut ipsi una cum quinque Theologis paucos intra dies Decreta conficerent. Sæcul. XVI. A C. 1563.

§. XLII.

Congregationes generales pro disciplinæ, ac dogmatum examine.

Rebus omnibus ita dispositis inchoati „sunt die decima quinta Novembris cœtus generales, bis in die habiti, ubi *Pallav. l. 3. num. 1.*

Sæcul. XVI. A.C.1563.

ubi agebatur de quatuordecim disciplinæ reparandæ articulis, qui supererant: cum vero festinandi voluntas suaderet necessaria distinquere a supervacaneis, hinc ea brevitas, prius haud consueta, fuit adhibitia, ut die decima octava ejusdem Mensis suam quisque sententiam proferre posset: eapropter Moronus Legatus hanc Patrum promptitudinem admiratus, paucis hæc exposuit: „incassum Patres adhibue„runt studia, ut pertraherent ad Conci„lium hæreticos, cum econtra præstan„tissimi fructus ab eo sperari possint, si „declarentur dogmata, ac restituatur „disciplina: equidem majora fortasse „desiderari a Synodo possent, sed nos „homines, nec Angeli sumus, & pro „temporum conditione minus bonum „eligi debet, dum majus obtineri non „valet: ceterum Deus forsitan, ut exe„cutionem rerum decretarum, necnon „indefessum Patrum studium, atque „piam eorum voluntatem remuneretur, „semitam ad meliora ostendet: pauca „autem illa, quæ adhuc expedienda „supersunt, privato studio, privatisque „colloquiis adeo bene, atque ex„acte discussa videntur, ut diuturna di„sputatione publica non indigeant: ca„put quoque de Principibus emenda„tum est: tenentur autem Patres, ut

„Princi-

"Principes per exempla potius, quam "per pœnas, & anathemata ad pie- "tatem provocent: cum igitur futura "Seſſione poſſint omnia confici, nil, "quo minus Synodus abſolvatur, ob- "ſtare videtur. Sæc. XVI. A.C. 1563.

§. XLIII.

Novi articuli a variis Præſulibus propoſiti.

Poſtquam plures Prælati hoc pacto ſuas ſententias promebant, quatuor nova proponebantur capita, quæ Bartholomæus de Martyribus Bracarenſis Archiepiſcopus diſcuti petebat: porro eorum primum moderationem, ac frugalitatem vivendi, & diſtributiones proventuum Eccleſiaſticorum Epiſcopis præſcribendas concernebat: ſecundum autem de decimis, quas Laici poſſidebant, agebat, ac tertium anathematum, ac cenſurarum moderationem ſpectabat, quartum autem tractabat de conſtituendo Archivo in ſingulis Eccleſiis, ubi publicæ tabulæ aſſervarentur. *Pallav. c. 3. num. 3. & 4.*

§. XLIV.

Variæ opiniones circa frugalitatem Epiſcoporum.

Præterea viginti duo capita ad Regulares univerſim reformandos propoſita ſunt, necnon octo alia, quæ peculia- *Pallav. n. 5. 6. & 7.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563 culiariter Sanctimoniales tangebant. Ceterum ex prioribus quatuor articulis primus parum arridebat potiſſimis, atque inter ceteros Madrutius Cardinalis hujus ſtatuti vim ſe everſurum credebat, ſi exponeret, quod quidam Epiſcopi, qui ditiones obtinent, ac Principes ſunt, ægre poſſint adigi ad eam vivendi tenuitatem, quin ſui ſplendoris jacturam ſubirent, eorumque ditiones perturbarentur: econtrario Archiepiſcopus Bracarenſis hoſce prætextus confutabat, dicens, ſibi omnino videri, quod oporteret ipſis præſcribi certam vitæ normam ſtatus ſui Sanctitati conſonam, præcipue circa ſuppellectilem ac familiæ numerum, eosdemque obſtringendos dicebat, ad reddendas reddituum ſuorum rationes in Concilio provinciali; quamvis enim evaderent Domini illius partis, quæ illis neceſſaria eſt, reliquæ tamen partis diſpenſatores tantum eos eſſe inquiebat: verum tam prudentes rationes Patribus non probabantur.

§. XLV.

Lunenſis Comes Hiſpaniæ Regis reſponſum expectari poſtulans.

Pallav. l. c. Paucis poſt hunc conventum diebus Lunenſis Comes, cum Synodi exitum toto ſtudio maturari cerneret, hac ſuper

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

ſuper re apud quosdam Oratores querebatur, Legatisque hæc declarabat: „permittere non poſſum, ut Hiſpa„niæ Regis Domini mei reſponſo ne„quidem exſpectato tantopere Synodi „exitus urgeatur, hinc ſignifico, me „omnes adhibiturum conatus non qui„dem ut Concilium abſolvi præpediam, „hac enim ratione contra datam fidem „agerem, ſed ut non tam præcipiti con„ſilio res agatur, Regisque reſponſum „exſpectetur: nam indignum mihi „videtur, quod Rex adeo potens non „majoris æſtimetur, quam minimus „cujusdam Provinciæ Gubernator:„ his dictis dein cum tanta verborum vehementia diſſerebat, ut Legati indignatione commoti eidem exprobrarent, quod tanta illius temeritas mereretur, ut non ſolum Dei, ſed etiam Regis ſui indignationem incurreret, atque ab eo ſevere puniretur, cum ipſius agendi ratio, ac ſermones ſat aperte manifeſtarent, quod hæreticis faveret, cum tamen Hiſpaniæ Rex adeo firmiter Religioni Catholicæ addictus probaretur, ut certe hunc agendi modum comprobare abhorreret. Plura adhuc alia minoris tamen momenti ultro, citroque proponebantur, poſtea autem cum mutua indignatione diſceſſum. Biduo poſt die vigeſima nona ejusdem Menſis Novem-

Sæcul. XVI. A.C. 1563. Novembris alia habebatur Congregatio, in qua rursus decretum, ut insuperhabita continua Lunensis Comitis oppositione Concilium prompte absolveretur.

Eadem die vespere Tridenti fama increbuit, quod summus Pontifex periculoso morbo decumbens de vita sua periclitaretur: insuper Nuntius a Borromæo Cardinale missus quinta post hora adveniens Legatis literas deferebat, quibus idem rumor confirmabatur, unde Borromæus Legatos hortabatur, ut tota sollicitudine Synodum absolverent, insuperhabitis omnibus oppositionibus forte movendis, ut præveniretur schisma, quod Pontifice e vivis erepto oriri posset propter dissidia, quæ forte inter Sanctum Collegium, & Synodum propter jus novum Pontificem eligendi conflari possent. Data erat hæc epistola die vigesima septima Novembris, qua accepta Legati quantocius accersebant duos Cardinales Lotharingium, & Madrutium unacum Cæsaris, ac Philippi Hispaniæ Regis Oratoribus, eosque cohortati sunt ad promovendum exitum Synodi, ut Rempublicam Christianam innumerabilium cladium periculo subducerent. Cæsariani, tametsi prius adeo festine Synodum absolvi exoptarent, nunc tamen petie-

petierunt, ut post improvisum nuntium dies ille integer ad deliberandum ipsis concederetur: die autem postero iterum convocati, cum ad alium cœtum alii etiam Oratores, & quinquaginta ferme Præsules convenirent, Cæsarei responsum reddiderunt, & dixerunt se consentire. Idem inter ceteros quoque convenit, excepto Comite Lunensi, qui cum suis Hispanis Præsulibus, ac tribus Italis firmiter repugnabat. Sæc. XVI. A.C 1563.

§. XLVI.

Quæstionum discussio a Patribus maturata.

Porro totum, quod usque ad Sessionem reliquum erat, tempus Præsides, Patresque impendebant, ut decreta ibidem promulganda perficerent, secunda vero Decembris die Legati ad generalem conventum deferebant omnia decreta a Cardinale Osio, aliisque Deputatis concinnata circa Purgatorium, S. Imagines, Reliquias, cultum, & invocationem Sanctorum, nec minus proferebantur articuli, qui disciplinæ restaurationem concernebant: cum vero de Indulgentiis paratum non haberetur Decretum, hinc in peculiari cœtu pridie congregato statutum fuerat, ut illud omitteretur, compluribus licet id ægre ferentibus, ac præsertim Cæsa- *Pallav. n. 7. & 8.*

Sæc. XVI. A.C. 1563.

rianis, qui tamen postea consenserunt cum aliter nequiret evitari, ne Galli ante Concilii exitum discederent.

§. XLVII.

Primi Legati oratio ad Patres circa Synodi exitum.

Ragn. n. 208. Act. MS. Congr. Trid. arch. Vat. Sign. 3196. p. 142.

Postea Cardinalis Moronus Legatorum primus de Synodi finiendæ necessitate rursus orationem habuit his verbis conceptam: „Tractata jam sunt ea, „quæ hoc in Concilio magis neces„sario discutienda videbantur, nam quod „ad fidem spectat, qui primus erat Con„cilii scopus, ea sunt concluſa, quæ „ad justificationem, & ad Sacramenta „pertinebant, & nostri temporis hæ„reses certis Canonibus damnatæ sunt: „ipsi vero hæretici, quorum resipiscen„tiæ, & saluti præcipue consultum opor„tuit, sæpe a summo Pontifice, & a vo„bis ipsis, tum literis, tum certis e„tiam Nuntiis, & fide publica invitati, „nunquam adduci potuerunt, ut huc „accederent: actum est præterea cum „Principibus, & præsertim cum Cæ„sarea Majestate, cujus maxime apud „illos debuit esse auctoritas, ut eosdem „ad Concilium adeundum inducerent: „sed frustra omnes adhibitæ sunt per„suasiones: utinam venissent, & se Con„cilio, sententiisque nostris submissi„sent:

„ſent: nam nullum nobis majus gaudium, Sæcul XVI.
„nullum illis ipſis, & univerſo orbi A.C.1563.
„Chriſtiano ſalutarius accidere potuiſſet:
„forte Deus dabit illis mentem, ſen-
„ſumque meliorem.

„Interea vos, qui rogando, & cun-
„ctando pietati veſtræ, & paternæ erga
„illos charitati ſatis abunde ſatisfeciſtis,
„quoniam videtis de illorum adventu
„nullam eſſe ſpem reliquam, nihil eſt,
„quod ultro tempus conteratis, præſer-
„tim cum res Concilii in eum jam ſint
„ſtatum deductæ, ut, quoties vobis col-
„libitum fuerit, extremam illis poſſitis
„manum imponere, nam quod ad re-
„formationem pertinet, quæ ſecundus
„Concilii ſcopus fuerat, multa acta
„ſunt, & in unoquoque dogmate ad-
„ditum eſt aliquid ſemper, atque adeo
„multum, quod ad ipſam reformatio-
„nem pertineret, & quaſi affines illi
„dogmati abuſus tolleret: in præce-
„denti vero ſeſſione tot, & tam præ-
„clara generalis reformationis decreta
„ſanxiſtis, ut, ſi illa obſervetis, reſti-
„tuta omnino videatur antiqua Cleri
„diſciplina; poſſunt quidem optari ma-
„jora, ſed homines ſumus, non An-
„geli, & pro ratione temporum ſatis eſt
„id amplecti, quod poſſumus, forſitan,
„quando hæc executioni mandata fue-
„rint, Deus oſtendet meliora.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Pauca vero illa, quæ reſtant, & „jam vobis exhibita ſunt, tum doctri„næ, tum reformationis capita, a „vobis in privatis veſtris ædibus jam „examinata, & digeſta ſunt, ut hoc „loco, neque multo tempore, neque „longis indigeant diſputationibus. Ca„put de Principibus reformatum eſt, „ac certe ſi ipſorum Principum probita„tem animadvertimus, ſane poſſumus „acquieſcere: quod ſi eos ad pietatis „ſtudium provocare volumus, exemplo „pietatis noſtræ multo magis provo„candi ſunt, quam propoſitis pœnis, „aut anathematismis: veſtræ igitur ſint „partes, cum illis pie, & moderate a„gere, & qua Chriſtianos Patres decet, „charitate, & prudentia.

„Cæterum, cum nil ultra habea„mus, neque de fide, neque de refor„matione, quod vobis proponamus, & „ea, quæ nunc in manibus habetis, com„mode poſſint unica futura Seſſione ab„ſolvi, cupimus nos, & maxime op„portunum judicamus, ſi idem vobis „videatur, ut eadem futura Seſſione fi„nis Concilio imponatur. Summus „Pontifex idem valde optat, & probat: „idem Cæſarea Majeſtas cupit, idem „Galli, ut teſtatur Illuſtriſſimus Cardi„nalis Lotharingius: Germania enim, „& Gallia, ubi omnia ab hæreticis in

„du-

Sæc. XVI. A.C. 1563.

„dubium revocata sunt, eo majorem „quotidie trahunt ruinam, quo vos diu„tius differtis Catholicorum causſas, & „sententias vestris publicatis Decretis „confirmare, & veluti ab hostium in„sidiis vindicatas in tuto collocare: Con„cilium vero ipsum ob Germaniam, & „Galliam convocatum esse, nemo est, „qui ignoret, nam Regis quidem Ca„tholici regna, & pacata erant, & Con„cilio non indigebant, imo vero Rex „ipse Catholicus Concilium optavit, & „procuravit, ut Gallorum, & Germa„norum saluti consuleretur, quod ut „jam fiat, tempus ipsum vos monet, „Oratores Principum id omnes exoptant: „omnia Concilii finem exposcunt, om„nia sunt matura, colligendi sunt fru„ctus: oves vestræ vos exspectant, & „diuturniorem vestram absentiam ferre „non possunt: quare vestrum reditum „ad illas maturantes, expedite ea, quæ „in manibus habetis, & finem Conci„lio imponentes vestris quoque vigiliis, „& laboribus finem imponite, quæ ut „maturiorem, & uberiorem fructum „vobis ipsis, & universo orbi afferant, „assidue vestris, & omnium piorum pre„cibus a Deo contendendum est.„

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLVIII.

Sessio XXV. & postrema, seu nona sub Pio IV.

Labb. Collect. Conc. tom. 14. pag. 893. & p. 1659. Pallav. l. 5. num. 4. Rayn. n. 209.

Eadem die secunda Decembris faustum deferebatur nuntium, quod summus Pontifex non modo mortis periculum eluctatus fuerit, sed etiam magis firma, quam ante ægritudinem suam, valetudine fruatur. Altera die ipsemet Papa transmissis literis idem confirmabat, hacque occasione usus, denuo Patres rogabat, ut prompte Synodum finire satagerent. Affulsit ejus votis prosper rei successus, quippe die tertia Decembris habebatur vigesima quinta Sessio, quæ a Concilii initio postrema, sub Pii IV. autem Pontificatu nona fuit: ubi Patribus pro more in Ecclesia congregatis, peractisque solitis solemniis Sacrum celebrabatur a Zambeccaro Sulmonensi Episcopo: Hieronymus vero Ragazzonus Venetus Nazianzenus Episcopus, ac tum Famagustanus Coadjutor latinam habebat orationem in hæc Psalmi quadragesimi octavi verba: *Audite hæc omnes Gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram.* In quibus verbis omnes Nationes invitabat, ut considerent faustum hunc diem, in quo Templum Dei restauratur, atque navigium post tam diuturnam, ac horrendam

dam tempestatem ad portum venit: Sæcul. XVI. A.C. 1563.
„Major meæ ajebat, lætitiæ causa fuisset,
„si Protestantes una ad magni hujus
„operis felicitatem venire voluissent; ve-
„rum id certe Patrum, aut Synodi culpa
„non accidit, quippe ad Concilium ce-
„lebrandum electa est illa urbs in fau-
„cibus Germaniæ, in ipso limine do-
„mus ipsorum posita, & quidem sine
„ullo præsidio, ne qua suspicio loci mi-
„nus liberi eis daretur, nec minus eo
„invitati sunt data fide publica, imo
„exspectati, & rogati fuere: insuper il-
„lorum absentium animabus consultum,
„explicata fide Catholica, & disciplí-
„na Ecclesiastica per reformationis ar-
„ticulos restituta.„ His dictis referebat omnia dogmata in Concilio facta, necnon abusus e ritibus sacris sublatos; si nulla alia causa convocandi Concilium fuisset, vel hoc solo nomine id dicebat faciendum, ut furtiva, & clandestina matrimonia prohiberentur: progressus inde ad ea, quæ pro reformatione constituta sunt, ostendit in singulis utilitatem publicam, quam ex hisce decretis Ecclesia esset perceptura: insuper adjungebat, quod in superioribus Conciliis actum sæpe fuerit de fide explicanda, moribusque corrigendis, at nunquam in ulla Synodo diligentius, atque distinctius, quam in Tridentina,

Sæcul. XVI. A C. 1563. cum ibi argumenta, & rationes hæreticorum pertractatæ fuerint, & nonnullæ tribus, quatuorve vicibus discussæ, ubi id summa sæpe contentione, ac æstu fiebat, non quod inter ipsos Patres esset animorum discordia, vel dissensio, quæ inter idem sentientes, idemque spectantes nulla esse poterat: sed idipsum fiebat ad veritatem sincere explicandam, atque ita illustrandam, ut adversariorum etiam absentium saluti non minus provideretur, quam si adfuissent: hortatus denique est omnes Patres, ut dein, ubi ad Diæceses rediissent, decreta fortiter exequerentur, necnon Deo primas gratias agerent, ac Pio IV. Pontifici, qui nec curæ, nec labori, nec sumptibus pepercit, ut tam sanctum opus ad felicem exitum deduceret, cum & missi sunt ad Protestantium nationes, atque provincias Nuntii, & Legati Tridentum: excitati Principes, ut illinc Oratores mitterent, nec ullis quoque sumptibus parceretur ad Concilii amplitudinem, ac libertatem tuendam: postea Legatos laudavit, quod Synodi Duces, ac Moderatores extitissent, & nominatim Cardinalem Moronum amplis elogiis honorabat; omnibus tandem Patribus gratulabatur gloriam, apud posteros sibi conciliatam, necnon immen-

immenſum gaudium, quo glorioſe redeuntes ſuos populos recreabunt. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XLIX.

Decretum primum de Purgatorio.

Labb. coll. Conc. l. c. Pallav. l. c.

„Cum Catholica Eccleſia, Spiritu ſancto edocta, ex ſacris literis, & „antiqua Patrum traditione in ſacris „Conciliis, & noviſſime in hac Oecu„menica Synodo, docuerit Purgatorium „eſſe, animasque ibi detentas fidelium „ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili „altaris ſacrificio juvari; præcipit ſancta „Synodus Epiſcopis, ut ſanam de pur„gatorio doctrinam, a ſanctis Patribus, „& ſacris Conciliis traditam, a Chriſti „fidelibus credi, teneri, doceri, & ubi„que prædicari diligenter ſtudeant: apud „rudem vero plebem difficiliores, ac „ſubtiliores quæſtiones, quæque ad „ædificationem non faciunt, & ex qui„bus plerumque nulla fit pietatis acceſ„ſio, a popularibus Concionibus ſeclu„dantur: incerta item, vel quæ ſpecie „falſi laborant, evulgari, ac tractari „non permittant: ea vero, quæ ad cu„rioſitatem quamdam, aut ſuperſtitio„nem ſpectant, vel turpe lucrum ſa„piunt, tanquam ſcandala, & fidelium „offendicula prohibeant: curent autem „Epiſcopi, ut fidelium vivorum ſuffra„gia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, Ora-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„tiones, eleemosynæ, aliaque pietatis „opera, quæ a fidelibus pro aliis fide„libus defunctis fieri consueverunt, se„cundum Ecclesiæ instituta pie, & de„vote fiant, & quæ pro illis ex testato„rum fundationibus, vel alia ratione „debentur, non perfunctorie, sed a Sa„cerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & „aliis, qui hæc præstare tenentur, di„ligenter, & accurate persolvantur.

§. L.

Decretum II.

De invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sacris imaginibus.

Labbe & Pallav. l. c.

„Mandat sancta Synodus omnibus E„piscopis, & ceteris docendi mu„nus, curamque sustinentibus, ut juxta „catholicæ, & apostolicæ Ecclesiæ u„sum a primævis christianæ religionis „temporibus receptum, sanctorumque „Patrum consensionem, & sacrorum „Conciliorum Decreta, in primis, de „Sanctorum intercessione, invocatione, „Reliquiarum honore, & legitimo ima„ginum usu fideles diligenter in„struant, docentes eos, Sanctos una „cum Christo regnantes orationes suas „pro hominibus Deo offerre, bonum, „atque utile esse suppliciter eos invo„care,

„care, & ob beneficia impetranda a Deo „per Filium ejus Jesum Christum Do- „minum nostrum, qui solus noster Re- „demptor, & Salvator est, ad eorum o- „rationes, opem, auxiliumque confu- „gere: illos vero, qui negant Sanctos „æterna felicitate in cœlo fruentes in- „vocandos esse, aut qui asserunt, vel „illos pro hominibus non orare, vel eo- „rum, ut pro nobis etiam singulis o- „rent, invocationem esse idololatriam, „vel pugnare cum verbo Dei, adversa- „rique honori unius Mediatoris Dei, & „hominum Jesu Christi, vel stultum esse „in cœlo regnantibus voce, vel mente „supplicare; impie sentire. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Sanctorum quoque Martyrum, & „aliorum cum Christo viventium sancta „corpora, quæ viva membra fuerant „Christi, & templum Spiritus Sancti, „ab ipso ad æternam vitam suscitan- „da, & glorificanda, a fidelibus vene- „randa esse, per quæ multa beneficia „a Deo hominibus præstantur, ita, ut „affirmantes Sanctorum Reliquiis ve- „nerationem, atque honorem non de- „beri, vel eas, aliaque sacra monumen- „ta a fidelibus inutiliter honorari, at- „que eorum opis impetrandæ causa „Sanctorum memorias frustra frequen- „tari, omnino damnandi sint, prout „jam

Sæcul. XVI. A. C. 1563. „jam pridem eos damnavit, & nunc „etiam damnat Ecclesia.

„Imagines porro Christi, Deiparæ Vir„ginis, & aliorum Sanctorum, in templis „præsertim, habendas, & retinendas, eis„que debitum honorem, & venerationem „impertiendam, non quod credatur in„esse aliqua in iis divinitas, vel virtus, „propter quam sint colendæ, vel quod „ab eis sit aliquid petendum, vel quod „fiducia in imaginibus sit figenda, ve„luti olim fiebat a gentibus, quæ in i„dolis spem suam collocabant, sed quo„niam honos, qui eis exhibetur, refer„tur ad prototypa, quæ illæ repræsen„tant, ita, ut per imagines, quas oscu„lamur, & coram quibus caput aperi„mus, & procumbimus, Christum ado„remus, & Sanctos, quorum illæ si„militudinem gerunt, veneremur. Id „quod Conciliorum, præsertim vero se- Act. 3. 4. & 6. „cundæ Nicænæ Synodi decretis con„tra imaginum oppugnatores est san„citum.

„Illud vero diligenter doceant Epis„copi, per historias mysteriorum nostræ „redemptionis, picturis, vel aliis simi„litudinibus expressas, erudiri & con„firmari populum in articulis fidei com„memorandis, & assidue recolendis; „tum vero ex omnibus sacris imagini„bus magnum fructum percipi, non so„lum,

Sæcul. XVI. A. C. 1563

„lum, quia admonetur populus benefi-
„ciorum, & munerum, quæ a Chriſto
„ſibi collata ſunt, ſed etiam, quia Dei
„per Sanctos miracula, & ſalutaria ex-
„empla oculis fidelium ſubjiciuntur, ut
„pro iis Deo gratias agant, ad ſancto-
„rumque imitationem vitam, mores-
„que ſuos componant, excitenturque ad
„adorandum, ac diligendum Deum, &
„ad pietatem colendam: ſi quis autem
„his decretis contraria docuerit, aut
„ſenſerit; anathema ſit.

„In has autem ſanctas, & ſalutares
„obſervationes, ſi qui abuſus irrepſerint,
„eos prorſus aboleri ſancta Synodus
„vehementer cupit, ita, ut nullæ falſi
„dogmatis imagines, & rudibus peri-
„culoſi erroris occaſionem præbentes
„ſtatuantur: quod ſi aliquando hiſto-
„rias, & narrationes ſacræ Scripturæ,
„cum id indoctæ plebi expediet, expri-
„mi, & figurari contigerit, doceatur
„populus, non propterea divinitatem
„figurari, quaſi corporeis oculis conſpi-
„ci, vel coloribus, aut figuris exprimi
„poſſit: omnis porro ſuperſtitio in San-
„ctorum invocatione, Reliquiarum ve-
„neratione, & imaginum ſacro uſu tol-
„latur; omnis turpis quæſtus elimine-
„tur, omnis denique laſcivia vitetur,
„ita, ut procaci venuſtate imagines
„non pingantur, nec ornentur, & San-
„ctorum

Sæcul. XVI A.C. 1563.

„ctorum celebratione, ac Reliquiarum „visitatione homines ad commessatio- „nes, atque ebrietates non abutantur, „quasi festi dies in honorem Sanctorum „per luxum, ac lasciviam agantur. Po- „stremo tanta circa hæc diligentia, & „cura ab Episcopis adhibeatur, ut ni- „hil inordinatum, aut præpostere, & „tumultuarie accomodatum, nihil pro- „fanum, nihilque inhonestum appareat, „cum domum Dei deceat Sanctitudo.

„Hæc ut fidelius observentur, statuit „sancta Synodus, nemini licere ullo in „loco, vel Ecclesia, etiam quomodoli- „bet exempta, ullam insolitam ponere, „vel ponendam curare imaginem, nisi „ab Episcopo approbata fuerit, nulla e- „tiam admittenda esse nova miracula, „nec novas Reliquias recipiendas, nisi „eodem recognoscente, & approbante E- „piscopo: qui simul, atque de iis ali- „quid compertum habuerit, adhibitis in „consilium Theologis, & aliis piis viris, „ea faciat, quæ veritati, & pietati con- „sentanea judicaverit; quod si aliquis „dubius, aut difficilis abusus sit extir- „pandus, vel omnino aliqua de iis re- „bus gravior quæstio incidat; Episco- „pus, antequam controversiam dirimat, „Metropolitani, & Comprovincialium „Episcoporum in Concilio provinciali „sententiam expectet, ita tamen, ut ni-

„hil

„hil inconsulto sanctissimo Romano „Pontifice novum, aut in Ecclesia ha- „ctenus inusitatum decernatur. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Circa hoc Decretum de invocatione Sanctorum omnes quidem Patres unanimi suffragio petebant, ut sigillatim cunctæ opiniones Ecclesiæ Romanæ usui repugnantes damnentur, haud exigua autem movebatur quædam difficultas circa rationem, qua cultus his imaginibus deferatur; quippe Lancianensis Archiepiscopus eas duntaxat cultu, ut ajunt, respectivo esse honorandas propugnabat: verum Pater Laynesius addebat, quod præter hunc honorem, qui eis defertur ob id, quod repræsentant, etiam ipsis debeatur alius cultus eis proprius, quando in loco adorationis sunt expositæ. Porro hunc cultum appellabat objectivum, alterum vero relativum; nam, inquiebat ille, sicut vasa, vestesque sacræ venerationis, quæ ipsis propter consecrationem debetur, dignæ sunt, quamvis nihil sanctum repræsentent, ita etiam Imago, quæ ad cultum dicatur, meretur venerationem præter illum cultum, qui ei propter id, quod repræsentat, defertur. Porro Cardinalis Osius juxta utriusque sententiam Decretum ita concinnabat, ut Archiepiscopi opinio utpote clara, & intellectu facilis exprimere-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

meretur, quin tamen ulla insereretur vox, quæ alterius opinioni adversabatur: quapropter utrumque Decretum de Purgatorio, & cultu Sanctorum a Patribus fuit approbatum per vocem *Placet*, solus tamen Montis Marani Episcopus dixit, quod sibi non licuisset ob temporis penuriam certum judicium stabilire, ac proinde in Pontifice, ac Sede Apostolica id reponeret: Guadicensis vero Episcopus Decretorum veritatem comprobans addebat, quod præceps celeritas in conficiendis hisce Decretis sibi minus grata fuisset: interim reliqui omnes responderunt per merum verbum *placet*. Dein lecti sunt Canones tam ad peculiarem Regularium, quam ad universalem cunctorum disciplinam spectantes.

§. LI.

De reformatione Regularium, & Monialium.

Hæc Decreta viginti duobus capitibus comprehensa his erant concepta verbis.

Eadem Sacrosancta Synodus reformationem prosequens, ea, quæ sequuntur, statuenda esse censuit.

CAPUT

Sæcul XVI. A.C 1563.

CAPUT I.

Regulares omnes, ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant: id ut fiat, Superiores ſedulo curent.

„Quoniam non ignorat ſancta Syno„dus, quantum ex monaſteriis „pie inſtitutis, & recte adminiſtratis, „in Eccleſia Dei ſplendoris, atque uti„litatis oriatur; neceſſarium eſſe cen„ſuit, quo facilius, ac maturius, ubi „collapſa eſt, vetus, & regularis diſci„plina inſtauretur, & conſtantius, ubi „conſervata eſt, perſeveret, præcipere, „prout hoc Decreto præcipit, ut omnes „Regulares tam viri, quam mulieres, „ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcri„ptum vitam iuſtituant, & componant, „atque in primis, quæ ad ſuæ profes„ſionis perfectionem, ut obedientiæ, „paupertatis, & caſtitatis, ac, ſi quæ „alia ſunt alicujus regulæ, & ordinis „peculiaria vota, & præcepta, ad eo„rum reſpective eſſentiam, nec non ad „communem vitam, victum, & veſti„tum conſervanda pertinentia, fideli„ter obſervent, omnisque cura, & dili„gentia a Superioribus adhibeatur, tam „in Capitulis generalibus, & provin„cialibus, quam in eorum viſitationi„bus, quas ſuis temporibus facere non

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„prætermittant, ut ab illis non recedatur; cum compertum sit ab eis non „posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari, si enim „illa, quæ bases sunt, & fundamenta „totius Regularis disciplinæ, exacte „non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.

§. LII.

CAPUT II.

Proprietas regularibus omnino prohibetur.

„Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum, licet „bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam „propria, aut etiam nomine conventus, possidere, vel tenere, sed statim „ea Superiori tradantur, conventuique „incorporentur. Nec deinceps liceat „Superioribus bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut „commendam: administratio autem „bonorum Monasteriorum, seu conventuum ad solos Officiales eorundem, ad „nutum Superiorum amovibiles, pertineat: mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex „statui

„ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, Sæcul. XVI.
„conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, A. C. 1563.
„nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis
„denegetur. Quod ſi aliquis quidquam
„tenere deprehenſus, aut convictus fue-
„rit, is biennio activa, ac paſſiva vo-
„ce privatus ſit, atque etiam juxta ſuæ
„regulæ, & ordinis conſtitutiones pu-
„niatur.

§. LIII.

Bona immobilia poſſidendi facultas Regularibus conceſſa.

CAPUT III.

Omnia monaſteria, quæ hic non prohibentur, poſſunt poſſidere bona immobilia: numerus perſonarum in illis pro modo facultatum, aut eleemoſynarum conſtituendus: nulla ſine licentia Epiſcopi erigenda.

„Concedit ſancta Synodus omnibus monaſteriis, & domibus, tam vi-
„rorum, quam mulierum, & Mendican-
„tium, exceptis domibus Sancti Fran-
„ciſci Capucinorum, & eorum, qui Mi-
„norum de obſervantia vocantur, etiam
„quibus aut ex conſtitutionibus ſuis e-
„rat prohibitum, aut ex privilegio A-
„poſtolico non erat conceſſum, ut dein-
„ceps bona immobilia eis poſſidere
„liceat: quod ſi aliqua loca ex prædi-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„ctis, quibus auctoritate Apostolica si„milia bona possidere permissum erat, „eis spoliata sint, eadem omnia illis re„stituenda esse decernit. In prædictis „autem Monasteriis & domibus, tam „virorum, quam mulierum, bona im„mobilia possidentibus, is tantum nu„merus constituatur, ac in posterum „conservetur, qui vel ex reditibus pro„priis monasteriorum, vel ex consuetis „eleemosynis commode possit sustenta„ri, nec de cetero similia loca erigan„tur sine Episcopi, in cujus Diœcesi e„rigenda sunt, licentia prius obtenta.

Sarpius l. 3. p. 774.

In ea Congregatione, in qua examinabatur tertium hoc caput, vi cujus omnibus Religiosis Mendicantibus concessum, ut bona immobilia possidere possent, quamvis eorum Regulis repugnaret, Frater Franciscus Zamora Generalis Fratrum S. Francisci de observantia instabat, ut ipsius ordo exciperetur, nam asserebat, quod firmiter hi omnes Religiosi statuissent juxta S. Francisci regulam vivere, a qua haud quaquam eximendi essent, qui exemptionem non peterent. Igitur satisfactum est ejus precibus, hoc Ordine excepto: sed & Capuccinis instante ea de re F. Thoma Casello ipsorum Generali idem concedebatur. Insuper instabat Jesuitarum Generalis Pater Laynesius, ut excipe-

ciperetur Societas Jesu, nam affirmabat, quod ecquidem Collegia illa, quæ pro Scholaribus necdum Religionem professis destinarentur, bonis immobilibus frui possent, domus tamen professorum, in quibus proprie Societas consistit, teneantur non nisi ex mendicato vivere, quin aliquod bonum stabile possiderent. Id quoque facile ei concessum est, verum postridie reversus sua dicta revocabat, atque in exemptione comprehendi petiit, ita inquiens: „Societas „quidem mea perpetuo ex mendicatis „in domibus professis vivet: ceterum „a nobis non id pensi habetur, ut hoc „nomine mundi applausum consequa„mur; sufficit nobis meritum apud „Deum, quod tanto etiam erit majus, „cum nunquam, quamvis licitum esset, „Concilii liberalitate simus usuri.„ Id consilii de communi sententia illorum quatuor Jesuitarum, qui Synodo intererant, initum est, proponente Patre Torrensi, qui ajebat, hoc pacto liberum ipsis fore, concessione Concilii vel uti, vel non uti, prout commodum videretur.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LIV.

De Religiosorum exitu.

Sæc XVI. A C 1562

CAPUT IV.

Regularis ſine Superioris licentia nec ſe obſequio alterius loci, aut perſonæ ſubjiciat: nec a conventu recedat: abſens ſtudiorum cauſſa in Conventibus commoretur.

„Prohibet ſancta Synodus, ne quis „Regularis ſine ſui Superioris li„centia, prædicationis, vel lectionis, „aut cujusvis pii operis prætextu, ſub„jiciat ſe obſequio alicujus Prælati, „Principis, vel Univerſitatis, vel Com„munitatis, aut alterius cujuscunque „perſonæ, ſeu loci; neque ei aliquod „privilegium, aut facultas ab aliis ſu„per iis obtenta ſuffragetur: quod ſi „contra fecerit, tanquam inobediens „arbitrio Superioris puniatur. Nec li„ceat Regularibus a ſuis conventibus „recedere, etiam prætextu ad Superio„res ſuos accedendi, niſi ab eisdem miſ„ſi, aut vocati fuerint: qui vero ſine „prædicto mandato in ſcriptis obtento „repertus fuerit, ab Ordinariis locorum „tanquam deſertor ſui inſtituti punia„tur: illi autem, qui ſtudiorum cauſſa „ad Univerſitates mittuntur, in Conven„tibus tantum habitent; alioquin ab „Ordinariis contra eos procedatur.

§. LV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

§. LV.

De clauſura Monialium.

CAPUT V.

Clauſuræ Monialium, præſertim quæ extra urbes agunt, provideatur.

„Bonifacii Octavi conſtitutionem, quæ „incipit: *Periculoſo*, renovans ſan- „cta Synodus, univerſis Epiſcopis, ſub „obteſtatione divini judicii, & intermi- „natione maledictionis æternæ, præci- „pit, ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſub- „jectis ordinaria, in aliis vero Sedis „Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram San- „ctimonialium, ubi violata fuerit, dili- „genter reſtitui, & ubi inviolata eſt, „conſervari maxime procurent, inobe- „dientes, atque contradictores per cen- „ſuras Eccleſiaſticas, aliasque pœnas, „quacunque appellatione poſtpoſita, „compeſcentes, invocato etiam ad hoc, „ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcula- „ris, quod auxilium ut præbeatur, o- „mnes chriſtianos Principes hortatur „ſancta Synodus, & ſub excommuni- „cationis pœna, ipſo facto incurrenda, „omnibus Magiſtratibus ſecularibus in- „jungit. Nemini autem ſanctimonia- „lium liceat poſt profeſſionem exire a „monaſterio, etiam ad breve tempus, „quocunque prætextu, niſi aliqua ex „legitima

C. de ſtatu Regul. in 6.

Sæc. XVI. A. C. 1563

„gitima cauſſa, ab Epiſcopo approba-
„da, indultis quibuscunque, & privile-
„giis non obſtantibus: ingredi autem in-
„tra ſepta monaſterii nemini liceat,
„cujuscunque generis, aut conditionis,
„ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi,
„vel Superioris licentia in ſcriptis ob-
„tenta, ſub excommunicationis pœna,
„ipſo facto incurrenda; dare autem ta-
„tum Epiſcopus, vel Superior licen-
„tiam debet in caſibus neceſſariis, in-
„que alius ullo modo poſſit, etiam vi-
„gore cujuscunque facultatis, vel in-
„dulti hactenus conceſſi, vel in poſte-
„rum concedendi: & quia monaſteria
„ſanctimonialium, extra mœnia urbis,
„vel oppidi conſtituta, malorum hom-
„num prædæ, & aliis facinoribus ſine
„ulla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita, cu-
„rent Epiſcopi, & alii Superiores, ſi ita
„videbitur expedire, ut ſanctimoniales
„ex iis ad nova, vel antiqua Monaſte-
„ria intra urbes, vel oppida frequentia
„reducantur, invocato etiam auxilio, ſi
„opus fuerit, brachii ſecularis: impe-
„dientes vero, vel non obedientes, per
„cenſuras Eccleſiaſticas parere com-
„pellant.

§. LVI.

De Superiorum electionibus.

CAPUT

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

CAPUT VI.

Ratio eligendi Superiores.

„In electione Superiorum, quorumcunque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & „Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte, & sine ulla fraude fiant, in primis sancta Synodus districte præcipit, omnes supra „dictos eligi debere per vota secreta, ita, „ut singulorum eligentium nomina „nunquam publicentur. Nec in posterum liceat Provinciales, aut Abbates, „Priores, aut alios quoscunque Titulares, ad effectum electionis faciendæ „constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere: si vero contra hujus Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, „qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari „permiserit, deinceps ad omnia officia „in Religione obtinenda inhabilis exístat, facultatesque super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur, & „si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur.

§. LVII.

De electione Superiorum in Monialium Monasteriis.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

CAPUT VII.

Quæ, & quomodo in Abbatiſſas, & quocunque nomine Præfectas eligendæ: duobus Monaſteriis nulla præficiatur.

„Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocunque „alio nomine Præfecta, vel Præ„poſita appelletur, eligatur non minor „annis quadraginta, & quæ octo an„nis poſt expreſſam profeſſionem lau„dabiliter vixerit: quod ſi his qualita„tibus non reperiatur in eodem mona„ſterio, ex alio ejusdem ordinis eligi „poſſit: ſi hoc etiam incommodum Su„periori, qui electioni præeſt, videatur; „ex iis, quæ in eodem Monaſterio an„num trigeſimum exceſſerint, & quin„que ſaltem annis poſt profeſſionem re„cte vixerint, Epiſcopo, vel alio Su„periore conſentiente eligatur: duo„bus vero Monaſteriis nulla præficia„tur, & ſiqua duo, vel plura quo„cunque modo obtinet, cogatur, uno „excepto, intra ſex Menſes cetera re„ſignare: poſt id vero tempus, niſi re„ſignaverit, omnia ipſo jure vacent: is „vero, qui electioni præeſt, Epiſcopus, „ſive alius Superior, clauſtra Monaſte„rii non ingrediatur, ſed ante cancello„rum feneſtellam vota ſingularum au„diat, vel accipiat. In reliquis ſerven„tur

„ventur singulorum ordinum, vel mo- Sæcul. XVI. A.C. 1563.
„nasteriorum constitutiones.

§. LVIII.

De Monasteriis Sedi Apostolicæ subjectis.

CAPUT VIII.

Regimen monasteriorum, non habentium Ordinarios Regulares Visitatores, quomodo instituendum.

„Monasteria omnia, quæ generalibus „capitulis, aut Episcopis non sub- „sunt, nec suos habent ordinarios regu- „lares Visitatores, sed sub immediata „Sedis Apostolicæ protectione, ac dire- „ctione regi consueverunt, teneantur in- „fra annum a fine præsentis Concilii, „& deinde quolibet triennio sese in con- „gregationes redigere juxta formam „constitutionis Innocentii tertii in Con- „cilio Generali, quæ incipit, *in singulis*, *Conc. Gen. Lateran. IV. c. 12.* „ibique certas regulares personas de- „putare, quæ de modo, & ordine, de „prædictis Congregationibus erigendis, „ac statutis in eis exequendis delibe- „rent, & statuant. Quod si in his negli- „gentes fuerint, liceat Metropolitano, „in cujus provincia prædicta Monaste- „ria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ „Delegato, eos pro prædictis caussis „convocare: Quod si infra limites unius

„provin-

Sæcl. XVI. A. C. 1563.

„provinciæ non sit sufficiens talium mo„nasteriorum numerus ad erigendam „congregationem, possint duarum, vel „trium provinciarum monasteria unam „facere congregationem: ipsis autem „Congregationibus constitutis, illarum „generalia capitula, & ab illis electi „Præsides, vel Visitatores eandem ha„beant auctoritatem in suæ Congrega„tionis monasteria, ac Regulares in eis „commorantes, quam alii Præsides, „ac Visitatores in ceteris habent Ordi„nibus, teneanturque suæ Congrega„tionis monasteria frequenter visitare, „& illorum reformationi incumbere, & „ea observare, quæ in sacris Canonibus, „& in hoc sacro Concilio sunt decreta: „quod si etiam Metropolitano instante „prædicta exequi non curaverint, Epi„scopis, in quorum Diæcesibus loca „prædicta sita sunt, tanquam Sedis „Apostolicæ delegatis, subdantur.

Hoc reformationis decretum in Galliis adeo necessarium credebatur, ut per edictum Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo adoptaretur, atque in septimo ejus articulo præciperetur, quatenus Religiosi, qui nulli Ordinis Superiori sunt obnoxii, teneantur, & adstringantur sibi certum Ordinem seligere, cujus Superioris visitationi subjaceant, quin tamen fiat præjudi-

Sæcul XVI. A. C. 1563.

judicium ordinariæ Præſulum iurisdictioni. Hoc etiam præſcriptum erat in articulo decimo ſeptimo Bleſſenſis edicti his verbis: „Omnia Monaſteria, quæ „Capitulis generalibus non ſunt ſubjecta, „ac ſe immediate Sedi Apoſtolicæ ſub„jecta prætendunt, intra unius anni ſpa„tium absque ulteriori mora adſtringen„tur, ſeſe unire cuidam Congregationi „Ordinis ſui, ejusdemque Regni: porro „in eadem Congregatione fiant ſtatuta, „& eligantur viſitatores deputati, qui „ea, quæ pro regulari diſciplina decer„nentur, executioni mandari, obſer„vari, atque in opus deduci curabunt: „ſi vero renuerint, aut ulteriorem mo„ram traxerint, per Epiſcopum providebi„tur, inſuper in articulo trigeſimo hæc „habentur: in omnibus Monaſteriis tam „Religioſorum, quam Monialium, ut„riusque ſexus Regulares vivere teneantur in communi, & juxta regulam, „quam profeſſi ſunt, quam in rem Ar„chiepiſcopis, Epiſcopis & Ordinum „Superioribus incumbat, ut monaſteria „curæ ſuæ commiſſa viſitantes Diſcipli„nam Monaſticam, ejusque vigorem „juxta primævum horum Monaſteriorum „inſtitutum reſtaurent, ibidemque tot „Religioſos collocent, quot ad Divini „officii celebrationem neceſſarii ſunt, „atque ea, quæ ipſi ibidem decernent, „effe-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„effectui dabuntur, insuperhabitis op„positionibus, & appellationibus qui„buscunque.„

Edictum Anno Salutis nostræ mil lesimo quingentesimo nonagesimo sext ad Cleri preces editum in articulo se ptimo hæc habet: „Usquedum Abbates „& Religiosi, qui Archiepiscoporum, at„que Episcoporum jurisdictione, & visi„tatione immunes sunt, sese cuidan„Ordinis sui Congregationi aggregave„rint, ac Visitatores pro Monasterio„rum Reformatione nominaverint, at„que elegerint, interim Archiepiscop„& Episcopi in sua quisque Diæcesi præ„fata visitabunt monasteria, atque ea„quæ reformationem, & disciplinam„Regularem concernent, providebun„sibi vero adjungent duos ejus„dem Ordinis Patres ex hisce Mona„steriis, atque omnia, quæ a præfatis„Archiepiscopis, & Episcopis erun„sancita, executioni mandabuntur, non„obstantibus oppositionibus, & appel„lationibus quibuscunque.

§. LIX.

De Monialium Monasteriis Pontifi subditis.

CAPUT IX.

Monialium monasteria immediate subjecta Sedi

Sedi Apoſtolicæ ab Epiſcopo regantur: alia vero a deputatis in Capitulis generalibus, vel aliis Regularibus.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„Monaſteria Sanctimonialium, ſanctæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſub„jecta, etiam ſub nomine capitulorum „ſancti Petri, vel ſancti Joannis, vel „alias quomodocunque nuncupentur, „ab Epiſcopis, tanquam dictæ Sedis de„legatis, gubernentur, non obſtanti„bus quibuscunque: quæ vero a De„putatis in Capitulis generalibus, vel „ab aliis Regularibus reguntur, ſub eo„rum cura, & cuſtodia relinquantur.

Trigeſimo, & trigeſimo primo Bleſſenſis edicti articulo, necnon alio decreto circa annum Domini milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum nonum edito diſertis verbis in articulo quarto omnibus Prælatis tam Regularibus, quam ſæcularibus injungitur, ut ſexto Menſe poſt præfati edicti promulgationem Abbatiarum, Prioratuum, aliorumque per Diæceſes ſuas conventuum tam Religioſorum, quam Monialium, quæ non ſubſunt Congregationi reformatæ, reformationi incumbant, ibidemque Monaſticam regulam, & clauſuram obſervari curent non obſtantibus cunctis reſervationibus ſacræ Sedis: inſuper opem ferant, ut harum Congregationum Superiores ſuo officio ſatisfa-

Sæcul. XVI. A.C 1563.

tisfacere poſſint. Itaque juxta hoc edictum Epiſcopis ſartum ſervabatur jus viſitandi Monaſteria Fontis-Ebraldi, contra quæ lata eſt Senatus ſecretioris ſententia Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto die vigeſima ſeptima Auguſti. Pariter Aptenſis Epiſcopus juxta latam ſententiam reſtaurabat reformationem Monialium ſanctæ Catharinæ Aptenſis Ordinis S. Auguſtini, die vigeſima prima Decembris Anno ab Incarnatione Dominica milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, quæ eadem ſententia in Provincia per Senatus edictum die vigeſima nona junii Anno reparatæ Salutis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono confirmata fuit. Præterea Pariſienſis Senatus edicto die ſexta Martii Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio fuit declaratum, quod Abbatiſſa, & ejus Moniales ex Ordine, & Regula S. Benedicti viſitationi, omnique alteri jurisdictioni, ac poteſtati Lemovicenſis Epiſcopi ſint ſubjectæ: Puteanus quoque Epiſcopus vindicabat jus ſuum, vi cujus monaſterium S. Claræ, quod ſanctæ Colettæ reformationem amplectebatur, in eadem urbe intrabat, ut ibidem clauſuram luſtraret, non obſtantibus earum privilegiis, & exemptionibus, nam contra illas edebatur

tur Secretioris Senatus edictum die vigesima sexta Augusti Anno post Christum natum millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio. Sæcul. XVI. A C. 1563.

§. LX.

De Monialium Confessariis.

CAPUT X.

Moniales unoquoque mense confiteantur, & communicent: de Confessario extraordinario iis ab Episcopo provideatur: apud illas extra publicam Ecclesiam Eucharistia non conservetur.

„Attendant diligenter Episcopi, & ce-„teri Superiores monasteriorum „Sanctimonialium, ut in constitutioni-„bus earum admoneantur Sanctimonia-„les, ut saltem semel singulis mensibus „confessionem peccatorum faciant, & „Sacrosanctam Eucharistiam sucipiant, „ut eo se salutari præsidio muniant ad „omnes oppugnationes dæmonis forti-„ter superandas: præter ordinarium „autem Confessorem, alius extraordi-„narius ab Episcopo, & aliis Superiori-„bus, bis, aut ter in anno offeratur, „qui omnium confessiones audire de-„beat. Quod vero Sanctissimum Christi „Corpus intra Chorum, vel septa Mo-„nasterii, & non in publica Ecclesia „conservetur, prohibet sancta Synodus,

Sæcul. XVI. A. C 1563. „non obstante quocunque indulto, aut „privilegio.

§. LXI.

De Parochis Religiosis.

CAPUT XI.

In Monasteriis, quibus imminet cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum familia, visitet Episcopus, & eidem curæ præficiendas examinet, certis exceptis.

„In monasteriis, seu domibus virorum, „seu mulierum, quibus imminet „animarum cura personarum sæcula„rium, præter eas, quæ sunt de illo„rum monasteriorum, seu locorum fa„milia, personæ tam regulares, quam „sæculares hujusmodi curam exercen„tes subsint immediate in iis, quæ ad „dictam curam, & Sacramentorum ad„ministrationem pertinent, jurisdictioni, „visitationi, & correctioni Episcopi, in „cujus Diœcesi sunt sita. Nec ibi ali„qui, etiam ad nutum amovibiles, de„putentur, nisi de ejusdem consensu, „ac prævio examine, per eum, aut „ejus Vicarium faciendo, excepto mo„nasterio Cluniacensi cum suis limiti„bus, & exceptis etiam iis monasteriis, „seu locis, in quibus Abbates gene„rales, aut capita Ordinum, sedem or-

„dina-

„dinariam principalem habent, atque Sæcul. XVI.
„aliis monasteriis, seu domibus, in qui- A. C. 1563.
„bus Abbates, aut alii Regularium Su-
„periores jurisdictionem Episcopalem,
„& temporalem in Parochos, & paro-
„chianos exercent, salvo tamen eorum
„Episcoporum jure, qui majorem in
„prædicta loca, vel personas jurisdictio-
„nem exercent.„

§. LXII.

De censurarum obligatione.

CAPUT XII.

Conformentur regulares sæcularibus in observatione censurarum Episcopalium, & festorum Diœcesis.

„Censuræ, & interdicta, nedum a
„Sede Apostolica emanata, sed
„etiam ab Ordinariis promulgata, man-
„dante Episcopo, a Regularibus in eo-
„rum Ecclesiis publicentur, atque ser-
„ventur: dies etiam festi, quos in Diœ-
„cesi sua servandos idem Episcopus præ-
„ceperit, ab exemptis omnibus etiam
„Regularibus serventur.

§. LXIII.

De Sedis prærogativa inter Regulares, & sæculares Clericos.

CAPUT XIII.

Controversias de præcedentia e vestigio com-

Sæcul. XVI. A.C 1563.

ponat Episcopus. Exempti non in strictiori clausura viventes ad supplicationes publicas accedere compellantur.

„Controversias omnes de præceden-
„tia, quæ persæpe maximo cum
„scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas
„personas, tam sæculares, quam regu-
„lares, cum in processionibus publicis,
„tum in iis, quæ fiunt in tumulandis
„defunctorum corporibus, & in dese-
„renda umbella, & aliis similibus, Epi-
„scopus amota omni appellatione, &
„non obstantibus quibuscunque com-
„ponat: exempti autem omnes, tam
„Clerici sæculares, quam Regulares
„quicunque, etiam Monachi ad publi-
„cas processiones vocati, accedere com-
„pellantur, iis tantum exceptis, qui in
„strictiori clausura perpetuo vivunt.

§. LXIV.

De puniendis Regularibus.

CAPUT XIV.

Regulari publice delinquenti pœna a quo irroganda.

„Regularis non subditus Episcopo, qui
„intra claustra Monasterii degit,
„& extra ea ita notorie deliquerit, ut
„populo scandalo sit, Episcopo instante,
„a suo Superiore intra tempus ab Epi-
„scopo præfigendum severe puniatur,
„ac

„ac de punitione Episcopum certiorem „faciat: sin minus, a suo Superiore „officio privetur, & delinquens ab Epi„scopo puniri possit. Sæc. XVI. A. C. 1563.

§. LXV.

De professionis tempore.

CAPUT XV.

Professio non fiat nisi anno probationis exacto, & decimo sexto ætatis completo.

„In quacunque Religione, tam viro„rum, quam mulierum, professio „non fiat ante decimum sextum annum „expletum, nec qui minori tempore, „quam per annum, post susceptum ha„bitum in probatione steterit, ad pro„fessionem admittatur. Professio au„tem antea facta sit nulla, nullamque „inducat obligationem ad alicujus Re„gulæ, vel Religionis, vel Ordinis ob„servationem, aut ad alios quoscunque „effectus.„

§. LXVI.

De Novitiorum cessionibus.

CAPUT XVI.

Renuntiatio, aut obligatio facta ante duos menses proximos professioni sit nulla: finita probatione Novitii, aut profiteantur, aut ejiciantur. In pio Clericorum Societatis

Sæc. XVI A.C. 1563.

Jesu instituto nihil innovatur. Cavetur, ne quid ex bonis Novitii monasterio tribuatur ante professionem.

„Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum „juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat „intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur „effectum suum sortiri, nisi secuta profession: aliter vero facta, etiamsi cum „hujus favoris expressa renuntiatione, „etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus. Finito tempore Novitiatus, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, „aut e monasterio eos ejiciant: per „hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, „quin Religio Clericorum Societatis „Jesu, juxta pium eorum institutum a „sancta Sede Apostolica approbatum, „Domino, & ejus Ecclesiæ inservire „possit. Sed neque ante professionem, „excepto victu, & vestitu Novitii, vel „Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam,

„vel

„vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ „monaſterium poſſideat, nec facile ſi „diſceſſerit, id recuperare poſſit: quin „potius præcipit ſancta Synodus ſub „anathematis pœna dantibus, & re„cipientibus, ne hoc ullo modo fiat, „& ut abeuntibus ante profeſſionem om„nia reſtituantur, quæ ſua erant: quod „ut recte fiat, Epiſcopus etiam per cen„ſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, „compellat.

§. LXVII.

De Examine Monialium.

CAPUT XVII.

Puella major duodecim annis, ſi habitum regularem ſuſcipere voluerit, exploretur ab Ordinario, iterumque ante profeſſionem.

„Libertati profeſſionis Virginum Deo „dicandarum proſpiciens ſancta "Synodus, ſtatuit, atque decernit, ut, "ſi puella, quæ habitum regularem ſu"ſcipere voluerit, major duodecim an"nis ſit, non ante ſuſcipiat, nec poſtea "ipſa, vel alia profeſſionem emittat, "quam exploraverit Epiſcopus, vel eo "abſente, vel impedito, ejus Vicarius, "aut aliquis eorum ſumptibus ab eis "deputatus, Virginis voluntatem di"ligenter, an coacta, an ſeducta ſit, an

Sæcul XVI. A C 1563.

„sciat, quid agat, & si voluntas ejus „pia, ac libera cognita fuerit, habue„ritque conditiones requisitas juxta mo„nasterii illius, & Ordinis regulam, nec „non monasterium fuerit idoneum, li„bere ei profiteri liceat, cujus professio„nis tempus ne Episcopus ignoret, te„neatur Præfecta monasterii eum ante „mensem certiorem facere: quod si Præ„fecta certiorem Episcopum non fece„rit, quamdiu Episcopo videbitur, ab „officio suspensa sit.

Huic Tridentinæ Synodi decreto edictum Blessense in duobus opponitur: quatenus. I. Istud non exigit, ut Superioriſſa Episcopum moneat ob examen puellæ habitu sacro induendæ, sed duntaxat pro illius professione. II. Idem edictum Superioriſſæ relinquit libertatem, an hanc in rem vel Episcopum, vel Ordinis superiorem convenire velit.

§. LXVIII.

Anathema in eos, qui professionem impediunt, vel ad eam cogunt.

CAPUT XVIII.

Ne quis præterquam in casibus a jure expressis, cogat mulierem ad ingrediendum Monasterium, aut ingredi volentem prohibeat: pœnitentium, seu convertitarum constitutiones serventur.

Ana-

„Anathematı ſancta Synodus ſubjicit „omnes, & ſingulas perſonas, cu- „juscunque qualitatis, vel conditionis „fuerint, tam clericos, quam laicos, „ſæculares, vel regulares, atque etiam „qualibet dignitate fungentes, ſi quo- „modocunque coegerint aliquam Virgi- „nem, vel viduam, aut aliam quam- „cunque mulierem, invitam, præter- „quam in caſibus in jure expreſſis, ad „ingrediendum monaſterium, vel ad „ſuſcipiendum habitum cujuscunque Re- „ligionis, vel ad emittendam profeſſio- „nem, quique conſilium, auxilium, vel „favorem dederint, quique ſcientes eam „non ſponte ingredi monaſterium, aut „habitum ſuſcipere, aut profeſſionem „emittere, quoque modo eidem actui, „vel præſentiam, vel conſenſum, „vel auctoritatem interpoſuerint. Si- „mili quoque anathemati ſubjicit eos, „qui ſanctam Virginum, vel aliarum „mulierum voluntatem veli accipiendi, „vel voti emittendi, quoquo modo ſine „juſta cauſſa impedierint. Eaque om- „nia, & ſingula, quæ ante profeſſio- „nem, vel in ipſa profeſſione fieri o- „portet, ſerventur, non ſolum in mo- „naſteriis ſubjectis Epiſcopo, ſed & in „aliis quibuscunque: ab his tamen ex- „cipiuntur mulieres, quæ pœnitentes,

Sæcul. XVI. A C. 1563.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„aut convertitæ appellantur, in quibus „constitutiones earum ſerventur.„

§. LXIX.

De reclamantibus contra ſuam Profeſſionem.

CAPUT XIX.

Quomodo in cauſſis deficientium a Religione procedendum.

„Quicunque Regularis prætendat, ſe „per vim, & metum ingreſſum „eſſe Religionem, aut etiam dicat ante „ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut „quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſſa, aut etiam „cum habitu diſcedere ſine licentia „Superiorum, non audiatur, niſi intra „quinquennium tantum a die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſſas, „quas prætenderit, deduxerit coram „Superiore ſuo, & Ordinario: quod ſi „antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcunque „cauſſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur: interim vero nullo „privilegio ſuæ religionis juvetur. Nemo „etiam Regularis cujuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, nec detur licentia cuiquam

Regu-

„Regulari occulte ferendi habitum ſuæ „Religionis. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXX.

De viſitatione Monaſteriorum.

CAPUT XX.

Superiores ordinum Epiſcopis non ſubjecti inferiora monaſteria viſitent, ac corrigant, etiam commendata.

„Abbates, qui ſunt Ordinum capita, „ac ceteri prædictorum Ordinum „Superiores, Epiſcopis non ſubjecti, „quibus eſt in alia inferiora monaſteria, „Prioratusve legitima jurisdictio, ea„dem illa ſibi ſubdita monaſteria, & „Prioratus, ſuo quisque loco, atque „ordine, ex officio viſitent, etiamſi „commendata exiſtant. Quæ cum or„dinum ſuorum capitibus ſubſint, de„clarat ſancta Synodus in iis, quæ alias „de viſitatione monaſteriorum commen„datorum definita ſunt, non eſſe com„prehenſa, teneanturque, quicunque „prædictorum Ordinum monaſteriis præ„ſunt, prædictos viſitatores recipere, „& illorum ordinationes exequi: ipſa „quoque Monaſteria, quæ ſunt Ordinum „capita, juxta ſanctæ Sedis Apoſtolicæ „& cujusque ordinis conſtitutiones viſi„tentur. Et quamdiu durabunt hujus„modi commendæ, Priores clauſtrales

„aut

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„aut in Prioratibus conventum habentibus Subperiores, qui correctiones, & „ſpirituale regimen exercent, a capitulis generalibus, vel ipſorum Ordinum „viſitatoribus inſtituantur. In ceteris „omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipſorum „perſonas, & loca, & jura concernunt, „firma ſint, & illæſa.

§. LXXI.

De Monaſteriis in commendam datis.

CAPUT XXI.

Monaſteria regularibus conferantur: Ordinum capita nemini in poſterum commendentur.

„Cum pleraque Monaſteria, etiam „Abbatiæ, Prioratus, & Præpoſi„turæ, ex mala eorum, quibus com„miſſa fuerunt, adminiſtratione, non „levia paſſa fuerint, tam in ſpirituali„bus, quam in temporalibus detrimen„ta, cupit ſancta Synodus ea ad con„gruam monaſticæ vitæ diſciplinam om„nino revocare; verum adeo dura, diffi„cilisque eſt præſentium temporum con„ditio, ut nec ſtatim omnibus, nec com„mune ubique, quod optaret, reme„dium poſſit adhiberi: ut tamen ni„hil prætermittat, unde prædictis ſa„lubriter aliquando provideri poſſit, „pri-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„primum quidem confidit, Sanctiſſimum „Romanum Pontificem pro ſua pietate, „& prudentia curaturum, quantum hæc „tempora ferre poſſe viderit, ut iis, „quæ nunc commendata reperiuntur, „& quæ ſuos conventus habent, regu„lares perſonæ ejusdem ordinis exa„preſſe profeſſæ, & quæ gregi præire, „& præeſſe poſſint, præficiantur: quæ „vero in poſterum vacabunt, nonniſi „regularibus ſpectatæ virtutis, & San„ctitatis conferantur, quoad ea vero „monaſteria, quæ capita ſunt, ac pri„mates Ordinum, ſive Abbatiæ, ſive „Prioratus, filiæ illorum capitum nun„cupantur, teneantur illi, qui in præ„ſenti ea in commendam obtinent, niſi „ſit eis de regulari ſucceſſore proviſum, „infra ſex menſes religionem illorum „ordinum propriam ſolemniter profiteri, „aut iis cedere: alias commendæ præ„dictæ ipſo jure vacare cenſeantur. Ne „autem in prædictis omnibus, & ſin„gulis fraus aliqua adhiberi poſſit, man„dat ſancta Synodus, ut in proviſioni„bus dictorum Monaſteriorum qualitas „ſingulorum nominatim exprimatur, „aliterque facta proviſio ſubreptitia eſſe „cenſeatur, nullaque ſubſequenti poſſeſ„ſione, etiam triennali, adjuvetur.„

In hoc capite Synodus non omnino commendas damnabat, duntaxat declarans,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

clarans, quod monasteria in commendam data per Regulares ejusdem Ordinis gubernentur, ac imposterum nonnisi Regularibus concedantur, & Ordinum capitibus mox ea reddantur.

§. LXXII.

De observatione horum decretorum.

CAPUT XXII.

Prædicta de reformatione Regularium nulla mora interposita observentur.

„Hæc omnia, & singula in superiori„bus decretis contenta, observari „sancta Synodus præcipit in omnibus „cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, „ac domibus quorumcunque Monacho„rum, ac regularium, nec non quarum„cunque Sanctimonialium Virginum, „ac Viduarum, etiamsi illæ sub gu„bernio militiarum, etiam Hierosoly„mitanæ, vivant, & quocunque no„mine appellentur, sub quacunque re„gula, vel Constitutionibus, & sub cu„stodia, vel gubernatione, vel quavis „subjectione, aut annexione, vel de„pendentia cujuscunque Ordinis, Men„dicantium, vel non Mendicantium, „vel aliorum Regularium Monachorum, „aut Canonicorum quorumcunque, non „obstantibus eorum omnium, & singu„lorum privilegiis, sub quibuscunque „for-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„formulis verborum conceptis, ac *Mare* „*magnum* appellatis, etiam in fundatione „obtentis, nec non constitutionibus, & „Regulis etiam juratis, atque etiam „consuetudinibus, vel præscriptionibus „etiam immemorabilibus: si qui vero „regulares, tam viri, quam mulieres „sunt, qui sub arctiori regula, vel sta„tutis vivunt, excepta facultate ha„bendi bona stabilia in communi, eos „ab eorum instituto, & observantia sancta „Synodus amovere non intendit. Et „quia sancta Synodus desiderat, ut om„nia, & singula supradicta quamprimum „executioni demandentur, præcipit „omnibus Episcopis in Monasteriis sibi „subjectis, & in omnibus aliis ipsis in „superioribus Decretis specialiter com„missis, atque omnibus Abbatibus, ac „Generalibus, & aliis Superioribus Or„dinum supradictorum, ut statim præ„dicta exequantur. Et si quid execu„tioni mandatum non sit, Episcoporum „negligentiam Concilia provincialia sup„pleant, & coerceant: Regularium „vero Capitula provincialia, & gene„ralia, & in defectum capitulorum Ge„neralium, Concilia provincialia per „deputationem aliquorum ejusdem Or„dinis provideant. Hortatur etiam „sancta Synodus omnes Reges, Prin„cipes, Respublicas, & Magistratus,

„&

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„& in virtute ſanctæ obedientiæ præ„cipit, ut velint prædictis Epiſcopis, „Abbatibus, ac Generalibus, & cete„ris Præfectis in ſuperius contentæ Re„formationis executione ſuum auxilium, „& auctoritatem interponere, quoties „fuerint requiſiti, ut ſine ullo impedi„mento præmiſſa recte exequantur ad „laudem Dei omnipotentis.

Pallav. l. 24. c. 5. n. 10.

Non omnes viginti hi duo articuli de Regularibus unanimi conſenſu fuere approbati; plures enim ſeſe vigeſimo primo, qui de Monaſteriis in commendam datis agit, opponebant, cum Præſulum potiſſimi peterent, ne circa hanc rem ullum novum fieret decretum. Tandem tamen hoc decretum una cum reliquis fuit receptum, quo perlecto Prælatus, qui rem divinam peragebat, prælegere pergebat cetera decreta, ſeu capita numero viginti, & unum circa Reformationem in generali edita.

§. LXXIII.

Decretum de Reformatione.

CAPUT I.

Cardinales, atque omnes Eccleſiarum Prælati modeſtam ſupellectilem, & menſam habeant: Conſanguineos, familiaresque ſuos ex bonis Eccleſiarum non augeant.

„Optan-

Secul. XVI. A.C. 1563.

„Optandum est, ut ii, qui Episcopale „ministerium suscipiunt, quæ suæ „sint partes, agnoscant, ac se non ad „propria commoda, non ad divitias, „aut luxum, sed ad labores, & solli- „citudines pro Dei gloria vocatos esse „intelligant; nec enim dubitandum est, „& fideles reliquos ad Religionem, in- „nocentiamque facilius inflammandos, „si Præpositos suos viderint, non ea, „quæ mundi sunt, sed animarum salu- „tem, ac cælestem patriam cogitantes. „Hæc cum ad restituendam Ecclesiasti- „cam disciplinam præcipua esse sancta „Synodus animadvertat; admonet Epi- „scopos omnes, ut secum ea sæpius „meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ „actionibus, quod est veluti perpetuum „quoddam prædicandi genus, se mu- „neri suo conformes ostendant: in pri- „mis vero ita mores suos omnes com- „ponant, ut reliqui ab eis frugalitatis, „modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos „tantopere commendat Deo, sanctæ „humilitatis exempla petere possint: „quapropter exemplo Patrum nostro- „rum in Concilio Carthaginensi, non „solum jubet, ut Episcopi modesta sup- „pellectili, & mensa, ac frugali victu „contenti sint, verum etiam in reliquo „vitæ genere, ac tota ejus domo ca- „veant, ne quid appareat, quod a sancto „hoc

Labb. p. 905. Pallav. l. 24. c. 7. n. 1.

Conc. Carthag. n. 4. IV. Cap. 15.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„hoc instituto sit alienum, quodque non „simplicitatem, Dei Zelum, ac vani„tatum contemptum præseferat: om„nino vero eis interdicit, ne ex redditi„bus Ecclesiæ consanguineos, familia„resve suos augere studeant: cum &

Can. Apost. 39. & 75.

„Apostolorum Canones prohibeant, ne „res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, con„sanguineis donent, sed, si pauperes

Concil. Antioch. c. 25.

„sint, iis ut pauperibus distribuant; „eas autem non distrahant, nec dissi„pent illorum caussa, immo quam ma„xime potest, eos sancta Synodus mo„net, ut omnem humanum hunc erga „fratres, nepotes, propinquosve car„nis affectum, unde multorum malo„rum in Ecclesia seminarium extat, pe„nitus deponant: quæ vero de Episco„pis dicta sunt, eadem non solum in „quibuscunque beneficia Ecclesiastica, „tam sæcularia, quam Regularia, ob„tinentibus, pro gradus sui conditione „observari, sed & ad sanctæ Romanæ „Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit: „quorum consilio apud Sanctissimum „Romanum Pontificem cum Universa„lis Ecclesiæ administratio nitatur, ne„fas videri potest, non iis etiam virtu„tum insignibus, ac vivendi disciplina „eos fulgere, quæ merito omnium in „se oculos convertant.„

§. LXXIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXIV.

De horum decretorum acceptatione.

CAPUT II.

A quibus nominatim decreta Concilii ſolemniter recipi, & doceri debeant.

„Cogit temporum calamitas, & invaleſcentium hæreſum malitia, ut „nihil ſit prætermittendum, quod ad „populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præſidium videatur poſſe „pertinere: præcipit igitur ſancta Syno„dus Patriarchis, Primatibus, Archie„piſcopis, Epiſcopis, & omnibus aliis, „qui de jure, vel conſuetudine Con„cilio provinciali intereſſe debent, ut „in ipſa prima Synodo provinciali poſt „finem præſentis Concilii habenda, ea „omnia, & ſingula, quæ ab hac ſancta „Synodo definita, & ſtatuta ſunt, pa„lam recipiant, nec non veram obe„dientiam ſummo Romano Pontifici „ſpondeant, & profiteantur, ſimulque „hæreſes omnes, a ſacris Canonibus, „& Generalibus Conciliis, præſertim„que ab hac eadem Synodo damnatas, „publice deteſtentur, & anathemati„zent, idemque in poſterum quicunque „in Patriarchas, Primates, Archiepi„ſcopos, Epiſcoposque promovendi, in „prima Synodo provinciali, in qua ipſi

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„interfuerint, omnino obſervent: quod
„ſi quis ex ſupradictis omnibus, quod
„abſit, renuerit, Epiſcopi Comprovin-
„ciales ſtatim ſummum Romanum Pon-
„tificem admonere ſub pœna divinæ in-
„dignationis teneantur, interimque ab
„ejusmodi communione abſtineant: ce-
„teri vero omnes, ſive in præſenti, ſive
„in futurum beneficia Eccleſiaſtica ha-
„bituri, & qui in Synodo Diæceſana
„convenire debent, idem, ut ſupra, in
„ea Synodo, quæ primo quoque tem-
„pore celebrabitur, faciant, & obſer-
„vent, alias ſecundum formam Sacro-
„rum Canonum puniantur. Ad hæc
„omnes ii, ad quos Univerſitatum, &
„ſtudiorum generalium cura, viſitatio,
„& reformatio pertinet, diligenter cu-
„rent, ut ab eisdem univerſitatibus Ca-
„nones & decreta hujus ſanctæ Synodi
„integre recipiantur, ad eorumque
„normam Magiſtri, Doctores, & alii
„in eisdem Univerſitatibus ea, quæ Ca-
„tholicæ fidei ſunt, doceant, & inter-
„pretentur, ſeque ad hoc inſtitutum ini-
„tio cujuslibet anni ſolemni juramento
„obſtringant, ſed & ſi aliqua alia in præ-
„dictis Univerſitatibus correctione, &
„reformatione digna fuerint, ab eis-
„dem, ad quos ſpectat, pro Religionis,
„& diſciplinæ Eccleſiaſticæ augmento
„emendentur, & ſtatuantur: quæ vero
„uni-

„universitates immediate summi Ro„mani Pontificis protectioni, & visita„tioni sunt subjectæ, has sua Beatitudo „per ejus Delegatos eadem, qua supra „ratione, &, prout ei utilius visum fue„rit, salubriter visitari, & reformari „curabit. „

Juxta hoc decretum confestim fuit sancitum, edendam esse Bullam, qua omnibus Universitatum Professoribus præciperetur, ut Catholicæ fidei Professionem intra tempus per Bullam præscriptum emitterent, illi vero, qui ad Doctoratus lauream aspirarent, tanquam Doctores non reciperentur, nisi prius eandem Professionem ediderint: cuncta tamen *gratis* fiant.

§. LXXV.

De excommunicationis usu.

CAPUT III.

Excommunicationis gladio temere non utendum: ubi executio realis, aut personalis fieri potest, a censuris abstinendum, iisque civili Magistratui se immiscere nefas esto.

„Quamvis excommunicationis gladius „nervus sit Ecclesiasticæ disci„plinæ, & ad continendos in officio po„pulos valde salutaris: sobrie tamen, „magnaque circumspectione exercen„dus

Sæcul. XVI A.C. 1563.

„dus est, cum experientia doceat, si „temere, aut levibus ex rebus incutia„tur, magis contemni, quam formi„dari, & perniciem potius parari, quam „salutem: quapropter excommunicatio„nes illæ, quæ monitionibus præmissis, „ad finem revelationis, ut ajunt, aut „pro deperditis, seu subtractis rebus „ferri solent, a nemine prorsus, præ„terquam ab Episcopo decernantur, & „tunc non alias, quam ex re non vul„gari, caussaque diligenter, ac magna „maturitate per Episcopum examinata, „quæ ejus animum moveat, nec ad „eas concedendas cujusvis sæcularis „etiam magistratus auctoritate adduca„tur, sed totum hoc in ejus arbitrio, „& conscientia sit positum, quando ipse „pro re, loco, persona, aut tempore, „eas decernendas esse judicaverit: in „caussis vero judicialibus mandatur om„nibus judicibus Ecclesiasticis, cujus„cunque dignitatis existant, ut, quan„docunque executio realis, vel perso„nalis in qualibet parte judicii propria „auctoritate ab ipsis fieri poterit, ab„stineant se, tam in procedendo, quam „definiendo a censuris Ecclesiasticis, „seu interdicto, sed liceat eis, si ex„pedire videbitur, in caussis civilibus, „ad forum Ecclesiasticum quomodolibet „pertinentibus, contra quoscunque, e„tiam

„tiam laicos, per mulctas pecuniarias, Sæcul. XVI.
„quæ locis piis, ibi existentibus, eo A.C. 1563.
„ipso, quod exactæ fuerint, assignen-
„tur, seu per captionem pignorum,
„personarumque districtionem, per suos
„proprios, aut alienos executores fa-
„ciendam, sive etiam per privationem
„beneficiorum, aliaque juris remedia
„procedere, & causas definire: quodsi
„executio realis, vel personalis adver-
„sus reos hac ratione fieri non poterit,
„sitque erga judicem contumacia; tunc
„eos etiam anathematis mucrone ar-
„bitrio suo, præter alias pœnas, fe-
„rire poterit: in causis quoque crimi-
„nalibus, ubi executio realis, vel per-
„sonalis, ut supra, fieri poterit, erit
„a censuris abstinendum; sed si dictæ
„executioni facile locus esse non possit,
„licebit judici hoc spirituali gladio in
„delinquentes uti, si tamen delicti qua-
„litas, præcedente bina saltem moni-
„tione, etiam per edictum, id postulet.
„nefas autem sit sæculari cuilibet Ma-
„gistratui prohibere Ecclesiastico judici,
„ne quem excommunicet, aut man-
„dare, ut latam excommunicationem
„revocet, sub prætextu, quod contenta
„in præsenti decreto non sint observata;
„cum non ad sæculares, sed ad Eccle-
„siasticos hæc cognitio pertineat: ex-
„communicatus vero quicunque, si post

Sæcul. XVI. A C 1563.

„legitimas monitiones non reſipuerit, „non ſolum ad Sacramenta, & com„munionem fidelium, ac familiaritatem „non recipiatur, ſed ſi obdurato animo „cenſuris annexus in illis per annum „inſorduerit, etiam contra eum, tan„quam de hæreſi ſuſpectum, procedi „poſſit.

§. LXXVI.

De reductione Miſſarum.

CAPUT IV.

Ubi nimius eſt Miſſarum faciendarum numerus, ſtatuant Epiſcopi, Abbates, & Generales ordinum, quod expedire judicaverint.

„Contingit ſæpe in quibusdam Eccle„ſiis, vel tam magnum Miſſarum „celebrandarum numerum ex variis „defunctorum relictis impoſitum eſſe, „ut illis pro ſingulis diebus a teſtatori„bus præſcriptis nequeat ſatisfieri, vel „eleemoſynam hujusmodi pro illis ce„lebrandis adeo tenuem eſſe, ut non „facile inveniatur, qui velit huic ſe „muneri ſubjicere, unde depereunt piæ „teſtantium voluntates, & eorum con„ſcientias, ad quos prædicta ſpectant, „onerandi occaſio datur. Sancta Sy„nodus, cupiens hæc ad pios uſus re„licta, quo plenius, & utilius poteſt, „impleri, facultatem dat Epiſcopis, ut

„in

„in Synodo Diœceſana, itemque Abba- Sæcul. XVI.
„tibus, & Generalibus Ordinum, ut in A.C. 1563.
„ſuis Capitulis generalibus, re diligen-
„ter perſpecta, poſſint pro ſua conſcien-
„tia in prædictis Eccleſiis, quas hac
„proviſione indigere cognoverint, ſta-
„tuere circa hæc, quidquid magis ad
„Dei honorem, & cultum, atque eccle-
„ſiarum utilitatem viderint expedire,
„ita tamen, ut eorum ſemper defun-
„ctorum commemoratio fiat, qui pro
„ſuarum animarum ſalute legata ea ad
„pios uſus reliquerint.

§. LXXVII.

De Fundationibus.

CAPUT V.

Rebus bene conſtitutis annexum onus habentibus nihil detrahatur.

„Ratio poſtulat, ut illis, quæ bene
„conſtituta ſunt, contrariis ordi-
„nationibus non detrahatur: quando
„igitur ex beneficiorum quorumcunque
„erectione, ſeu fundatione, aut aliis con-
„ſtitutionibus, qualitates aliquæ re-
„quiruntur, ſeu certa illis onera ſunt
„injuncta, in beneficiorum collatione,
„ſeu quacunque alia diſpoſitione eis
„non derogetur. Idem in præbendis
„theologalibus, magiſtralibus, doctora-
„libus, aut presbyteralibus, diaconali-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„bus, ac subdiaconalibus, quandocun-
„que ita constitutæ fuerint, observetur,
„ut earum qualitatibus, vel Ordinibus
„nihil in ulla provisione detrahatur, &
„aliter facta provisio subreptitia cen-
„seatur.

§. LXXVIII.

De Capitulis exemptis.

CAPUT VI.

Qui se gerere debeat Episcopus quoad visitationem Capitulorum exemptorum.

„Statuit sancta Synodus, ut in omni-
„bus Ecclesiis cathedralibus, & col-
„legiatis Decretum sub felicis recorda-
„tionis Paulo tertio, quod incipit, *Ca-*
„*pitula cathedralium*, observetur, non so-
„lum, quando Episcopus visitaverit,
„sed & quoties ex officio, vel ad peti-
„tionem alicujus, contra aliquem ex
„contentis in dicto decreto procedat,
„ita tamen, ut cum extra visitationem
„processerit, infra scripta omnia lo-
„cum habeant, videlicet ut capitulum
„initio cujuslibet anni eligat ex capi-
„tulo duos, de quorum consilio, & as-
„sensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tam
„in formando processum, quam in ce-
„teris omnibus actibus usque ad finem
„causæ inclusive, coram Notario ta-
„men

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„men ipsius Episcopi, & in ejus domo, „aut consueto tribunali procedere te- „neatur. Unum autem tantum sit u- „triusque votum, possitque alter Epis- „copo accedere: quod si ambo ab E- „piscopo discordes in aliquo actu, seu „interlocutoria, vel definitiva sententia „fuerint, tunc intra sex dierum spatium „cum Episcopo tertium eligant, & si „in electione tertii, etiam discordent, „ad viciniorem Episcopum electio de- „volvatur, & juxta eam partem, cum „qua tertius conveniet, articulus, in „quo erat discordia, terminetur, alias „processus, & inde secuta nulla sint, „nullosque producant juris effectus: in „criminibus tamen ex incontinentia „provenientibus, de qua in decreto de „de concubinariis, & in atrocioribus de- „lictis, depositionem, aut degradatio- „nem requirentibus, ubi de fuga time- „tur, ne judicium eludatur, & ideo o- „pus sit personali detentione, possit i- „nitio solus Episcopus ad summariam „informationem, & necessariam deten- „tionem procedere, servato tamen in „reliquis ordine præmisso; in omnibus „autem casibus ea ratio habeatur, ut „juxta qualitatem delicti, ac persona- „rum, delinquentes ipsi in loco decenti „custodiantur: Episcopis præterea ubi- „que is honos tribuatur, qui eorum di-

„gni-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„gnitati par est, eisque in Choro, & in „Capitulo, in processionibus, & aliis a„ctis publicis sit prima Sedes, & locus, „quem ipsi elegerint, & præcipua o„mnium rerum agendarum auctoritas. „Qui si aliquid Canonicis ad delibe„randum proponant, nec de re ad suum, „vel suorum commodum spectante a„gatur, Episcopi ipsi Capitulum con„vocent, vota exquirant, & juxta ea „concludant: absente vero Episcopo o„mnino hoc ab iis de capitulo, ad quos „hoc de jure, vel consuetudine spectat, „perficiatur, nec ad id Vicarius Epis„copi admittatur: ceteris autem in re„bus capituli jurisdictio, & potestas, si „qua eis competit, & bonorum admi„nistratio salva, & intacta omnino re„linquantur: qui vero non obtinent di„gnitates, nec sunt de Capitulo, ii o„mnes in cassis ecclesiasticis Episcopo „subjiciantur, non obstantibus quoad „supradicta, privilegiis, etiam ex fun„datione competentibus, nec non con„suetudinibus etiam immemorabilibus, „sententiis, juramentis, concordiis, „quæ tantum suos obligent auctores, „salvis tamen in omnibus, privilegiis, „quæ Universitatibus studiorum gene„ralium, seu earum personis, sunt con„cessa. Hæc autem omnia, & singula „in iis Ecclesiis locum non habeant, in „qui-

„quibus Episcopi, aut eorum Vicarii, „ex constitutionibus, vel privilegiis, aut „consuetudinibus, sive concordiis, seu „quocunque alio jure majorem habent „potestatem, auctoritatem, ac jurisdi- „ctionem, quam præsenti Decreto sit „comprehensum, quibus sancta Syno- „dus derogare non intendit.

Sæcul. XVI. A. C. 1563

§. LXXIX.

De Accessu, & Regressu.

CAPUT VII.

Accessus, & regressus ad beneficia tolluntur: Coadjutor quomodo, cui, & ex qua caussa concedendus.

„Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, „quæ hæreditariæ successionis i- „maginem referunt, sacris constitutio- „nibus sint odiosa, & Patrum decretis „contraria, nemini in posterum acces- „sus, & regressus, etiam de consensu, „ad beneficium Ecclesiasticum cujus- „cunque qualitatis concedatur, nec ha- „ctenus concessi suspendantur, exten- „dantur, aut transferantur. Hocque „Decretum in quibuscunque benefi- „ciis ecclesiasticis, ac etiam cathedra- „libus Ecclesiis, ac in quibuscunque „personis, etiam Cardinalatus honore „fulgentibus, locum habeat: in Coad- „jutoriis quoque cum futura successio-

„ne

Sæcul. XVI. A.C. 1563. „ne idem posthac observetur, ut nemi„ni in quibuscunque beneficiis Eccle„siasticis permittantur: quod si quan„do Ecclesiæ cathedralis, aut monaste„rii urgens necessitas, aut evidens u„tilitas postulet, Prælato dari Coadju„torem, is non alias cum futura suc„cessione detur, quam hæc causa prius „diligenter a Sanctissimo Romano Pon„tifice sit cognita, & qualitates omnes „in illo concurrere certum sit, quæ a „jure, & Decretis hujus sanctæ Synodi „in Episcopis, & Prælatis requiruntur, „alias concessiones super his factæ sub„reptitiæ esse censeantur.

Insuperhabita hac Tridentini Concilii decisione temporis progressu recessus, seu facultas ad beneficium semel resignatum redeundi, tanquam legitima in tribus eventibus agnoscitur. I, In casu recuperatæ salutis, perinde acsi is, qui Beneficium cedit, id tantum ob mortis metum feciſſet cum tacita conditione, illud rursus recipiendi, II. In casu ætatis pupillaris, si ille, qui infra vigesimum quintum ætatis suæ annum contra Patris sui, vel Tutoris beneplacitum, ut cederet, inductus fuit. III. si quædam conditio quæ ad cessionem requirebatur, adimpleta non fuit, adeo ut hæc cessio ad ordinarii contractus conditionem redacta censeatur. §. LXXX.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXX.

De Hoſpitalium Miniſtris.

CAPUT VIII.

Miniſtrorum Hoſpitalium munus: eorum negligentia, a quibus, & qua ratione coërcenda.

„Admonet ſancta Synodus quoscunque Eccleſiaſtica beneficia ſæcularia, ſeu regularia obtinentes, ut hoſpitalitatis officium a ſanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte, benigneque exercere aſſueſcant, memores, eos, qui hoſpitalitatem amant, Chriſtum in hoſpitibus recipere: illis vero, qui hoſpitalia vulgo nuncupata, ſeu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, ſenum, pauperumve uſum præcipue inſtituta, in commendam, adminiſtrationem, aut quemcunque titulum, aut etiam Eccleſiis ſuis unita, obtinent, vel ſi Eccleſiæ Parochiales hoſpitalibus forte unitæ, aut in hoſpitalia erectæ, earumque patronis in adminiſtrationem conceſſæ ſint, præcipit omnino, ut impoſitum illis onus, officiumve adminiſtrent, atque hoſpitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis, actu exerceant, juxta conſtitu-

„tio-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„tionem Concilii Viennenſis alias in „hac eadem Synodo ſub felicis recor- „dationis Paulo tertio innovatam, quæ „incipit, *quia contingit.* Quod ſi ho- „ſpitalia hæc ad certum peregrinorum, „aut infirmorum, aut aliarum perſona- „rum genus ſuſcipiendum fuerint in- „ſtituta, nec in loco, ubi ſunt dicta ho- „ſpilalia, ſimiles perſonæ, aut perpau- „cæ reperiantur; mandat adhuc, ut „fructus illorum in alium pium uſum, „qui eorum inſtitutioni proximior ſit, „ac pro loco, & tempore utilior, con- „vertantur, prout Ordinario cum duo- „bus de Capitulo, qui rerum uſu peri- „tiores ſint, per ipſum deligendis, ma- „gis expedire viſum fuerit: niſi aliter „forte, etiam in hunc eventum, in eo- „rum fundatione, aut inſtitutione fuerit „expreſſum, quo caſu, quod ordina- „tum fuit, obſervari curet Epiſcopus, „aut, ſi id non poſſit, ipſe, prout ſupra, „utiliter provideat: itaque ſi prædicti „omnes, & ſinguli, cujuscunque Or- „dinis, & dignitatis, etiamſi laici fue- „rint, qui adminiſtrationem hoſpita- „lium habent, non tamen regularibus „ſubjecti, ubi viget regularis obſervan- „tia, ab Ordinario moniti, hoſpitali- „tatis munus, adhibitis omnibus, ad „quæ tenentur, neceſſariis, re ipſa obi- „re ceſſaverint, non ſolum per Eccle- „ſiaſti-

„siasticas censuras, & alia juris reme- Sæcul. XVI.
„dia, ad id compelli possint, sed etiam A C 1563.
„hospitalis ipsius administratione, cu-
„rave perpetuo privari possint, aliique
„eorum loco ab iis, ad quos spectabit,
„substituantur. Et prædicti nihilomi-
„nus etiam ad fructuum restitutionem,
„quos contra ipsorum hospitalium insti-
„tutionem perceperunt, quæ nulla eis
„remissione, aut compositione indul-
„geatur, in foro conscientiæ teneantur:
„nec administratio, seu gubernatio hu-
„jusmodi locorum uni, & eidem per-
„sonæ ultra triennium deinceps com-
„mittatur, nisi aliter in fundatione
„cautum reperiatur, non obstante, quoad
„omnia supradicta, quacunque u-
„nione, exemptione, & consuetudine
„in contrarium, etiam immemorabili,
„seu privilegiis, aut indultis quibus-
„cunque. „

His Franciæ edicta addidere, quod Nosocomiorum Administratores nec Ecclesiastici, nec Nobiles, nec Belliduces sint, sed Mercatores, aliique cives, qui seduli Patresfamilias rerum, & œconomiæ gnari, atque ad reddendam rationem facile adigi possunt.

§. LXXXI.

De Jure Patronatus.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

CAPUT IX.

Quomodo probandum jus patronatus: cui deferendum munus patronorum: acceſſiones vetitæ: quibus id juris non acquiratur.

„Sicut legitima patronatuum jura tol„lere, piasque fidelium voluntates „in eorum inſtitutione violare, æquum „non eſt, ſic etiam, ut hoc colore bene„ficia Eccleſiaſtica in ſervitutem, quod „a multis impudenter fit, redigantur, „non eſt permittendum. Ut igitur de„bita in omnibus ratio obſervetur, de„cernit ſancta Synodus, ut titulus juris „patronatus ſit ex fundatione, vel do„tatione, qui ex authentico documen„to, & aliis jure requiſitis, oſtendatur, „ſive etiam ex multiplicatis præſenta„tionibus per antiquiſſimum temporis „curſum, qui hominum memoriam ex„cedat, aliasve ſecundum juris diſpoſi„tionem: in iis vero perſonis, ſeu Com„munitatibus, vel Univerſitatibus, in „quibus id jus plerumque ex uſurpa„tione potius quæſitum præſumi ſolet, „plenior, & exactior probatio ad do„cendum verum titulum requiratur, „nec immemorabilis temporis proba„tio aliter eis ſuffragetur, quam ſi, „præter reliqua ad eam neceſſaria, præ„ſentationes etiam continuatæ, non „minori

„minori saltem, quam quinquaginta an- Sæcul. XVI.
„norum spatio, quæ omnes effectum A.C.1563.
„sortitæ sint, authenticis Scripturis pro-
„bentur. Reliqui patronatus omnes
„in beneficiis tam sæcularibus, quam
„regularibus, seu parochialibus, vel di-
„gnitatibus, aut quibuscunque aliis
„beneficiis, in cathedrali, vel collegia-
„ta Ecclesia, seu facultates, & privile-
„gia concessa tam in vim patronatus,
„quam alio quocunque jure, nominan-
„di, eligendi, præsentandi ad ea, cum
„vacant, exceptis patronatibus super
„cathedralibus Ecclesiis competentibus,
„& exceptis aliis, quæ ad Imperato-
„rem, & Reges, seu Regna possiden-
„tes, aliosque sublimes, ac supremos
„Principes, jura imperii in dominiis
„suis habentes, pertinent, & quæ in
„favorem studiorum generalium con-
„cessa sunt, in totum prorsus abrogata,
„& irrita, cum quasi possessione inde
„secuta intelligantur, beneficiaque hu-
„jusmodi, tanquam libera, a suis col-
„latoribus conferantur, ac provisiones
„hujusmodi plenum effectum conse-
„quantur: ad hæc liceat Episcopo præ-
„sentatos a Patronis, si idonei non fue-
„rint, repellere: quod si ad inferiores
„institutio pertineat, ab Episcopo ta-
„men, juxta alias statuta ab hac san-
„cta Synodo, examinentur, alioquin in-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„ſtitutio ab inferioribus facta irrita „ſit, & inanis: Patroni autem benefi„ciorum, cujuscunque ordinis & di„gnitatis, etiamſi Communitates, Uni„verſitates, collegia quæcunque Cleri„ricorum, vel laicorum exiſtant, in „perceptione fructuum, proventuum, „obventionum quorumcunque benefi„ciorum, etiamſi vere de jure patrona„tus ipſorum ex fundatione, & dota„tione eſſent, nullatenus, nullave cauſ„ſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos „libere Rectori, ſeu beneficiato, non „obſtante etiam quacunque conſuetu„dine, diſtribuendos dimittant: nec di„ctum jus patronatus, venditionis, aut „alio quocunque titulo, in alios contra „Canonicas ſanctiones transferre præ„ſumant, ſi ſecus fecerint, excommu„nicationis, & interdicti pœnis ſubji„ciantur, & dicto jure patronatus ipſo „jure privati exiſtant.

„Inſuper acceſſiones per viam unio„nis factæ de beneficiis liberis ad Ec„cleſias juri patronatus, eriam laico„rum ſubjectas, tam ad parochiales, „quam ad alia quæcunque beneficia, e„tiam ſimplicia, ſeu dignitates, vel „hoſpitalia, ita ut prædicta beneficia „libera ejusdem naturæ cum iis, qui„buscum uniuntur, efficiantur, atque „ſub jure patronatus conſtituantur: hæ

„ſi

„si nondum plenarium sortitæ sunt ef- Sæcul. XVI.
„fectum, vel deinceps ad cujusvis in- A C. 1563.
„stantiam fient, quacunque auctorita-
„te, etiam Apostolica, concessæ fuerint,
„simul cum unionibus ipsis per subre-
„ptionem obtentæ intelligantur, non
„obstante quacunque in iis verborum
„forma, seu derogatione, quæ habea-
„tur pro expressa, nec executioni am-
„plius demandentur: sed beneficia i-
„psa unita, cum vacaverint, libere, ut
„antea conferantur: quæ vero a qua-
„draginta annis citra factæ, effectum,
„& plenam incorporationem, sunt con-
„secutæ, hæ nihilominus ab Ordi-
„nariis, tanquam a Sede Apostolica
„delegatis revideantur, & examinen-
„tur, ac quæ per subreptionem, vel ob-
„reptionem obtentæ fuerint, simul cum
„unionibus irritæ declarentur, ac bene-
„ficia ipsa separentur, & aliis confe-
„rantur. Similiter quoque patronatus
„quicunque in Ecclesiis, & quibus-
„cunque aliis beneficiis, etiam digni-
„tatibus, antea liberis, acquisiti a qua-
„draginta annis citra, & in futurum
„acquirendi, seu ex augmento dotis,
„seu ex nova constructione, vel alia si-
„mili causa etiam auctoritate Sedis
„Apostolicæ, ab iisdem Ordinariis, uti
„delegatis, ut supra, qui nullius in his
„facultatibus, aut privilegiis impedian-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„octavi, quæ incipit, *Statutum* & alio- „quin ad id aptas designari, ut præter „Ordinarios locorum, iis etiam posthac „causſæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & „ad forum Ecclesiasticum pertinentes, „in partibus delegandæ committan- „tur. Et si aliquem interim ex desi- „gnatis mori contigerit, substituat Or- „dinarius loci cum consilio Capituli „alium in ejus locum, usque ad futu- „ram provincialem, aut diœcesanam Sy- „nodum, ita, ut habeat quæque Diœ- „cesis quatuor saltem, aut etiam plures „probatas personas, ac ut supra, qua- „lificatas, quibus hujusmodi causſæ a „quolibet Legato, vel Nuntio, atque „etiam a Sede Apostolica committan- „tur: alioquin post designationem fa- „ctam, quam statim Episcopi ad sum- „mum Romanum Pontificem transmit- „tant, delegationes quæcunque alio- „rum judicum aliis, quam his factæ, „subreptitiæ censeantur. Admonet „dehinc sancta Synodus tam Ordina- „rios, quam alios quoscunque judices, „ut terminandis causſis, quanta fieri „poterit, brevitate studeant, ac litiga- „torum artibus, seu in litis contestatio- „ne, seu alia parte judicii differenda, „modis omnibus, aut termini præfixio- „ne, aut competenti alia ratione oc- „currant.

Conc. de re- script. in 6.

Sæcul. XVI. A.C. 1563

„tur, diligenter cognoscantur, & quos „non repererint, ob maxime evidentem „Ecclesiæ, vel beneficii, seu dignitatis „necessitatem legitime constitutos esse, „in totum revocent, atque beneficia „hujusmodi sine damno illa possiden„tium, & restituto patronis eo, quod „ab eis idcirco datum est, in pristinum „libertatis statum reducant, non ob„stantibus privilegiis, constitutionibus, „& consuetudinibus etiam immemo„rabilibus.

§. LXXXII.

De Judicibus delegatis.

CAPUT X.

Judices a Synodo designandi, qui delegentur a Sede Apostolica, a quibus, & Ordinariis causſæ breviter terminandæ.

„Quoniam ob malitiosam petentium „suggestionem, & quandoque ob „locorum longinquitatem, personarum „notitia, quibus causſæ mandantur, us„que adeo haberi non potest, hincque „interdum judicibus non undequaque „idoneis causſæ in partibus delegantur: „statuit sancta Synodus in singulis Con„ciliis provincialibus, aut diœcesanis „aliquot personas, quæ qualitates ha„beant, juxta constitutionem Bonifacii octa-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„octavi, quæ incipit, *Statutum* & alio- „quin ad id aptas designari, ut præter „Ordinarios locorum, iis etiam posthac „causſæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & „ad forum Ecclesiasticum pertinentes, „in partibus delegandæ committan- „tur. Et si aliquem interim ex desi- „gnatis mori contigerit, substituat Or- „dinarius loci cum consilio Capituli „alium in ejus locum, usque ad futu- „ram provincialem, aut diœcesanam Sy- „nodum, ita, ut habeat quæque Diœ- „cesis quatuor saltem, aut etiam plures „probatas personas, ac ut supra, qua- „lificatas, quibus hujusmodi causſæ a „quolibet Legato, vel Nuntio, atque „etiam a Sede Apostolica committan- „tur: alioquin post designationem fa- „ctam, quam statim Episcopi ad sum- „mum Romanum Pontificem transmit- „tant, delegationes quæcunque alio- „rum judicum aliis, quam his factæ, „subreptitiæ censeantur. Admonet „dehinc sancta Synodus tam Ordina- „rios, quam alios quoscunque judices, „ut terminandis causſis, quanta fieri „poterit, brevitate studeant, ac litiga- „torum artibus, seu in litis contestatio- „ne, seu alia parte judicii differenda, „modis omnibus, aut termini præfixio- „ne, aut competenti alia ratione oc- „currant.

Conc. de re- script. in 6.

Sæcul. XVI. A. C 1563.

§. LXXXIII.

De locationibus Beneficiorum.

CAPUT XI.

Variæ locationes bonorum Ecclesiasticorum prohibentur: quædam factæ irritantur.

„Magnam Ecclesiis perniciem afferre „solet, cum earum bona, repræ„sentata pecunia, in successorum præ„judicium aliis locantur: omnes igitur „hæ locationes, si anticipatis solutio„nibus fiant, nullatenus in præjudi„cium successorum validæ intelligan„tur, quocunque indulto, aut privile„gio non obstante, nec hujusmodi lo„cationes in Romana Curia, vel extra „eam confirmentur. Non liceat e„tiam jurisdictiones Ecclesiasticas, seu „facultates nominandi, aut deputandi „Vicarios in spiritualibus locare, nec „conductoribus per se, aut alios ea „exercere, aliterque concessiones, e„tiam a Sede Apostolica factæ, subrepti„tiæ censeantur. Locationes vero re„rum Ecclesiasticarum, etiam auctori„tate Apostolica confirmatas, sancta „Synodus irritas decernit, quas a tri„ginta annis citra, ad longum tempus, „seu ut in nonnullis partibus, ad vigin„ti novem, seu bis viginti novem an„nos

„nos vocant factas, Synodus provin- Sæcul. XVI.
„cialis, vel deputandi ab ea, in damnum A. C. 1563.
„Ecclesiæ, & contra Canonicas sanctio-
„nes contractas fuisse judicabunt.

§. LXXXIV.

De solutione Decimarum.

CAPUT XII.

Decimæ integre persolvendæ: eas subtrahentes excommunicandi: Rectoribus Ecclesiarum tenuium pie subveniendum.

„Non sunt ferendi, qui variis artibus „decimas Ecclesiis obvenientes „subtrahere moliuntur, aut qui aliis sol- „vendas temere occupant, & in rem „suam vertunt, cum decimarum solu- „tio debita sit Deo, & qui eas dare „noluerint, aut dantes impediunt, res „alienas invadunt: præcipit igitur san- „cta Synodus omnibus, cujuscunque „gradus, & conditionis sint, ad quos „decimarum solutio spectat, ut eas, „ad quas de jure tenentur, in poste- „rum cathedrali, aut quibuscunque a- „liis Ecclesiis, vel personis, quibus le- „gitime debentur, integre persolvant: „qui vero eas aut subtrahunt, aut im- „pediunt, excommunicentur, nec ab „hoc crimine, nisi plena restitutione se- „cuta, absolvantur. Hortatur dehinc

Secul. XVI A C 1563.

„omnes, & singulos, pro Christiana cha-
„ritate, debitoque erga Pastores suos
„munere, ut de bonis sibi a Deo colla-
„tis, Episcopis, & Parochis, qui tenuio-
„ribus præsunt Ecclesiis, large subve-
„nire ad Dei laudem, atque ad Pa-
„storum suorum, qui pro eis invigilant,
„dignitatem tuendam, non graventur.

§. LXXXV.

De juribus exequiarum.

CAPUT XIII.

Quartam funeralium Cathedrales, vel Parochiales Ecclesiæ recipiant.

„Decernit sancta Synodus, ut quibus-
„cunque in locis, jam ante annos
„quadraginta, quarta, quæ Funeralium
„dicitur, Cathedrali, aut Parochiali
„Ecclesiæ solita esset persolvi, ac po-
„stea fuerit ex quocunque privilegio a-
„liis monasteriis, hospitalibus, aut qui-
„buscunque locis piis concessa, eadem
„posthac integro jure, & eadem por-
„tione, quæ antea solebat, Cathedrali,
„seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur,
„non obstantibus concessionibus, gra-
„tiis, privilegiis, etiam Mari magno
„nuncupatis, aut aliis quibuscunque.

Hoc decretum a Synodo editum est, ut moderaretur plurium divitum usus, qui sepulturas suas in monasteriis seli-

gebant

gebant cum præjudicio Ecclesiarum Cathedralium, & Parochialium: quapropter præcepit Synodus, ut semper, in quocunque loco sit sepultura, Ecclesiæ illi, ex qua defunctus Sacramenta recepit, & Divino Officio interfuit, quarta funeralis, veluti legitima relinquatur, quæ vulgo portio Canonica vocatur: diversa vero est illius summa pro diverso locorum usu: in Galliis autem hæc portio non est usitata. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. LXXXVI.

De Concubinariis.

CAPUT XIV.

De Pœnis contra Clericos Concubinarios.

„Quam turpe, ac Clericorum nomine, „qui se divino cultui addixerunt, „sit indignum, in impudicitiæ sordibus, „immundoque concubinatu versari, sa„tis res ipsa communi fidelium omnium „offensione, summoque clericalis mili„tiæ dedecore testatur: ut igitur ad „eam, quam decet, continentiam, ac „vitæ integritatem ministri Ecclesiæ „revocentur, populusque hinc eos ma„gis discat revereri, quo illos vita ho„nestiores cognoverit: prohibet sancta „Synodus quibuscunque Clericis, ne „concubinas, aut alias mulieres, de

„quibus

Sæcul. XVI. A. C. 1563

„quibus possit haberi suspicio, in domo, „vel extra, detinere, aut cum iis ullam „consuetudinem habere audeant, alio„quin pœnis a sacris Canonibus, vel „statutis Ecclesiarum impositis pu„niantur: quod si a Superioribus mo„niti, ab iis se non abstinuerint, tertia „parte fructuum, obventionum, ac pro„ventuum beneficiorum suorum quo„rumcunque, & pensionum ipso facto „sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut „alteri pio loco, arbitrio Episcopi, ap„plicetur: si vero in delicto eodem, „cum eadem, vel alia fœmina, perseve„rantes, secundæ monitioni adhuc non „paruerint, non tantum fructus omnes, „ac proventus suorum beneficiorum, & „pensiones eo ipso amittant, qui præ„dictis locis applicentur, sed etiam a „beneficiorum ipsorum administratione „quoad Ordinarius, etiam uti Sedis „Apostolicæ Delegatus, arbitrabitur, „suspendantur, & si ita suspensi nihilo„minus eas non expellant, aut cum iis „etiam versentur, tunc beneficiis, por„tionibus, ac officiis, & pensionibus „quibuscunque Ecclesiasticis perpetuo „priventur, atque inhabiles, ac indi„gni quibuscunque honoribus, dignita„tibus, beneficiis, ac officiis in poste„rum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superio„ribus,

„ribus cum iis ex cauſſa viſum fuerit „diſpenſandum. Sed ſi, poſtquam eas „ſemel dimiſerint, intermiſſum conſor- „tium repetere, aut alias hujusmodi „ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere „auſi fuerint, præter prædictas pœnas, „excommunicationis gladio plectantur: „nec quævis appellatio, aut exemptio „prædictam executionem impediat, aut „ſuſpendat, ſupradictorumque omnium „cognitio non ad Archidiaconos, nec „Decanos, aut alios inferiores, ſed ad „Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine „ſtrepitu, & figura judicii, & ſola facti „veritate inſpecta, procedere poſſint: „Clerici vero beneficia Eccleſiaſtica, „aut penſiones non habentes, juxta „delicti, & contumaciæ perſeverantiam, „& qualitatem ab ipſo Epiſcopo carce- „ris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac „inhabilitate ad beneficia obtinenda, „aliisve modis juxta ſacros Canones „puniantur: Epiſcopi quoque, quod ab- „ſit, ſi ab hujusmodi crimine non ab- „ſtinuerint, & a Synodo provinciali ad- „moniti ſe non emendaverint, ipſo fa- „cto ſint ſuſpenſi, & ſi perſeverent, etiam „ad Sanctiſſimum Romanum Pontifi- „cem ab eadem Synodo deferantur; „qui pro qualitate culpæ, etiam per „privationem, ſi opus erit, in eos anim- „advertat,

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXXXVII.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. LXXXVII.

De Clericis illegitimis.

CAPUT XV.

Filii Clericorum illegitimi a quibusdam beneficiis arcendi.

„Ut paternæ incontinentiæ memoria „a locis Deo consecratis, quos maximе puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum Patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habeant, aut habuerunt, quodcunque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Quod si in præsenti Pater, & filius in eadem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium, alias ipso jure privatus existat, & super iis quæcunque dispensatio subreptitia censeatur. Ad hæc reciprocæ resignationes, si quæ posthac a parentibus Clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium con-

„sequa-

„sequatur, in fraudem hujus decreti, & „canonicarum sanctionum factæ omni- „no censeantur, nec collationes secu- „tæ, vigore hujusmodi resignationum, „seu aliarum quarumcunque, quæ in „fraudem factæ fuerint, ipsis Clerico- „rum filiis suffragentur. Sæcul XVI. A. C. 1563.

§. LXXXVIII.

De Vicariis perpetuis.

CAPUT XVI.

Beneficia curata non convertantur in simplicia: ei, in quem translata fuerit cura animarum, assignetur congrua portio: Vicariæ cessent, cura ad titulos revocata.

„Statuit sancta Synodus, ut Ecclesia- „stica beneficia sæcularia, quocun- „que nomine appellentur, quæ curam „animarum ex primæva eorum insti- „tutione, aut aliter quomodocunque „retinent, illa deinceps in simplex be- „neficium, etiam assignata Vicario per- „petuo congrua portione, non conver- „tantur, non obstantibus quibuscun- „que gratiis, quæ suum plenarium effe- „ctum non sunt consecutæ: in iis ve- „ro, in quibus contra earum institutio- „nem, seu fundationem, cura anima- „rum in Vicarium perpetuum transla- „ta est, etiamsi in hoc statu ab imme-

„mora-

Sæcul. XVI A.C 1563.

„morabili tempore reperiantur, si con-
„grua portio fructuum Vicario Eccle-
„siæ, quocunque nomine is appelletur,
„non fuerit assignata, ea quamprimum,
„& ad minus intra annum a fine præ-
„sentis Concilii, arbitrio Ordinarii,
„juxta formam decreti sub felicis re-
„cordationis Paulo tertio, assignetur.
Sess. 7. de Ref. c. 7. „Quod si id commode fieri non possit,
„aut intra dictum terminum factum
„non erit, cum primum per cessum,
„vel decessum Vicarii, seu Rectoris, aut
„quomodolibet alterum eorum vacave-
„rit, beneficium curam animarum reci-
„piat, ac Vicariæ nomen cesset, & in
„antiquum statum restituatur.

§. LXXXIX.

De veneratione Episcopis debita.

CAPUT XVII.

Episcopi dignitatem suam morum gravitate commendent: nec cum Regum Ministris, Regulis, aut Baronibus, indigna demissione se gerant.

„Non potest sancta Synodus non gra-
„viter dolere, audiens Episcopos
„aliquos sui status oblitos Pontificiam
„dignitatem non leviter dehonestare:
„qui cum Regum ministris, Regulis, &
„Baronibus in Ecclesia, & extra, inde-
„centi quadam demissione se gerunt,
„&

„& veluti inferiores miniſtri altaris, ni- Sæcul. XVI.
„mis indigne non ſolum loco cedunt, A. C. 1563.
„ſed etiam perſonaliter illis inſerviunt:
„quare hæc, & ſimilia deteſtans ſancta
„Synodus, ſacros Canones omnes, Con-
„ciliaque generalia, atque alias Apo-
„ſtolicas ſanctiones ad dignitatis Epi-
„ſcopalis decorem, & gravitatem per-
„tinentes renovando, præcipit, ut ab
„hujusmodi in poſterum Epiſcopi ſe ab-
„ſtineant, mandans eisdem, ut tam
„in Eccleſia, quam foris ſuum gradum,
„& ordinem præ oculis habentes, ubi-
„que ſe Patres, & Paſtores eſſe me-
„minerint: reliquis vero tam Principi-
„bus, quam ceteris omnibus, ut eos
„paterno honore, ac debita reverentia
„proſequantur. „

§. XC.

De decretorum diſpenſatione.

CAPUT XVIII.

Canones ad amuſſim ſerventur: ſi quando in eis diſpenſandum, id valide, mature, & gratis fiat.

„Sicut publice expedit legis vincu-
„lum quandoque relaxare, ut ple-
„nius evenientibus caſibus, & neceſſi-
„tatibus, pro communi utilitate ſatis-
„fiat: ſic frequentius legem ſolvere,
„exemploque potius, quam certo per-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„sonarum, rerumque delectu petenti„bus indulgere, nil aliud est, quam „unicuique ad leges transgrediendas „aditum aperire: quapropter sciant uni„versi sacratissimos Canones exacte ab „omnibus, & quoad ejus fieri poterit, „indistincte observandos: quodsi urgens, „justaque ratio, & major quandoque „utilitas postulaverit cum aliquibus di„spensandum esse, id caussa cognita, „ac summa maturitate, atque gratis, „a quibuscunque, ad quos dispensatio „pertinebit, erit præstandum, aliter„que facta dispensatio subreptitia cen„seatur.„

In Francia mos obtinuit, quod nulla dispensatio a Pontifice concessa tanquam legitima habeatur, si daturin re, circa quam sacri Canones eidem dispensandi facultatem non concedunt, aut quæ Ecclesiæ Gallicanæ, & Regni statutis adversatur. (*)

§. XCI.

De duello.

CAPUT XIX.

Monomachia, sive duellum pœnis gravissimis punitur.

„Dete-

(*) Certe Regni, & Gallicanæ libertatis principia paris non sunt auctoritatis cum sacris Canonibus.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„Deteſtabilis duellorum uſus fabricante „diabolo introductus, ut cruenta „corporum morte animarum etiam per„niciem lucretur, ex Chriſtiano Orbe „penitus exterminetur: Imperator, Re„ges, Duces, Principes, Marchiones, „Comites, & quocunque alio nomine „Domini temporales, qui locum ad Mo„nomachiam in terris ſuis inter Chri„ſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint ex„communicati, ac jurisdictione, & Do„minio civitatis, caſtri, aut loci, in „quo, vel apud quem duellum fieri per„miſerint, quod ab Eccleſia obtinent, „privati intelligantur: & ſi feudalia ſint, „directis Dominis ſtatim acquirantur: „qui vero pugnam commiſerint, & qui „eorum patrini vocantur, excommuni„cationis, ac omnium bonorum ſuorum „proſcriptionis ac perpetuæ infamiæ „pœnam incurrant, & ut homicidæ „juxta ſacros Canones puniri debeant, „& ſi in ipſo conflictu deceſſerint, per„petuo careant Eccleſiaſtica ſepultura: „illi etiam, qui conſilium in cauſſa duelli „tam in jure, quam facto dederint, aut „alia quacunque ratione ad id quem„quam ſuaſerint, necnon ſpectatores „excommunicationis, ac perpetuæ ma„ledictionis vinculo teneantur, non ob„ſtante quocunque privilegio, ſeu prava „conſuetudine etiam immemorabili.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XCII.

De Principum patrocinio erga Clericos.

CAPUT XX.

Quæ sunt juris Ecclesiastici Principibus Sæcularibus commendantur.

„Cupiens sancta Synodus Ecclesiasti„cam disciplinam in Christiano po"pulo non solum restitui, sed etiam per"petuo sartam a quibuscunque impedi"mentis conservari, præter ea, quæ de "Ecclesiasticis personis constituit, sæcu"lares quoque Principes officii sui ad"monendos esse censuit, confidens, eos "ut Catholicos, quos Deus sanctæ fi"dei, Ecclesiæque protectores esse vo"luit, jus suum Ecclesiæ restitui non "tantum esse concessuros, sed etiam sub"ditos suos omnes ad debitam erga Cle"rum, Parochos, & superiores Ordi"nes, reverentiam revocaturos, nec "permissuros, ut Officiales, aut inferio"res Magistratus, Ecclesiæ, & perso"narum Ecclesiasticarum immunitatem, "Dei ordinatione, & Canonicis Sanctio"nibus constitutam, aliquo cupiditatis "studio, seu inconsideratione aliqua, "violent, sed una cum ipsis Principibus "debitam sacris summorum Pontificum, "& Conciliorum constitutionibus obser-

„van-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

"vantiam præſtent: decernit itaque, & "præcipit Sacros Canones, & Conci- "lia Generalia omnia, nec non alias "Apoſtolicas ſanctiones, in favorem Ec- "cleſiaſticarum perſonarum, libertatis "Eccleſiaſticæ, & contra ejus violato- "res editas, quæ omnia præſenti etiam "decreto innovat, exacte ab omnibus "obſervari debere, prætereaque admo- "net Imperatorem, Reges, Respubli- "cas, Principes, & omnes, & ſingu- "los, cujuscunque ſtatus, & dignitatis "extiterint, ut, quo largius bonis tem- "poralibus, atque in alios poteſtate ſunt "ornati, eo ſanctius, quæ Eccleſiaſtici "juris ſunt, tanquam Dei præcipua, "ejusque patrocinio tecta, venerentur: "nec ab ullis Baronibus, Domicellis, Re- "ctoribus, aliisve Dominis temporali- "bus, ſeu Magiſtratibus, maximeque "miniſtris ipſorum Principum, lædi pa- "tiantur, ſed ſevere in eos, qui illius "libertatem, immunitatem, atque ju- "risdictionem impediunt, animadver- "tant, quibus etiam ipſimet exemplo "ad pietatem, Religionem, Eccleſia- "rumque protectionem exiſtant, imi- "tantes anteriores, optimos, Religioſiſſi- "mosque Principes, qui res Eccleſiæ "ſua in primis auctoritate, ac munifi- "centia auxerunt, nedum ab aliorum "injuria vindicarunt: adeoque in ea re

Sæcul XVI A C. 1563.

'quisque officium ſuum ſedulo præſtet, 'quo cultus divinus devote exerceri, '& Prælati, ceterique Clerici in reſi-"dentiis, & officiis ſuis quieti, & ſine "impedimentis, cum fructu, & ædifi-"catione populi permanere valeant.

Hujus tenoris erat decretum illud, quod Principum Laicorum emendationem concernit, ac in prioribus conventibus tanto fervore agitabatur, ut Ferrerius Franciæ Orator ſuam oppoſitionem interponeret: equidem hoc decretum antea magis erat extenſum, prout retulimus, verum difficultates, quæ tam a Gallis, quam a Lunenſi Comite Hiſpaniæ Oratore opponebantur, tantum effecerunt, ut Patres plura delere, alia moderari, atque ad præſentem normam reſtringere coacti fuerint (*) nihilominus, etiamſi hoc decretum tantopere fuerit reſtrictum, Galli tamen nunquam illud receperunt, quia Synodus ibidem præcipit, ut omnes Pontificum

(*) Si Pontifices, Eccleſiaſtici, & Monachi tantam contra Reformationis articulos repugnantiam oſtendiſſent, nonne Continuatoris calamus nunquam ceſſaſſet, illos traducere, tanquam unicas cauſſas omnium tumultuum, qui per hæreticos in Chriſtiano orbe fuere ſuſcitati: ecce! quam ſincerum fuit apud nonnullos Reformationis deſiderium.

ficum Constitutiones in favorem Ecclesiasticorum sancitæ effectui darentur, quod Gallis nimis amplum videtur, pluresque reperiuntur Decretales, quæ in Regno nunquam fuerunt receptæ. Sæcul. XVI. A C 1563.

§. XCIII.

Clausula Synodi decretis appositæ.

CAPUT XXI.

In omnibus salva Sedis Apostolicæ Auctoritas maneat.

„Postremo sancta Synodus omnia, & „singula, sub quibuscunque clau„sulis, & verbis, quæ de morum re„formatione, atque Ecclesiastica disci„plina, tam sub felicis recordationis „Paulo tertio, ac Julio tertio, quam sub „Beatissimo Pio quarto Pontificibus Ma„ximis, in hoc sacro Concilio statuta „sunt, declarat, ita decreta fuisse, ut „in his salva semper Sedis Apostolicæ „auctoritas & sit, & esse intelligatur.„ Ceterum cum Galli decreta sub julio III. edita nunquam approbarint, atque ante Synodi suspensionem, prout memoravimus, recesserint, hinc vigesimum primum hoc caput æque, ac clausula ad finem Concilii apposita ibidem approbationem non obtinuit: porro his ea die Sessio absolvebatur.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXVIII.

PIUS IV PONTIFEX MAXIMUS, FERDINANDUS I. postea MAXIMILIANUS II. IMPP. OCCID.

§. I.

Sessio XXV. continuata: Indulgentiarum decretum in Congregatione confectum, atque approbatum.

Sæc. XVI. A. C. 1563

Pallav. c. 8. num. 1. Sarp. l. 8. pag. 775. & 788.

Cum in priore Sessione omnium decretorum lectio absolvi non potuerit, ac plura adhuc maximi momenti supereſſent, hinc altera die Patres rursus convenere, atque eadem die quarta Decembris mane generalis habebatur congregatio, ut de argumentis post meridiem proponendis deliberaretur, ac tandem Synodus absolveretur: præprimis igitur sedulo agitabatur quæstio de Indulgentiis, censentibus Patrum potissimis, quod hac super re decisio peteretur: itaque in eadem hac congregatione decretum fuit

fuit confectum, ac recitatum, cum autem eidem quædam verba fuissent inserta, quæ prohibebant, ne certæ præscriberentur eleemosynæ ad lucrandas indulgentias, neve darentur illæ, quas suspensiones vocant, vi quarum alia diplomata vim haberent, hinc Salmanticensis Episcopus, necnon Lunensis Comes exponebant, per ejusmodi decretum abrogari Hispaniæ privilegia, quæ tamen potius dicere debuissent abusus. Itaque Patres ad illorum preces ea, quæ Hispanis molesta esse possent, ab hoc decreto expunxerunt. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. II.

Decretum de Indulgentiis.

Post prandium Sessio pridie inchoata continuabatur, initiumque factum est a decreto indulgentiarum, quod publice prælectum his conceptum erat verbis: „Cum potestas conferendi indulgen„tias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque „hujusmodi potestate divinitus sibi tra„dita, antiquissimis etiam temporibus „illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus „indulgentiarum usum, Christiano po„pulo maxime salutarem, & sacrorum „Conciliorum auctoritate probatum, in „Ecclesia retinendum esse docet, & „præcipit, eosque anathemate dam„nat, qui aut inutiles esse asserunt, „vel *Labb. Collect. Conc. l. c. Pallav. num. 3. 4.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant: in his tamen concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur: abusus vero, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos, & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse: ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum, & provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate, & prudentia, quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur, ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur. §. III.

Sæcul. XVI. A C. 1562.

§. III.

Decretum.

De delectu Ciborum, jejuniis, & diebus festis.

Absoluto hoc de indulgentiis decreto sequebatur aliud tenoris sequentis: „Insuper hortatur sancta Synodus, & „per sanctissimum Domini nostri, atque „Salvatoris adventum Pastores omnes „obtestatur, ut tanquam boni milites „illa omnia, quæ sancta Romana Ec„clesia omnium Ecclesiarum Magistra „statuit, necnon ea, quæ tam in hoc „Concilio, quam in aliis Oecumenicis „statuta sunt, quibuscunque fidelibus „sedulo commendent, omnique diligen„tia utantur, ut illis omnibus, & iis „præcipue sint obsequentes, quæ ad „mortificandam carnem conducunt, ut „ciborum delectus, & jejunia, vel e„tiam quæ faciunt ad pietatem augen„dam, ut dierum festorum devota, & „Religiosa celebratio, admonentes po„pulos crebro, obedire Præpositis suis: „quos qui audiunt, Deum remunera„torem audient: qui vero contemnunt, „Deum ipsum Ultorem sentient.

§. IV.

Decretum de libris prohibitis, Catechismo, Breviario, & Missali.

Post-

Sæcul. XVI. A C. 1563.

Postquam hoc decretum fuerat prælectum recitabatur aliud, quod catalogum librorum prohibitorum, Catechismum, Breviarium, & Missale concernebat his conceptum verbis: „Sacro„sancta Synodus in secunda Sessione „sub sanctissimo Domino nostro Pio quar„to celebrata delectis quibusdam Pa„tribus commisit, ut de variis censuris, „ac libris vel suspectis, vel pernicios, „quid facto opus esset, considerarent, „atque ad ipsam sanctam Synodum re„ferrent, audiens nunc, huic ab eis „extremam manum impositam esse, nec „tamen ob librorum varietatem, & mul„titudinem distincte, & commode pos„sit a sancta Synodo dijudicari; præ„cipit, ut, quidquid ab illis præstitum „est, sanctissimo Pontifici exhibeatur, „ut ejus judicio, atque auctoritate ter„minetur, & evulgetur: idemque de „Catechismo a Patribus, quibus illud „mandatum fuerat, & de Missali, & „Breviario fieri mandat.

§. V.

Declaratio circa Ordinem Oratorum in Concilio.

Postea prælegebatur declaratio circa ordinem, quem Oratores in Synodo tenebant, ut exinde nullum jus, aut damnum aliis contra Principum jura, & præ-

& prærogativas oriatur: porro hæc de- Sæcul. XVI. A C. 1563.
claratio iſtis verbis erat propoſita: de-
„clarat ſancta Synodus ex loco aſſignato
„Oratoribus tam Eccleſiaſticis, quam
„ſæcularibus, in ſedendo, incedendo,
„aut quibuscunque aliis actibus, nul-
„lum cuiquam eorum factum fuiſſe præ-
„judicium, ſed omnia illorum, & Im-
„peratoris, Regum, & Rerumpubli-
„carum, ac Principum ſuorum jura,
„& prærogativas illæſas, & ſalvas eſſe,
„in eodemque ſtatu permanere, prout
„ante præſens Concilium reperiebantur.

§. VI.

Decretum de Synodi decretis recipiendis, atque obſervandis.

Prius hoc decretum excipiebat aliud, *Pallav. n. 6*
quod a Lotharingio, & Madrutio Cardinalibus cum ſumma maturitate, ac omnibus verbis ſerio perpenſis confectum Synodi acceptationem, atque executionem concernebat: in hoc autem labore ambos hoſce Cardinales juvabant Antonius Auguſtinus celebris Canonum Doctor, atque Ilerdenſis Epiſcopus, necnon Didacus Covarruvias Civitatis Caſtellanæ Epiſcopus: porro hoc decretum erat ſequens: „Tanta fuit
„horum temporum calamitas, & hæ-
„reticorum inveterata malitia, ut ni-
„hil tam clarum in fide noſtra aſſerenda
„unquam

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

„unquam fuerit, aut tam certo ſtatu„tum, quod non humani generis hoſte „ſuadente, illi errore aliquo contami„naverint: eapropter ſancta Synodus „id potiſſimum curavit, ut præcipuos „hæreticorum noſtri temporis errores „damnaret, & anathematizaret, ve„ramque, & Catholicam Doctrinam „traderet, & doceret, prout damna„vit, anathemati avit, & definivit. „Cumque tamdiu tot Epiſcopi ex va„riis Chriſtiani orbis provinciis evocati „ſine magna gregis ſibi commiſſi jactu„ra, & univerſali periculo ab Eccleſiis „abeſſe non poſſint, nec ulla ſpes reſtet „hæreticos, toties fide etiam publica, „quam deſiderarunt, invitatos, & tam„diu exſpectatos, huc amplius adven„turos, ideoque tandem huic ſacro Con„cilio finem imponere neceſſe ſit: ſu„pereſt nunc, ut Principes omnes, quod „facit, in Domino moneat ad operam „ſuam ita præſtandam; ut, quæ ab ea „decreta ſunt, ab hæreticis depravari, „aut violari non permittant, ſed ab his, „& omnibus devote recipiantur, & fi„deliter obſerventur; quodſi in his re„cipiendis aliqua difficultas oriatur, aut „aliqua inciderint, quæ declarationem, „quod non credit, aut definitionem po„ſtulent, præter alia remedia in hoc „Concilio inſtituta, confidit ſancta Sy-

„nodus

„nodus Beatissimum Romanum Pon- Sæcul XVI. A. C 1563.
„tificem curaturum, ut vel evocatis,
„ex illis præsertim Provinciis, unde
„difficultas orta fuerit, iis, quos eidem
„negotio tractando viderit expedire,
„vel etiam Concilii Generalis celebra-
„tione, si necessarium judicaverit, vel
„commodiore quacunque ratione ei vi-
„sum fuerit, provinciarum necessitati-
„bus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tran-
„quillitate consulatur.

§. VII.

Decretum de finiendo, & confirmando Concilio.

Hisce igitur Decretis in Sessione perlectis, atque approbatis, ex communi omnium Patrum consensu ea quoque statuta, quæ circa dogma, & mores sub Paulo III. & Julio III. condita, ac promulgata fuerant, recitabantur. His peractis Prælatus ille, quem Synodus sibi a secretis esse voluit, in medio consessus stans hæc verba pronuntiabat: „Illustrissimi Domini, Reve-
„rendissimique Patres: Placetne vobis,
„ut ad laudem Dei omnipotentis huic
„sacræ Oecumenicæ Synodo finis im-
„ponatur? & omnium, & singulorum,
„quæ tam sub felicis recordationis
„Paulo tertio, & Julio tertio, quam
„sub sanctissimo Domino nostro Pio IV.
„Roma-

Sæcul. XVI. A C. 1563.

„Romanis Pontificibus in ea decreta, „& definita sunt, confirmatio nomine „sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ „Sedis Legatos, & Præsidentes a Bea„tissimo Romano Pontifice petatur? Responderunt: *Placet.*

Postea Illustrissimus, ac Reverendissimus Cardinalis Moronus Legatus primus, ac Synodi Præses, toti sacro Concilio bene precatus ajebat: *Post gratias Deo actas, Reverendissimi Patres, ite in pace.* Hi responderunt: *Amen.* Tum vero potissimi ob lætitiæ cumulum in lacrimas effundebantur, gaudentes, quod tandem adimpleta essent eorum desideria, quinimo illi etiam, qui aut languore, aut quadam indignatione adhuc concitati credebantur, nihilominus cum ingenti lætitia in mutuos amplexus ruebant, ac sibi invicem gratulabantur, quod operi jam ante octodecim annos inchoato, ac per tot labores, & difficultates continuato postremam manum admoverint: unde omni ex parte festivæ resonabant acclamationes in hoc pariter imitantes veterum Conciliorum consuetudinem: ut vero suus ubique servaretur ordo, atque omnis vocum confusio declinaretur, ipsemet Lotharingius Cardinalis harum acclamationum formam concinnabat, easque alta voce pronuntiabat, quod

quem tamen quidam malevoli aut levitatis, aut fastus arguebant, perinde ac si hoc potius cujusdam Diaconi, Secretarii, aut Promotoris, non autem insignis Archiepiscopi, ac Cardinalis munus fuisset: nec tamen id a Cardinale factum fuisse, exemplo caret, quippe in octavo Concilio Generali in gratiarum actionem pro felici successu ipsemet Præses, non autem quidam Cantor Hymnum Ambrosianum intonabat: nunc vero percipiamus hasce acclamationes, prout in Concilii actis factæ leguntur. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. VIII.

Acclamationes a Lotharingio Cardinale pronuntiatæ, & responsiones Patrum.

Incœpit Cardinalis a Lotharingia: *Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, Sanctæ, & universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.*

Responsio Patrum.

Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva: Multos annos.

Card. Beatissimorum summorum Pontificum animabus, Pauli tertii, & Julii tertii, quorum auctoritate hoc sacrum Generale Concilium inchoatum

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

est, pax a Domino, & æterna Gloria, atque felicitas in luce sanctorum.

Resp. Memoria in benedictione sit.

Card. Caroli V. Imperatoris, & Sereniſſimorum Regum, qui hoc univerſale Concilium promoverunt, & protexerunt, memoria in benedictione ſit.

Resp. Amen, amen.

Card. Sereniſſimo Imperatori Ferdinando, ſemper Auguſto, Orthodoxo, & Pacifico, & omnibus Regibus, Rebuspublicis, & Principibus noſtris, multi anni.

Resp. Pium, & Chriſtianum Imperatorem Domine conſerva: Imperator Cœleſtis terrenos Reges rectæ fidei conſervatores cuſtodi.

Card. Apoſtolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo præſidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

Resp. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Card. Reverendiſſimis Cardinalibus, & Illuſtribus Oratoribus.

Resp. Magnas gratias: Multos annos.

Card. Sanctiſſimis Epiſcopis vita, & felix ad Eccleſias ſuas reditus.

Resp. Præconibus veritatis perpetua memoria: Orthodoxo Senatui multos Annos.

Card.

Card. Sacroſancta Oecumenica Tridentina Synodus: Ejus fidem confiteamur: Ejus decreta ſemper ſervemus. Sæcul. XVI. A. C. 1562.

Reſp. Semper confiteamur, ſemper ſervemus.

Card. Omnes ita credimus, omnes idipſum ſentimus, omnes conſentientes, & amplectentes ſubſcribimus. Hæc eſt fides Beati Petri, & Apoſtolorum; hæc eſt fides Patrum; hæc eſt fides Orthodoxorum.

Reſp. Ita credimus, ita ſentimus, ita ſubſcribimus.

Card. His decretis inhærentes digni reddamur miſericordiis, & gratia primi, & magni ſupremi Sacerdotis Jeſu Chriſti Dei, intercedente ſimul inviolata Domina noſtra ſancta, Deipara, & omnibus ſanctis.

Reſp. Fiat, fiat. Amen, amen.

Card. Anathema cunctis hæreticis.

Reſponderunt Patres. Anathema, Anathema.

Hac ratione abſolvebantur acclamationes, mox vero Galli Cardinalem Lotharingium reprehendebant, quod poſt nomina Patrum, ac Cæſarum, ſub quibus Synodus fuerat celebrata, ſimul omnes Reges nominaſſet, nec ſpecialem Galliarum Regis mentionem feciſſet, prout tamen ad Synodi initium vivente Carolo V. obſervatum fuerat,

Sæcul. XVI. A.C. 1563

porro id abs dubio ab eo factum dicebant, ne Philippum II. Hispaniæ Regem offenderet: postquam igitur Cardinalis in Franciam redierat, hac super re a Senatu Regio objurgabatur; ast ille reposuit, quod hac agendi ratione usus esset, ut inter utrumque potentissimum Regem pacem conservaret, atque per eorum unionem totius Christianæ Reipublicæ utilitatem procuraret.

§. IX.

Patres Synodi actis subscribere jussi.

Pallav. l. 24. c. 8. n. 13.

Absolutis acclamationibus injunctum fuit a Legatis, & Præsidentibus sub pœna excommunicationis omnibus Patribus, ut, antequam discederent e civitate Tridentina, subscriberent manu propria decretis concilii, ac ea per publicum instrumentum approbarent. Postea Synodi Promotor cunctis, qui Concilio a secretis, ac tum præsentes erant, præcepit, ut subscribentium nomina in tabulas referrent, demum vero Moronus Legatus Hymnum Ambrosianum intonabat, quo decantato omnibus Synodi Patribus bene precatus dixit: *Ite in pace.* Massarelus autem, qui Synodo a secretis erat, juncta cum ceteris opera cuncta decreta colligebat, ac Patrum subscriptiones, prout jussus erat,

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

erat, recipiebat, ubi eorum, qui ſuum chirographum apponebant, numerus ad ducentos quinquaginta (*) quinque aſcenderat; ſeſe enim ſubſcripſerant quatuor Legati, duo Cardinales, tres Patriarchæ, viginti quinque Archiepiſcopi, centum ſexaginta octo Epiſcopi, triginta novem Procuratores legitimo mandato pro abſentibus inſtructi, ſeptem Abbates, nimirum Claravallenſis, quatuor Montis Caſſini, Cluniacenſis, & Abbas villæ Bertrandi ex Tarragonenſi Provincia in Hiſpania, ac denique ſeptem Ordinum Generales, ſcilicet Dominicanorum, Fratrum Minorum de Obſervantia, Fratrum Minorum Conventualium, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Servitarum, & Jeſuitarum, qui omnes verbo: *ſubſcripſi:* addebant: *deſmiendo*, exceptis Procuratoribus, qui nunquam jure ſuffragii gaudebant.

Finitis omnibus hiſce ſubſcriptionibus Synodi acta eſſe genuina, ac vera atteſtabantur Angelus Maſſarelus, Epiſcopus Theleſinus, ſacro Concilio Tridentino a Secretis, & Marcus Antonius

(*) Acta Concilii dicunt *ſexaginta*, computatis tamen illis, qui hic ſe ſubſcripſiſſe referuntur, non inveniuntur plures quam ducenti quinquaginta quinque.

Sæcul. XVI. A. C. 1563

tonius, necnon Clericus Peregrinus Comenſis, ejusdem Concilii Notarius, ſicut etiam Cynthius Pamphilius, Clericus Camerinenſis, pariter ejusdem Concilii Notarius.

Biduo poſt abſolutum hoc Concilium omnes Oratores Tridenti agentes excepto Lunenſi Comite decreta omnia, & ſingula receperunt, ac ſua nomina in loco a Patrum ſubſcriptione ſeparato appoſuerunt, excipiebantur autem eorum ſubſcriptiones non juxta ordinem ſui adventus, prout antea convenerat, ſed quodammodo ſervato ordine, quo in Synodo confederant, ac loca ſua occupaverant: inſuper Helvetii Oratoris ſubſcriptio ſeparatim facta, ac comprobata eſt per quemdam alium Secretarium, cujus tamen rei cauſſa ignoratur, adeo, ut quatuor diverſæ eſſent chartæ, & in prima ſeſe ſubſcripſerint Oratores Eccleſiaſtici, ſcilicet Cæſarei, vices ipſius Imperatoris agentes, necnon ceteri nomine Regis Romanorum, ac Principis Hæreditarii præſentes, & poſtea Oratores Poloniæ, Sabaudiæ, Florentiæ, & Patriarcha Hieroſolymitanus, inter quos unus erat Laicus cujusdam Eccleſiaſtici Socius nimirum Sigismundus Taurinenſis, circa quem nulla erat contentio, cum illius prærogativa a nemine in du-

dubium vocaretur. In altera charta solus subscriptus legebatur Joachimus, qui a Pagorum Catholicorum Clero Orator fuerat decretus. In tertia confirmabatur receptio Oratorum Lusitaniæ, & Reipublicæ Venetæ: in postrema denique se subscripsit Melchior Lussus alter Helvetiorum Laicorum Orator, qui unaomnes nomine suorum Principum suam fidem obstrinxerant. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Pontifex, quam primum de absoluta Synodo notitiam acceperat, mox Cardinales in suo Palatio congregatos hac de re certiores reddidit, præcepitque, ut altera die decima tertia Novembris in gratiarum actionem ab Ecclesia sancti Petri usque ad templum Beatæ Virginis supra Minervam solemnis haberetur supplicatio, ubi omnibus illis, qui eidem interessent, pœnarum condonationem indulgebat. Interea Præsules, ceterique ad Concilium Deputati inde revertebantur, atque inter eos Moronus, & Simonetta Legati iter suum Romam versus aggrediebantur de omnibus, quæ in Synodo gesta fuissent, rationem reddituri, seu potius ea, quæ Pontifex jamjam noverat, rursus proposituri.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. X.

Moroni, & Simonettæ Legatorum adventus Romam.

Pallav. c. 9. num. 5.

Paucis ante Natalitia festa diebus ambo hi Legati Romam venere, quos etiam Papa sæpius ad alloquium admissos multis benevolentiæ signis semper cumulabat: quondam vero cum illis conferens deliberandum proposuit, an Synodi decreta confirmare expediret: porro die trigesima Decembris habito Patrum Senatu hæc effatus est: „Immortales Deo grates agimus, cu„jus benignitate Concilium Triden„num, summe celebre, finem summe „felicem, optabilemque jam obtinuit. „Post hæc Imperatori Ferdinando Chri„stianæ pietatis, ac singularis bene„volentiæ laudem tribuimus, cujus cu„stodia Synodus Tridentina cincta, ac „munita auctoritatem, & amplitudi„nem suam liberam, illæsamque serva„vit. Hujusce testificationem officii „cum aliis Regibus, Catholicisque „Principibus libenter communicamus: „summa pariter voluptate Legatos no„stros commendamus ob vigilantiam, „ob prudentiam, ob fortitudinem, ani„mique constantiam, nunquam defi„cientem inter extremas eventuum, „temporumque difficultates in sustinenda

„Sedis

„Sedis Apoſtolicæ dignitate. Fate- Sæcul. XVI.
„mur denique, & comprobamus Re- A.C. 1563.
„ligionem, ac perſeverantem liberta-
„tem reliquorum Patrum, qui laborem
„omnem, curamque impenderunt ad
„hæreſes, corruptelasque auferendas:
„quibus præterea non mediocriter ob-
„noxii ſumus, quod in moribus, ac
„diſciplina reformandis ea modera-
„tione, atque indulgentia erga nos
„uſi ſint, ut, ſi maluiſſemus hanc nos
„ipſi curam ſuſcipere, eorumque arbi-
„tratui nos committere, plus certe ſe-
„veritatis a nobis fuiſſet adhibitum:
„proinde cum hæc ſalutariter conſti-
„tuta ſint, firmiſſima nobis voluntas
„ineſt, ut per obſervationem decreto-
„rum ſacroſanctæ Synodi ea diſcipli-
„næ ratio inducatur in mores, qua nunc,
„ſi qui malam de nobis opinionem
„concepere, tollatur ab ipſis error hu-
„jusmodi; nam hic licet ignoremus, un-
„denam ortum traxerit, multorum ani-
„mos occuparit, exiſtimantium, in iis,
„quæ ad emendationem attinent, a
„nobis prima Concilii clauſtra eſſe per-
„fringenda: potius igitur moderatio-
„nem, limitationemque a Patribus
„uſurpatam, nos, ubi opus fuerit, di-
„ligentia noſtra corrigemus, & tan-
„quam in re noſtro judicio reſervata ſup-
„plebimus, & tantum abeſt, ut vel

Sæcul. XVI. A.C. 1563

„unum quidem apicem negligere, aut „diminuere velimus.

§. XI.

Pontificis consilia pro confirmanda Synodo, atque urgenda illius executione.

Insuper declarabat Pontifex, se velle, ut Cardinales Moronus, & Simonetta omni sollicitudine inviligent, ne quicquam Synodi decretis adversum decernatur: postea significabat, quod velit Provinciarum Legatos mutare, ac per seipsum ditionem Ecclesiasticam lustrare: ut vero Synodi decreta certius observarentur, præcepit, quatenus omnes Episcopi mox ad suas Ecclesias pergerent, ibidemque præsentes adessent: si vero Cardinalium nonnulli suis Ecclesiis cessissent, sibi tamen earum proventus, atque administrationem retinuissent, hæc integra Episcopis, qui eorum vices subirent, in titulum relinquerentur: præterea tanquam afflatu divino inspiratam deprædicabat Seminariorum institutionem, affirmans, quod studeret omnibus prior hujus rei exemplum præbere: porro ut ambo Cardinales Moronus, & Simonetta, quibus Synodalium decretorum executio erat demandata, hunc laborem eo facilius suscipere possent, illis tres alios

alios adjungebat Cardinales, Cicalam, Vitellium, & Borromæum, quibuscum hi de modo Synodum confirmandi, ac integerrimam illius executionem perficiendi deliberarent. Insuper his Pontifex suam mentem declarabat: „mei pro„positi summa est, ut Synodus Tri„dentina eo pacto auctoritate Ponti„ficia stabiliatur, quo ejus Acta, & „Decreta inviolata persistent, nec ea „unquam favoris, aut potentiæ gratia „quispiam transgrediatur: quod si for„te, ut fert humana conditio, contin„geret, ut in aliquo eventu conducens, „rationique consentaneum videretur, „a Concilii sententia discedere, nunquam „illis Cardinalibus licebit id agere, nisi „disertus meus jussus accederet. His „dictis ad alia transgressus, tandem „concluſit: cum ex eo cuncta mala „traxerint originem, quod homines ne„quiter improbi sacras Infulas obtinuis„sent, ideo opera in posterum nave„tur, ne ad Episcopi gradum promo„veantur, nisi viri munus illud amplissi„mum morum suorum puritate, ac do„ctrinæ eminentia promerentes. „ Sæcul. XVI. A. C. 1563.

Hoc Pontificis consilium non modo prudens, sed etiam fauſtiſſimum fuisset, si illius executio secuta fuisset.

§. XII.

Sæcul. XVI. A. C. 1563

§. XII.

Papa Tridentinam Synodum confirmare rogatus.

Pallav. l. 24. c. 7. n. 4. Sarp. l. 8. p. 791.

Ex variis, quæ Pontifici ſuggerebantur, conſiliis illud eidem præplacuiſſe videtur, vi cujus acta Synodi confirmare ſtatuerat: priusquam vero huic rei manum admovebat, Burdeſerium, & Amulium Cardinales, necnon præcipuos Cameræ Apoſtolicæ Miniſtros conſultabat, qui unaomnes idem fieri ſuadebant. Horum quoque ſententiæ accedebat Hugo Boncompagnus Veſtanus Epiſcopus, poſtea Cardinalis, ac demum Pontifex ſub nomine Gregorii XIII. renuntiatus, qui cum huius conſilii æquitatem demonſtraret, plures alios ad eandem ſententiam perduxit, atque inter alia hæc protulit: „Hæc confirmatio Synodo haud „majorem addit auctoritatem, quam „ceteris Conciliis, eorumque decretis, „ac Decretalibus, quarum ingens nu„merus, ac perſpicuæ declarationes „contra morum corruptionem magis „validæ ſunt, quam Tridentina decre„ta, quæ in ſuo proponendi modo mo„derationem ſpirant: dum vero Ponti„fex Judicibus injunxit, ut pro expe„ctandis ſuis dubiis ad ſacram Sedem „recurrerent, quin tamen ipſam Syno-

„dum

„dum interpretari aggrederentur, a ne- Sæcul. XVI.
„mine Concilii decreta contra Curiam A. C. 1563.
„Romanam adduci poterunt, cum hæc
„ex adverso per suas declarationes ejus-
„modi sanctiones ad Ecclesiæ necessi-
„tates accommodare posset: quia au-
„tem Romæ instituta est Inquisitorum
„congregatio, cujus officium maximæ
„utilitatis est, hinc sua Sanctitas facile
„aliam ejusmodi Curiam erigere pote-
„rit, ad quam ex omnibus orbis parti-
„bus quivis pro dilucidandis suis du-
„biis confugere valebit: si enim id ef-
„fectus daretur, spondeo, quod nec Se-
„dis Apostolicæ auctoritas, nec Eccle-
„siæ Romanæ jura per hæc decreta labe-
„factarentur, quinimo ea potius pro
„modo, quo hæc media in usum dedu-
„centur, etiam inde majus robur acci-
„piant.„ Placuere Boncompagni ra-
tiones, atque Pontifex eo temporis
momento integre, ac nulla adhibita ex-
ceptione Synodum confirmare statuit.

§. XIII.

Calviniſtarum crudelitates poſt Dro-cenſe prælium.

Cum hæc interea gererentur, Fran- *Thu. l. 34. n. 7*
cia majoribus adhuc, magisque fu-
nestis tumultibus per Calviniſtas exagi-
tabatur; Colinius enim Maris Præfe-
ctus, qui capto Condæo Principe horum
rebel-

Sæcul. XVI. A. C. 1563

rebellium caput evaſerat, Belſiam peragrabat, ut reliquum hyemis tempus in Secalonienſi, & Bituricenſi ditione tranſigeret, ubi a Calvini fautoribus Eccleſiæ diripiebantur, fuſisque vaſibus argenteis inde militibus ſtipendia numerabantur, nec minus Sulliacum exiguum quoddam oppidum die decima quarta Januarii hoc anno Domini quingenteſimo ſexageſimo tertio ſupra milleſimum capiebatur, dum triginta Sacerdotes miſere trucidati, & plures alii in Ligerim flumen projecti ſunt.

§. XIV.

Guiſius Dux prope Aureliam occiſus.

Thu. l. c.

Sub idem tempus Guiſius Dux, qui regiis copiis præerat captoque Montmorentio Conneſtabili plena fruebatur auctoritate, Stampas, & Pluverium recuperabat: poſtquam vero Colinius eundem Ducem cum Regis exercitu Aurelianenſi urbi appropinquare compererat, ipſus eo prompte accurrit, ut hanc civitatem pro diuturna, ac valida expugnatione munitam redderet: cum autem ſeſe illuc includere nollet, Andelotum Fratrem ſuum ibidem reliquit, ut urbem propugnaret, ipſe autem cum Germano equitatu Normaniam verſus contendit, ut ibidem pecunias ſibi ab Anglis

Anglis tranſmiſſas reciperet. Dux Guiſius, cum ſe Calviniſtas extirpaturum ſperaret, ſi Aureliam ſibi ſubjiceret, copias ſuas huic urbi admovit, atque illam die ſexta Februarii obſidione cinxit: Verum præmatura illius mors hujus expeditionis ſucceſſum præpedivit, quippe Dux ſclopeti ictu a Joanne Politroto Engoliſmenſi Nobili, ac Calvinianæ ſectæ addictiſſimo die decima octava Februarii periculoſe feritur, cumque hoc vulnus lethale eſſet, die vigeſima quarta ejusdem Menſis Dux animam Deo reddidit. Perpetrato hoc ſcelere mox Politrotus ad Aurelianenſem ſylvam auffugit, ſed altera die captus, ac die vigeſima prima quæſtioni ſubjectus paucis poſt diebus in eum mortis ſententia pronuntiata eſt, ſed Pariſios abductus, ut ibidem extremo afficeretur ſupplicio, inter tormenta animam egit: cum autem manifeſtaſſet, quod a Colinio Maris Præfecto ad trucidandum Guiſium ſollicitatus fuiſſet, hic, ut crimen a ſe amoveret, apologiam vulgavit, quæ tamen ferme nulli veritatis ſuſpicionem ademerat, quamvis eidem parcere conſultum videretur, atque aliunde temporis viciſſitudines cogerent, ut ſaltem eum, cum innocens credi non poſſet, tanquam reum condemnare nemo auderet. Pa-

Sæcul. XVI. A C 1563.

riter

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

riter Theodorus Beza, qui turbulentis ſuis ſermonibus ad ſeditionem plurimum conferebat, cum haud ultra tutum ſibi in Galliis aſylum fore cenſeret, Genevam auffugit, ubi continuata in veram Religionem rabie tumultuabatur.

§. XV.

Reginæ ſtudium de Wittembergenſi Duce in Franciam advocando.

Eodem tempore Regina Franciæ Adminiſtratrix, cum ſuam auctoritatem, quam per Guiſium Ducem poſſederat, ex illius obitu imminui pertimeſceret, ſæpius Henricum Clutinium Oiſellum, & Lemovicenſem Epiſcopum ad Condæi Principis uxorem, & ad Andelotum ablegabat, ut cum illis de pacis conditionibus ageret: Attamen Regina poſtmodum verita, ne ſuæ dominandi libidini magna Condæi Principis auctoritas obſtaret, in rerum adminiſtratione ſecundum a ſe locum Chriſtophoro Wirtembergæ Duci, ac Germaniæ Principi vendicare ſtatuit, hancque in rem Raſcalonem olim Guiſio Duci addictiſſimum ad eundem decrevit, dato negotio, ut hunc Principem in Gallias, aut ſaltem ad regni fines accedere rogaret, cum illinc quoque protinus contendere, Regina polliceretur.

Exce-

Exceperat Wirtembergicus Dux Rascalonem die quinta Martii, ubi vero cum eo de rebus in datæ facultatis diplomate contentis contulerat, quatuor dierum ſpatium ad deliberandum petiit, & tandem hæc reſpondit: „Regi, atque Reginæ me obſtrictum profiteor, ac Francici Regni calamitates „deploro, necnon pro ejus incolumitate „ipſemet aſſiduas ad Deum preces fundam, publicasque fieri curabo: cetera oblato, tantoque oneri me impa„rem experior, nec in Gallias, aut Re„gni fines proficiſci valeo, prout tamen „ſollicitor: exiſtimo enim, quod Con„dæi Principis fautores nonniſi contra „regiorum edictorum tranſgreſſores ar„ma ſumpſerint, ideo conſultius Re„gina ad avertendam Dei iram ageret, „ſi ſua opera Dei cultum ab omni er„rore, ac ſuperſtitione purum in Fran„ciæ Regno reſtitueret, ſuisque ſubdi„tis offenſionum, & anxietatum cauſ„ſas ſubmoveret, edita fidei confeſſio„ne, quæ Auguſtanæ ad reddendam „Germaniæ Eccleſiis pacem ſtabilitæ „haud abſimilis eſſet.„ Sæcul. XVI. A.C. 1563. *Thu. l. c.*

§. XVI.

Reginæ conſilium de pace ineunda.

Verum ſucceſſu magis proſpero eadem Regina pacis negotium agita-

Sæcul. XVI A.C.1563.

bat, quamvis illud nonnisi pluribus superatis difficultatibus tandem perfici potuerit; nam hanc in rem inter Condæum Principem, & Montmorentium Conneſtabilem plura habebantur colloquia, hacque ex cauſſa Condæus ex ſua cuſtodia ſub valido præſidio ad Regis caſtra, & poſtea ad Boum-Inſulam prope Aureliam abducebatur, qui tranquille omnia excipiens tandem dicebat, nulli conditioni ſe aſſentiri poſſe, niſi prævie ſponderetur, quod edictum in Menſe Januario ſancitum integra fide executioni dandum eſſet: verum huic propoſitioni Conneſtabilis vehementer ſeſe opponebat, palam profeſſus, quod ex hoc edicto veluti ex ſcaturigine omnia mala, quibus Francia afflictaretur, pullulaſſent. Equidem Regina, cum pacem quovis pretio redimere ſatageret, hoc edictum reſtrictum iri inquiebat, ſimulque conſentiebat, ut Condæus Princeps Aureliam ingredi, ibidemque cum ſuæ factionis hominibus conſultare poſſet: Itaque Princeps urbem ingreſſus mox cum Præconibus conſilio habito eorum ſententias rogabat, atque ex illis tres ſeligebat, qui ſcriptotenus reſponderent ad ſequentes duas propoſitiones, quarum prima erat hæc: an ipſe Condæus coram Regina profiteretur, quod arma, quæ nonniſi

nonnisi pro exequendo Januarii edicto sumpsissent, ponere nolint, donec hoc edictum rursus esset restauratum: altera autem inquirebatur, utrum Regina id renunente, idem illam rogaret, ut ipsamet proponeret ea, quæ pro Regni utilitate ad sedandos tumultus, necnon ad pacem Regno reddendam consultiora judicaret, ut tandem malis, quibus Francia affligeretur, finis imponatur. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XVII.

Ministrorum petitio de exequendo Januarii edicto.

Ex hoc Principis sermone Ministri haud immerito colligebant, quod ipse pacem a se tantopere exoptatam etiam abolitione edicti in Mense Januario promulgati redimere paratus esset, hinc eidem in responsis hæc dabant: „jus nobis ex Januarii edicto aquisitum „missum facere haud possumus, & omni„no nisi manifeste religionem nostram „evertere velimus, illud propugnare ob„stricti sumus: si vero Regina Franciæ „Administratrix hac duntaxat condi„tione pacem procurare vult, tibi nil „reliquum est, nisi ut colloquium dis„solvas.„ Pollicebatur Condæus, se eorum consiliis aquieturum, interim vero eosdem rogabat, ut convocato *Beza hist. Eccl. tom. 2. Thu. l. 34.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563. Senatu suo, quid hac in re agendum, inter se deliberarent. Ergo ex illis septuaginta duo conveniunt, suasque petitiones scripto tradunt, concludentes, quod Calviniſtæ arma ponere haud possint, nisi eis omnia ipsorum postulata concedantur: postea animi sui sententias scripto comprehensas Condæo porrigebant, palam professi, quod a concepto hoc consilio nullatenus recedere velint.

§. XVIII.

Pacis articuli a Pastoribus Calviniſtarum propositi.

Thu. l. c. Articuli, quos Calviniſtarum Ministri præscribebant, erant sequentes. I. Edictum, quod consensu delegatorum ex omnibus Franciæ Provinciis juxta Regni ordinum leges conditum, & in Regni curiis promulgatum fuit, restituatur, quin ulla exceptio, aut conditio a Curiis, ut fit, apponatur; II. Ut obviam eatur sectis, ac monstrosis opinionibus per licentiam grassantibus, Rex confessionem fidei ante biennium Anno Christi milleſimo quingenteſimo sexageſimo primo menſe Junio propositam admittat, ejusque patrocinio susceptо Atheos, Libertinos, Anabaptiſtas, ac Servetiſtas severe castigari curet. III. Protestantibus liberum sit convenire,

venire, & Consistoria, ac Synodos ad disciplinam Ecclesiasticam constituendam pro suo arbitrio celebrare. IV. Baptismata a Protestantibus facta non iterentur. V. Matrimonia inter eos celebrata rata habeantur. VI. Liberi ex eis suscepti censeantur legitimi. VII. Ea, quam illi profitentur, religio in posterum nec nova, nec existimata, sed mere reformata appelletur. VIII. Officiis, & functionibus publicis, bonis, dignitatibus, & honoribus, unde ob Religionis odium dejecti sunt, restituantur. IX. Judicia contra eos data revocentur. X. denuo de eorum causa a non suspectis judicibus cognoscatur. XI. In illos, qui apud Senones Vassiacenæ lanienæ seditionem commoverunt, & patratorum aliis in locis facinorum auctores fuerunt, severe inquiratur, & in facti reos, ac convictos, si adhuc vivunt, vel si mortui sunt, in eorum memoriam, pro criminis gravitate animadvertatur. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XIX.

Princeps Condæus rejectis hisce articulis nonnisi Nobilium sententias rogans.

Equidem Condæus Princeps hosce articulos, quos rejicere non audebat, excepit, cum tamen illos potius ad *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

augendas, quam extinquendas belli flammas aptos cognoſceret, circumſpecte illos in colloquio producere renuit, moxque ad Reginam animo magis pacato accedens, cum eadem uſque ad duodecimam Martii pacifcebatur, qua etiam die pax ſancita, ac concluſa fuit, omnesque articuli eo tenore fuere ſubſcripti, quo in edicto hanc in rem die decima nona Martii in Amboſiana arce promulgato continebantur.

§. XX.

Edicti Amboſiani articuli de pace cum Caviniſtis.

Recueil. de tout ce qui s'eſt paſſé pour & contre les Proteſtantes par le Fevre p. 15

Hoc edictum ſequentes complectebatur articulos: I. In omnibus urbibus, in quibus ſpuriæ reformationis, ac Religionis affeclæ die ſeptima ejusdem Menſis Martii eandem ſectam profitendi libertate gaudebant, eadem quoque impoſterum ibidem, exceptis tamen Eccleſiis, atque Eccleſiaſticorum ædibus fruantur. II. In ſingulis Præfecturis, in locis Seneſcalli jurisdictioni obnoxiis, & Legatariis Provinciis Præſidum regimini ſubjectis, uti Peronnæ, Montis-Deſiderii, Raugæ, Rupellæ, atque in aliis ejusmodi civitatibus, in quibus ad ſupremas Curias provocatio eſt, locus aliquis ad publicum Religionis ſuæ uſum idoneus, vel in ſuburbiis,

Mezer. abrege chron. tom. 5. p. 117. Mem. de Caſteln. l. 4. c. 11.

vel

vel in loco hiſce urbibus vicino aſſigne- Sæcul. XVI.
tur, deſuper tamen excipitur urbs, ſub- A.C.1563.
urbium & Præfectura Pariſienſis. III. Proceribus, & Nobilibus in jurisdictionibus ſuis merum Imperium habentibus pariter libera, ac publica Religionis ſuæ profeſſio, ſicut, & cunctis judiciario eorum foro obnoxiis permittatur: aliis vero Nobilibus, qui ſuprema jurisdictione non gaudent, hoc idem jus duntaxat in privatis eorum domibus concedetur. IV. Omnes in hoc bello capti utrinque absque lytro libertati reddentur. V. Exteri milites miſſione facta, tam Calviniſtæ, quam Catholici ad ſuam patriam reverti permittentur. VI. Rex plenam præteritorum oblivionem Condæo Principi, Maris Præfecto, omnibusque aliis, qui ejus partes ſecuti in nuperis tumultibus ſtipendia merebantur, concedet: inſuper Rex declarabit, quod cuncta in ejus obſequium geſta fuerint, nec ei liberum ſit, in hucusque attentata inquirere. VII. Illi, qui ſpuriæ Reformationis ſectam profitentur, nullum fœdus cum exteris inire, nec quacunque ex cauſſa illos in Gallias evocare, aut milites conducere, vel alere poterunt, ſi non ſpecialis Regis juſſus, vel permiſſio adſit.

Sæcul. XVI. A C. 1562.

§. XXI.

Architalaſſus in Normaniam profectus hanc pacem præpediturus.

Beza l. c. Thu. l. 35.

Jamjam ad primos hujus pacis rumores Colinius Maris Præfectus illam præpediturus accurrebat, cum autem ſe adventante rem penitus confectam intelligeret, ſaltem illius executionem impedire adlaborabat: verum fruſtranea erant illius molimina; quippe edictum jamjam ad Pariſienſem Senatum fuerat tranſmiſſum, ut ab eo ratum haberetur: quoniam vero ex Curiæ Patribus potiſſimi edictum, quo ſectam jure proſcriptam in regno profitendi libertas permittitur, ad acta referre tergiverſarentur, tandem operi manum admovere omnino renuebant.

§. XXII.

Edictum pro confirmatione ad Pariſienſem Curiam tranſmiſſum.

Hoc unicum Patribus conſilium tuto arripiendum videbatur, ut hoc edictum Regiis Proceribus tradi decernerent: verum hæc agendi ratio edicti confirmationem magis difficilem reddebat: Rex quoque hæc obſtacula proſpexerat, quocirca, ut remedium opponeret, Borbonium, & Montpenſerium Duces

Duces adeſſe jubebat, qui etiam die vigeſima Senatum acceſſerunt, comitante eos Montmorentio Mareſcallo Pariſienſi Gubernatore, qui Curiæ Patres hortaretur, ut edictum in tabulas referre vellent. Nec proſper conatui abluſit eventus, quamvis Provinciana non minus, ac Toloſana Curia diu reſiſterent, tandem vero & illæ non minus, ac reliquæ Regis mandato obtemperarunt. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXIII.

Calviniſtæ Aurelia excedentes.

Cum ergo vi pacis initæ Calvini Sectatores Aurelianenſi urbe excedere cogerentur, hinc illi quoque, cum publice in Eccleſia ad Sanctam Crucem ritu ſuo Cœnam prius celebraſſent, die vigeſima octava Martii illinc diſceſſerunt. Sub idem tempus Germani Equites ſoluto militiæ ſacramento dimittebantur, eos autem deducendi cura Porciano Principi demandata erat: cum autem æs militare promiſſum nondum eis fuiſſet numeratum, diuturnam in Campania moram trahebant, quam regionem miſere depopulati ſunt, donec eis debitum ſolveretur ſtipendium.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXIV.

Varvicensis Comes ad reddendum Gratiæ portum a Rege sollicitatus.

Thu. l. 35. *n.* 3. Postmodum de recuperando Gratiæ Portu, quem Calviniſtæ anno priori Anglis tradiderant, agebatur; id enim inter ceteras pacis conditiones promiſſum erat: itaque Rex Tubicinem eo miſit, qui a Varvicenſi Comite hujus oppidi Gubernatore urbem tradi peteret. Verum Comes reſpondit, quod mandata Angliæ Reginæ Dominæ ſuæ expectare cogeretur, cum hanc urbem ejus nomine tueri, ac contra omnes, qui eam aggredi molirentur, propugnare juſſus eſſet: de reliquo autem ſe paratum declarabat, quod ipſe, omnesque ceteri, qui cum ipſo eſſent, potius vitam prodigere, quam deditionem facere vellent. Accepto hoc reſponſo die ſexta Julii bellum Eliſabethæ Angliæ Reginæ nuntiabatur.

§. XXV.

Renuente Comite urbs a Gallis obſeſſa, captaque.

Mem. de Caſtell. l. 5. *c.* 2. Regina Franciæ Adminiſtratrix ambas contendentium partes tanta dexteritate ad concordiam revocabat, atque

Sæcul. XVI. A.C. 1563

atque eo inducebat, ut certatim ad recuperandum Gratiæ Portum operam ſuam mutuo impenderent: quapropter ſi Catholicis inchoatæ obſidionis honor debetur, Calviniſtis ea gloria denegari non valet, quod in obſidionalibus foſſis cum ingenti fortitudine decertarint; nam ſolus Architalaſſus, qui ad alios caſus Anglorum amicitiam ſibi conſervare ſatagebat, huic obſidioni intereſſe renuit: nihilominus Gratiæ Portus die vigeſima Julii obſeſſus die vigeſima octava ejusdem Menſis deditione facta ab Anglis redditus fuit, ſequentibus hiſce conditionibus. I: Varvicenſis Comes urbem cum omnibus belli tormentis, annona, ceteroque apparatu, quem Angli in ſuo ingreſſu repererant, Montmorentio Conneſtabili tradat. II. Pariter omnia navigia, quæ vel ad Regem, vel ejus ſubditos pertinent, unacum ſuo apparatu, mercibus, aliisque rebus ad Gallos attinentibus relinquat. III. Eodem momento major turris Conneſtabili cedatur, ibidemque Galli præſidiarii imponantur, qui tamen nec urbem ingredi, nec Franciæ vexilla ibidem erigere poterunt. IV. Porta, quæ urbem reſpicit, traditis quatuor obſidibus Varvicenſi Comiti relinquatur. V. Altera die mane ex Portus propugnaculo, quod Conneſtabili tradetur, mili-

Sæcul XVI. A.C.1563.

milites egredientur. VI. Utrinque capti absque lytro liberi dimittantur. VII. Comiti, Anglisque, qui in urbe morantur, inde cum omnibus ad se spectantibus discedendi libertas concedetur. VIII. Abibunt intra sex dierum spatium, nisi adversa tempestate prohibeantur. IX. Pro suo discessu Angliæ navibus, aliisque ad deferendas copias destinatis portum intrare, atque eo solvere integrum erit, quin ulla ratione prohiberi valeant.

§. XXVI.

Carolus IX. Tutelam egressus a Rothomagensi Senatu declaratur.

Equidem Regina Galliarum Administratrix inter ceteros pacis articulos Condæo Principi spoponderat, quod eidem supremam Regni totius administrationem sub Regis nomine deferre vellet, cum autem haud immerito timeret, ne auctoritas tam amplæ dignitati annexa sibi funesta accideret, hinc illum ab hoc munere excluſit, Regique auctor exstitit, ut se Tutorum potestatem egressum declararet: cum vero Rex nondum decimum quartum ætatis suæ annum penitus explesset, atque aliunde Parisiensis Senatus nupero edicto, quod Rex tamen tanquam primam suæ potestatis functionem confirmare

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

mare debuiſſet, ſeſe conſtanter oppo-
neret, ac proin ætatis vitium eidem ob-
jiceret, hinc ſancitum, ut ad tollen-
das omnes difficultates, quas Pariſien-
ſis Curia opponere timebatur, Rex
Rothomagum deduceretur.

Hujus urbis Curia cum facile his
Aulæ Francicæ poſtulato cederet, Ca-
rolus IX. die decima ſeptima Menſis
Auguſti regnorum adminiſtrationis ſu-
ſcipiendæ capax ibidem declaratur, at-
que in ſuo ſermone, quem hanc in rem
pronuntiabat, inter alia ita effatus eſt:
„Volo, ut edictum a me conditum, quo
„usque ad Concilii ſententiam contro-
„verſiæ de Religione deciſæ fuerint,
„aut aliter ipſe decreverim, ab omni-
„bus religioſe obſervetur, illi vero, qui
„illud violaverint, tanquam rebelles,
„& imperia noſtra detrectantes, caſti-
„gentur: præcipio inſuper, ut omnes
„ubique in Urbibus, ac Regni mei pa-
„gis arma deponant: præterea ſub pro-
„poſita perduellionis pœna prohibeo,
„ne ulli Franciæ Regno ſubditi, non
„exceptis quidem fratribus meis, poſt-
„hac in peregrinis ditionibus, niſi pe-
„tita a me venia, aut cum Principibus
„ſive fœderatis, ſive hoſtibus ſecreta
„conſilia habeant, illucve me inſcio
„mittantur: ad hæc peto, ne ulla pe-
„cunia ſine juſſu meo cogatur, aut con-
„fera-

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

„feratur, edicto ea de re propoſito, quod „in omnibus Regni Curiis promulgari „volo:„ his dictis Rex Senatores admonebat, ut recte, riteque jus dicant, ſuamque conſcientiam erga Deum liberent, ita, ut omnes quiete, ſecureque degentes in obſequio ſibi debito contineantur.

§. XXVII.

Regina Regni adminiſtrationem abdicans.

Thuan. l. c.

Tum Hoſpitalius Cancellarius, primusque Præſes orationem habebant, in qua ferme nonniſi ea, quæ Rex breviter propoſuerat, ipſi copioſa verborum ubertate repetiere. Finito hoc ſermone Regina aſſurgebat, atque ultro Regni adminiſtrationem ab Ordinibus Regni delatam in filii jam majoris manus ſe conſignare declarabat, ubi in publicam obſequii fidem ibat ad Regem, qui eam e throno deſcendens aperto capite excepit, illamque amplexu honoravit, ac ſuſcepta hoc ritu Regni adminiſtratione, eandem magis, ac antea in ſuæ Matris poteſtate futuram dixit, cum vero rurſus Rex in ſolio conſediſſet, Principes, ac Proceres, qui aderant, ad Regem perrexere, & flexis in terram genibus ei manum deoſculati ſunt.

Per-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Peractis hisce solemniis portæ aperiebantur, atque multitudo, quæ confluxerat, admittebatur, ubi edictum jam memoratum alta voce a primario Curiæ Scriba recitabatur, ac more solito ad preces cognitoris Regii illud promulgatum ad acta referebatur. Ceterum inter illos, qui hac in occasione suum Regi obsequium deferebant, notabatur Odetus Colinius Castillionæus Cardinalis, qui quamvis in quodam Purpuratorum Senatu anathemate perculsus, ac Cardinalitia, & Episcopali dignitate a Papa exutus fuisset, nihilominus cum omnibus insignibus more Cardinalium comparere audebat, eaque studiose in omnibus solemnitatibus, quinimo etiam tum deferebat, dum anno sequenti cum Isabella Altevilla Lorea sacrilegas nuptias inibat.

§. XXVIII.

Decimarum jura Ecclesiasticis per Regis edictum asserta.

Cum Rex sui juris esset declaratus, Dieppam excurrit, ubi decimarum jura reddebat in favorem Ecclesiasticorum, qui vehementer querebantur, quod indies ipsorum jura everterentur, ac ipsimet semper gravibus opprimerentur vexationibus. *Thuan. l. c.*

§. XXIX.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XXIX.

Parisiensis Curia edictum de majori Regis ætate acceptare recusans.

Mezerai abrege chron. tom. 5 pag. 125.

Sub idem tempus ad Parisiensem Senatum edictum, quod idoneam Regis ætatem concernebat, per Ludovicum Sangelasium Lansacum mittebatur, ut in eadem Curia confirmaretur: verum hi Senatores ob injuriam nuper acceptam tantopere exacerbati videbantur, ut quicquid ab eis peteretur, exequi recusarent, ac suæ repulsæ caussas per Christophorum Thuanum primum Præsidem, Nicolaum Prevotium Inquisitionis Præfectum, & Guilielmum Violam Consiliarium Regi exponi juberent: porro eorum rationes erant hæ: „contra morem factum est, ut e„dictum in quacunque alia Regni Curia „promulgetur, nisi prius in Parisiensi, „quæ Parium Curia censetur, & Regni „Ordinum auctoritatem retinet, vim „obtinuerit.„ Ad hæc Rex modeste respondens subjunxit, eorum partes esse, ut morem gererent, ipsiusque jussa exequerentur.

§. XXX.

Regis responsum ad Parisiensis Senatus Deputatos.

His

Sæcul XVI. A C. 1563

His præmissis Rex hæc respondit: „præcipio, ut non amplius, sicuti „prius cum in minori ætate constitu„tus essem, in posterum mecum a„gatis, nec vos negotiis, quorum co„gnitio ad vos non pertinet, immiscea„tis; nam ad hoc a Regibus Præde„cessoribus meis instituti fuistis, ut in„ter privatos juxta leges, consuetudi„nes, ac Regias Constitutiones æquale „jus dicatis: proinde ea, quæ ad publi„cum Regni statum spectant, Regi, ac „Senatui ejus relinquatis, nec vos usur„pata per veterem errorem opinione „deinceps pro regiis tutoribus, Regni „defensoribus, & Lutetiæ custodibus „geratis.„ Deputati accepto hoc responso cuncta ad Curiam referunt, ac Senatores rem in deliberationem vocabant, cum autem æquali numero nonnulli edictum confirmari, alii vero illud rejici opinarentur, nullum desuper decretum fuit conditum, sed continuo Petrus Seguierius Curiæ Præses, & Franciscus Dormius Inquisitionum Curiæ Præfectus ad Regem ablegantur, qui eundem de opinionum varietate certiorem redderent, novasque rationes exponerent. Postea Regina in Ordinum Senatu edictum promulgari jussit, in quo Rex non habuit rationem decreti Parisiensis; nam illud revoca-

Sæcul. XVI. A.C.1563.

vit tanquam non legitimum, & factum a judicibus, ad quos rerum, quæ publicum Regni ſtatum ſpectant, cognitio minime pertinuit: inſuper Rex præcepit, ut edictum, quod in proximo menſe Septembri condebatur, in Curia publice lectum promulgaretur ſine ulla oppoſitione, ac ſine ulla præſcripta conditione, huicque promulgationi intereſſe tenerentur omnes Curiæ Præſides, ac conſiliarii, niſi morbo, aut legitima alia cauſſa impedirentur, alioquin ad tempus Magiſtratu ſummovendi: præterea inhibuit, ne in poſterum in controverſiam deducere, ſtatuere, & deliberare ſuper decretis a Rege conditis præſumerent. His auditis Curiæ Senatores morem gerebant, atque edictum ad acta relatum die vigeſima octava Septembris promulgatum eſt.

§. XXXI.

Regis interdictum de libris absque ejus approbatione non imprimendis.

Inſuper Rex die ſecunda ejusdem Menſis, edito diplomate prohibuit, ne quis libros novos, antequam a Viris, per Regem ad id delegatis examinati ſint, & approbati, typis mandet, pœna capitis, & bonorum publicatione in eos, qui contra fecerint, conſtituta.

Hoc

Hoc edictum non modo promulgatum est, ut licentiæ Librariorum quoscunque libros, ac libellos promiscue absque permissu edentium obviaretur, sed potissimum id fiebat, ut tam Guisio Duci, quam Colinio Architalasso faventium furor coerceretur, cum non minus hi, quam illi famosis suis libellis mutuo sese proscinderent. Sæcul XVI. A C. 1563.

§. XXXII.

Aliud edictum in favorem Parochorum.

Insuper in favorem Clericorum ex Parisiensi Diæcesi sancitum fuit, ut Sacerdotes, & Parochi a publicis oneribus, militum stationibus, præstanda annona, aliisque, quæ copiis in transitu alendis imperari consueverunt, immunes essent. Hoc edictum eodem die, quo superius diploma, in Senatu fuit promulgatum, illiusque executio, ac cognitio Prætori Parisiensi specialiter demandata: alio autem edicto statutum, ut in quavis Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, ubi plures, quam decem Canonici sunt, Magister, aut Scholasticus constituatur, qui juvenes Religionis, ac literarum præceptis imbueret, ita tamen, ut ei cujusdam præbendæ reditus assignentur.

§. XXXIII.

Jacobi Putei Cardinalis obitus.

Sæcul. XVI A C. 1563.

Hoc anno die vigesima sexta Aprilis Puteus Cardinalis Romæ mortuus est annos natus sexaginta novem. Is Niciæ in Provincia ex nobili genere ortus Anno Salutis reparatæ millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto nona Februarii primam lucem aspexerat, ac celebris Petri Accoltii inter ævi sui Jurisconsultos longe clarissimi Magisterio usus jurisprudentiæ operam navabat, ac paulopost eidem Petro in suo munere succedebat, quippe a Paulo III. perbenigne receptus Auditor Rotæ creabatur, illudque officium per quindecim omnino annos cum summa laude, ac integritate obibat, donec a Julio III., cui ante Pontificatum amica necessitudine sese adjunxerat, Barensis Archiepiscopus electus est, & difficillimis Pontificatus negotiis adhibitus tandem Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Cardinalis tit. Sancti Simeonis renuntiabatur. Seligebatur is etiam ab eodem Pontifice, ut unacum Joanne Baptista Cicada Cardinale bonorum Ecclesiasticorum alienationes contra Constitutionem Pauli II. factas recognosceret, aboleretque, necnon bona emphiteutica, & census quarumdam Ecclesiarum in Pontificia ditione existentium liberaret. Postea sub Pauli IV. Pontificatu ad titulum

tulum S. Mariæ in via translatus, utriusque, ut vocant, ſignaturæ Præfectus, necnon Sacræ Inquiſitionis Præſes, Regnique Poloniæ, Ordinis Melitenſis, & Carmelitanæ Religionis Protector creabatur: poſtquam vero annis plusquam duodecim, abſens licet, Barenſem Eccleſiam rexerat, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo eandem Antonio Nepoti ſuo ceſſit: inſuper idem a Pio IV. ad Sacroſanctam Tridentinam Synodum Legatus, ac Præſes, in locum Cardinalis Seripandi ibidem defuncti nominabatur, aſt cum itineri ſe accingeret, Romæ obiit. Reliquit is quædam ingenii ſui monumenta, atque inter ea celebrantur deciſiones Rotæ, necnon liber de variatione Monetarum, præter plures literas. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XXXIV.

Duo Cardinales a Papa creati.

Priusquam Puteus e vivis exceſſerat, aliquot ante Menſibus die ſexta Januarii Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio ſummus Pontifex duos creabat Cardinales, quorum primus erat Fridericus Gonzaga Friderici I. Mantuæ Ducis, & Margaritæ Paleologæ Montferratenſis Filius: alter vero Ferdinandus Medi- *Ciacon. pag. 943.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

cæus a Cosma magno Etruriæ Duce, & Eleonora Toletana progenitus.

§. XXXV.

Papa Angliæ Reginam anathemate percellere tergiversatus.

Raynald. num. 115. Sanderus hist. schism. Angl. lib. 3.

Quamvis Catholica Religio regnante Elisabetha nondum aperte in Anglia impugnaretur, ægre tamen ferebat Pontifex, quod vera fides ibidem non prævaleret: unde quorumdam opinio eo abibat, Reginam anathemati, ejus vero Regnum interdicto esse subjiciendum: interim alii magis moderati hoc consilium reprobabant, exponentes, quod hac severitate cuncta sus, deque verterentur, atque ipsa Regina eo incitaretur, ut contra Catholicos rabiem suam palam exereret. Horum consilia secutus est Pontifex, atque ad ejus preces Ferdinandus Imperator datis literis Elisabetham rogabat, quatenus Catholicos Præsules, quos carceribus detentos affligebat, mitius haberet, atque tam severum edictum, quod adversus Catholicæ Doctrinæ assecias promulgaverat, revocare vellet.

Ad hasce literas Elisabetha respondit, quod hæc monita reverenter excipiat, atque ad Cæsaris preces attentum habere velit animum: eapropter Ferdinandus denuo ad eandem rescripsit

pſit pro reſponſo tam propitio grates repenſurus: data eſt ejus epiſtola die vigeſima quarta Septembris: verum Regina haſce Cæſaris literas flocci habuiſſe videtur; quippe firmiter inſiſtere decreverat articulis Synodi Londinenſis anno priori milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo celebratæ, quam etiam Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo confirmari juſſit. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XXXVI.

Articuli Londinenſis Concilii ſub Eliſabetha.

Hi articuli numero erant triginta novem, ex quibus præcipuos ſubjicimus: porro eorum primi quinque nihil a fide Catholica diſcrepant, ſextus tamen omnes ſacræ Scripturæ libros in Hebræorum Canone non contentos tanquam apocryphos rejicit, ut Canonicos autem admittit omnes novi Teſtamenti libros. In decimo articulo adſtruitur, quod poſt Adæ peccatum homo non poſſit ſe diſponere ad fidem, nec quid Deo acceptum operari absque gratiæ auxilio. In undecimo juſtificatio ſoli fidei adſcribitur, quamvis in articulo duodecimo admittatur, quod piæ actiones Deo gratæ ſint neceſſarii fidei effectus, ac conſecutiones: mox vero in ar-

Sæcul. XVI. A.C 1563.

ticulo decimo tertio declaratur, quod omnia opera juſtificationem præcedentia ſint peccata. Articulus decimus quartus rejicit doctrinam de operibus ſupererogatoriis: Decimus quintus vero vocibus admodum moderatis prædeſtinationem explicat, atque obſervat, quod hæc doctrina ſit valde periculoſa iis, qui curioſitate carnali, ac Dei ſpiritu deſtituta aguntur, econtra utilis, ac ſolatii plena exiſtat illis, qui vera pietate animantur. In decimo nono articulo Eccleſia definitur, quod ſit viſibilis hominum purum Chriſti Verbum edocentium cœtus, qui tanquam teſtis, ſacrarumque literarum depoſitarius agnoſcitur. In vigeſimo primo Generalium Conciliorum infallibilitas rejicitur, æque ac in ſequenti Purgatorium, ſanctorum invocatio, Sacrarum imaginum, & Reliquiarum cultus.

In vigeſimo tertio ſtabilitur neceſſitas Miniſtrorum, qui vocari debent ab iis, quibus vocandi poteſtas competit. Vigeſimus quartus preces in lingua patria fundi præcipit. Vigeſimo quinto Sacramenta deſcribuntur, quod ſint efficacia gratiæ, & benevolentiæ Divinæ ſigna, per quæ Deus inviſibiliter in nobis fidem operatur, excitat, & confirmat. Vigeſimus ſextus declarat, duo tantum dari Sacramenta a Chriſto Domino

Domino instituta, nimirum Cœnam, & Baptismum. Vigesimus septimus asserit, Baptismum parvulorum esse retinendum, eoquod Institutioni Christi Domini consonet: Vigesimus octavus docet, quod Cœna non sit nudum signum mutuæ benevolentiæ inter Christianos, sed Sacramentum nostræ Redemptionis per mortem Christi Domini, proin illi, qui illud digne, ac cum fide recipiunt, participent Corpori, & Sanguini Domini nostri Jesu Christi. Vigesimus nonus transubstantiationem rejicit, declaratque, quod Corpus Christi Domini nonnisi modo spirituali per fidem in Cœna tradatur, recipiatur, & manducetur, neque ex Christi Domini Institutione hoc Sacramentum asservari, elevari, aut adorari valeat, atque ab impiis, & reprobis non recipiatur Corpus Christi, quamvis hi Corporis ejus Sacramentum manducent. Trigesimus Eucharistiam sub utraque specie præberi præcipit. Trigesimus primus declarat, quod præter Crucis Sacrificium non detur aliud.

Sæcul. XVI. A C 1563.

In trigesimo secundo Episcopis, Sacerdotibus, & Diaconis connubii libertas conceditur. In trigesimo quarto damnantur illi, qui ritus Ecclesiasticos Dei Verbo non adversos, & auctoritate publica institutos, atque approbatos

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

violant, hos tamen mutandi, imo & abolendi facultas Eccleſiis particularibus, aut Nationalibus permittitur. In trigeſimo quinto ſecundus æque, ac primus Homeliarum tomus regnante Eduardo editus approbatur. In trigeſimo ſexto liber de Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum conſecratione, necnon de Sacerdotum, & Diaconorum inauguratione ſub ejusdem Eduardi Regimine concinnatus approbatur, ſimulque declaratur, illos, qui juxta hunc ritum poſt hujus Regis obitum fuere conſecrati, ordinatique, legitime initiatos eſſe. In trigeſimo ſeptimo Reginæ adjudicatur ſuprema poteſtas in omnes Regni Ordines tam Eccleſiaſticos, quam profanos, pronuntiatur tamen, quod hæc auctoritas non ſe extendat ad Verbi Divini prædicationem, aut Sacramentorum adminiſtrationem, ſed duntaxat ad jus omnes Eccleſiaſticos, profanosque Ordines in ſuo officio continendi, atque inobedientes, & rebelles puniendi. In trigeſimo octavo ſtatuitur, quod Papa nullam in Angliæ Regno auctoritatem poſſideat. Denique poſtremus decidit, quod rei mortis pœna affici queant, ac Chriſtiani Magiſtratuum juſſu arma deferre, bellumque gerere poſſint. Ad calcem hujus Articuli Anabaptiſtæ petuntur, atque contra eos declaratur,

quod

quod non cunctorum bona existant omnibus communia, juramentum vero sit licitum. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Insuper Regina suum quoque in Romanam Ecclesiam odium exerebat, dum paulo post inducias Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio cum Gallis initas palam testabatur, se ægro ferre animo, quod Hispaniæ Rex revocato Feria Duce quemdam Episcopum Alvarum de Quadra Aquilanum Antistitem tanquam Legatum decrevisset: hunc ergo satis remisse exceperat Regina, moxque, ac comperat, quod hic Præsul Catholicos Anglos in sua Religione corrobare niteretur, atque cum Cardinalis Poli familia, quam illa immoderato odio infectabatur, arctam foveret amicitiam, sæpius apud Hispaniæ Regem instabat, ut hunc suum Oratorem revocaret: Philippo II. autem renuente ipsa in hunc Præsulem judicii acta instrui moliebatur, falsis innixa accusationibus: ast hujus Episcopi obitus ulterioris invidiæ successum prævertit. Fertur, hunc Præsulem veneno necatum fuisse: equidem Philippus hanc injuriam aliquandiu dissimulare videbatur, quinimo alium adhuc Prælatum tanquam Oratorem in Angliam ablegabat: verum paulopost utrinque hostilem in modum

Sæcul. XVI. A.C 1563. dum agi cœptum, unde sat diuturna inter utrumque Regnum dissidia exoriebantur.

§. XXXVII.

Wolffgangi Musculi Lutherani mors.

Thuan. l. 35. Inter Scriptores hoc anno mortuos pauci reperiuntur, qui circa res Ecclesiasticas suos calamos exercuerunt, nam ex his nonnisi quidam numerantur hæretici, atque inter eos occurrunt Wolffgangus Musculus, & Sebastianus Castallion, quorum primus cujusdam Doliarii filius Dusæ in Lotharingia prope Alsatiæ fines Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo die octava Septembris natus est. Hic Ordinem S. Benedicti in quodam Palatinatus Monasterio ætatis suæ anno decimo quinto ingressus ibidem usque ad Annum a Christo nato milleſimum quingenteſimum vigeſimum ſeptimum perstitit, in quo ad Prioratus officium electus est: ast Protestantium librorum lectio ei Monasticæ vitæ tædium attulit, ideo oblatam dignitatem respuit, abjectoque cucullo die vigeſima ſeptima Decembris Margaritham Bartam sibi matrimonio sociavit. Postea Argentinam auffugiens ad extremam paupertatem redigebatur, unde Textoris opificium addiscere coactus, uxorem suam, ut

Melch. Adam vit. Theol. Germ. Surius comm Spond hoc ann. n. 77.

in

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

in cujusdam Paſtoris domo famulam ageret, compulit, cum autem ille Textor, cui operam ſuam locabat, eſſet Anabaptiſta, Muſculus eidem hujus ſectæ iniquitatem tam acribus verbis exprobrabat, ut ab hoc ſuo opifice domo ejiceretur: eapropter Muſculus in munienda Argentinenſi urbe operarium agere cogebatur, verum Martinus Bucerus tam abjectam hujus Viri, qui eruditione, ac ingenii acie clarebat, conditionem miſeratus, tantum effecit, ut Muſculus in Pago Dorlisheimenſi Ludimagiſter eligèretur, poſtea autem Bucerus eundem ad ſuas ædes accerſens, atque alimenta ſuppeditans, ſuos libros transſcribendos eidem committebat: verum Argentinæ ſubſiſtens, cum quondam Religioſum contra novos errores in ſuo ſermone declamantem exciperet, hunc Prædicatorem palam objurgans eundem e ſuggeſtu deſcendere compulit, atque ipſe ejus loco cathedram conſcendens doctrinam a Religioſo propoſitam impugnavit, cum tanto populi applauſu, ut Lutheri aſſeclæ in eadem urbe commorantes anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo trigeſimo primo illum in ſuum Paſtorem nominari peterent: hoc itaque munere auctus, as ferme octodecim annis functus græcum idioma didicit, aſt cum exiguo

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

exiguo admodum progreſſu, imo nequidem melius latinam linquam calebat, quamvis quidam illum majori linquæ hebraicæ peritia imbutum referant. Poſtea Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo ad Helvetios profectus, aliquamdiu Conſtantiæ, Baſileæ, Tiguri, & apud Sangallenſes hærebat, tandem vero Bernæ Theologiam tradere juſſus ibidem hoc anno ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo tertio annos natus ſexaginta ſex obiit.

§. XXXVIII.

Opera ab hoc Scriptore edita.

Hic Vir erat in labore aſſiduus, atque in literis eruditus, pluraque opera typis vulgabat, inter quæ illius verſiones ex Græco in latinum factæ unice propter integritatem, & ſtyli ſimplicitatem commendantur: quia ea, quæ intellexerat æque, ac illa, quæ ingenio ſuo aſſequi non valuit, pro viribus ſuis exprimere ſtuduit, nihilque Auctoribus, quorum opera tranſtulit, aut de ſuo addidit, aut ex illis reſecuit. Hac ratione S. Chryſoſtomi commentarios in Epiſtolas Divi Pauli ad Romanos, ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes vertebat, prout etiam aliqua ex S. Baſilii operibus, atque ejusdem

dem Patris ſcholia in Pſalmos, necnon plures ſanctorum Athanaſii, & Cyrilli tractatus præter Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, & Evagrii. Cetera opera, quæ ipſus labore improbo concinnaverat, erant duo ſermones *de Miſſa Papiſtica*, quos in comitiis Ratisbonæ Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo habitis pronuntiabat, typisque vulgabat primo Wittembergæ, & poſtea Auguſtæ unacum quadam additione circa Miſſæ abuſus. Adverſus hoc opus Anno Salvatoris milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto Cochlæus calamum ſtringens illud ſolide confutabat, mox vero prodiit *Anticochleus*, quem Muſculus latino, & teuthonico ſermone Auguſtæ eodem anno vulgabat: inſuper idem elucubrabat quinto poſt anno quatuor Dialogos ſub nomine *Eutychii Myon*, præter alium ejusmodi libellum ſub titulo *Proſceri* circa quæſtionem, an Proteſtantes exterius Pontificis ſuperſtitionibus intereſſe valeant? Ceterum ejus Commentarius in Pſalmos Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, alius vero in Geneſin circa annum Domini milleſimum quingenteſimum quinquageſimum quartum, denique ſequenti anno ejusdem dilucidationes in epiſtolam Divi Pauli ad Romano, &

Sæcul. XVI. A C. 1563.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

& quarto post anno illius notæ in duas Epistolas ad Corinthios typis vulgatæ prodierunt: Anno autem millesimo quingentesimo sexagesimo primo ejus commentarii in epistolas ad Galatas, & Ephesios publicam lucem aspexere: ceteri autem tractatus, quibus in epistolas ad Philippenses, Colossenses, & Thessalonicensis, necnon in prima capita epistolæ primæ ad Timotheum commentatus est, nonnisi post Musculi obitum ab ejus hæredibus in lucem edebantur. Elucubrabat etiam *locos* communes, in quo labore decem annos insumpsit, ac tandem hoc opus Anno millesimo quingentesimo sexagesimo vulgavit: verum in hoc Viro ingens opinionis suæ varietas deprehenditur; quippe postquam Zwinglii sectam in Wittembergensi concordato ejuraverat, rursus eidem nomen dedit, postquam Augustam sese recepit.

§. XXXIX.

Sebastiani Castallionis obitus.

Thuan. l. 35. Daniel Heret. de clar. Interp. Beza in vita Calvini ad ann. 1544. pag. 372.

Sebastianus Castallion, seu Castilion ex Allobrogum, seu ex Delphinatu, aut Sabaudia ortus ab anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo usque ad quadragesimum primum Argentinæ morabatur, ubi cum Calvino amicitiam contrahens, ab eoque magni habi-

habitus in ejus ædes recipiebatur, illiusque opera in Collegio Genevensi Rector nominatus est, quo etiam munere per tres annos fungebatur: anno autem Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto aliud domicilium quærere, suumque officium abdicare coactus est, eoquod privatas quasdam opiniones propugnasset, quamvis Calvinus datis literis testatus esset, quod sponte sua Rectoris munere abierit, ac tanta prudentia se gesserit, ut Pastoris officio dignus haberetur, illumque ab hoc munere unice privata quædam opinio, quam circa Cantica Canticorum, & articulum de descensu Christi ad inferos tenuisset, præpedierit, atque hæc unica fuerit causa, ob quam Geneva discessisset. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XL.

Ejusdem Latina, & Gallica Sacræ Scripturæ versio.

Cum Castallio idiomatum, & præcipue hæbraici peritia clarus esset; sacras literas latine, & Gallice reddere aggrediebatur, cujus tamen labor a quibusdam commendatus, ab aliis vero damnatus fuerat: nam præprimis ab omnibus in sua latina versione redarguebatur, quod insulsa Religiositate nonnisi purioris latinitatis voces adhibere

Henrici Etien apol. d' Herod. l. 1. c. 14. pag. 96. Simon hist. critiq. du V. Test. l. 2. c. 25. p. 349.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

hibere ſtudens loco *Angeli*, *Baptismi*, *Eccleſiæ*, *Synagogæ* poſuerit, *Genium*, *lotionem*, *Rempublicam*, *Collegium*, plurague alia: inſuper eidem crimini datum, quod in ſua verſione Gallica in oppoſitum vitium declinans vocibus trivialibus, & barbaris uſus fuerit, quamvis in hoc minus, ac plures aſſerebant, erraſſe videatur. Ceterum latinam ſuam verſionem Anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo Genevæ inchoavit, eique poſtremam manum Anno a partu Virgineo milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, Baſileæ admovit, quam etiam Anno ſequenti typis vulgavit, illamque Eduardo Angliæ Regi nuncupavit, anno autem milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto eam ſecundo, ac demum tertio prælo circa annum Domini milleſimum quingenteſimum quinquageſimum ſextum ſubjecit: editio tamen Anno Salvatoris milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio facta ceteris magis celebratur. Verſio denique Gallica Henrico II. nuncupata Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Baſileenſibus literis excuſa prodiit, latina vero verſio iterato prælo unacum additionibus Lipſiæ vulgata ſuit.

Porro

Porro Caſtallio relicta Geneva Baſileam contendit, ubi linguam Græcam tradere juſſus, reliquos vitæ ſuæ dies ibidem transegit, donec die vigeſima nona Decembris anno ætatis ſuæ quadrageſimo octavo decederet ex lue peſtilenti, quæ hoc anno vehementer per totam Germaniam graſſata eſt, adeo, ut Francofurti, Norimbergæ, Magdeburgi, Hamburgi, Dantiſci, & per civitates Vandalicas, ac maritimas in autumno uno plusquam trecenta millia hominum hæc contagies abſumeret: porro Caſtallio ſepultus eſt in Majori Eccleſia Baſileenſi, funus curantibus tribus Polonis nobilibus, qui olim ejus Scholam frequentantes, Magiſtri ſui monumentum honorifica inſcriptione decorabant. Sæcul XVI. A. C. 563.

§. XLI.

Alia ejusdem Auctoris opera.

Hic idem Scriptor Baſileenſibus literis excudi curabat quatuor Dialogorum libros, in quibus celebriores ſacri Codicis hiſtoriæ eleganti ſermone latino deſcriptæ continentur, hocque opus poſtea iterato prælo prodiit: elucubrabat pariter anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto unacum annotationibus Sybillarum carmina, quæ ipſe verſibus, ut vo- *Epit. Bibl. Gesneri pag. 745.*

Sæcul. XVI A. C. 1563

cant, heroicis unacum Moysis Prophetæ libris latine reddidit. Postea anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo septimo Davidis Psalmos, ceteraque omnia sacræ Scripturæ Cantica in latinum idioma transtulit: anno autem Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo typis vulgabat quoddam in S. Joannis Baptistæ vitam poema græcum, necnon aliud latinum, quod Jonæ Prophetæ paraphrasis est: insuper plures celebris Ochini tractatus italice scriptos, ac nominatim triginta illius Dialogos, qui tantos concitabant tumultus, latinitate donabat, ejus tamen adnotationes in epistolam ad Romanos a Basileensi Senatu fuerunt damnatæ, eoquod in illis errores circa prædestinationem, & gratiam deprehenderentur: nihilominus eas Gallice redditas in vulgus spargere non dubitabat. Accusabatur etiam de Enthusiasmo, cui accusationi occasionem dedit per versionem libri, cui titulus, *Theologia Germanica*, quem librum Phanatismo plenum ipse sub nomine *Joannis Theophili* latine reddidit, quamvis ex hujus libri lectione quamplurimi in Belgio seducti fuerint. Præterea anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo apologiam edidit, in qua de duobus Calvini libellis queri-

queritur, quorum primus anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo excuſus inſcribebatur: *reſponſum ad quasdam calumnias, & blasphemias &c.* alter vero latine anno ſequenti editus hunc titulum præſeferebat: *calumniæ cujusdam Nebulonis.* In hac apologia profitetur Caſtallio, quod duos libros, quos Calvinus ei adſcripſerat, nunquam conſpexerit, inſuper non modo ea, quæ in ſacro Evangelio contra fratris ſui calumniatorem pronuntiantur, eidem obtrudit, ſed etiam ei objicit illa, quæ ipſe Calvinus in vita Chriſtiani ſcripta reliquerat; ſpeciatim vero impactum ſibi crimen furti, perfidiæ, crudelitatis, & blasphemiæ diluit: ceterum ex iis, quæ ad objectum furti ſcelus reſpondet, ipſum ſumma egeſtate fuiſſe preſſum manifeſte colligitur. Sæcul. XVI. A. C 1563.

§. XLII.

Carolus Molinæus Lugduni captus, ac demum liber dimiſſus.

Hoc item anno Carolus Molinæus Jurisconſultus, cujus jam ſupra meminimus, novo rurſus infortunio vexabatur; cum enim ob tumultus anno priori Pariſiis exortos die tertia Junii unacum uxore ſua ſecundis nuptiis ſibi juncta nomine Joanna Viviera, ſuisque

Sæcul. XVI A. C. 1563.

prolibus urbe excedere compelleretur, atque insuper suas ædes Parisiis, necnon suam villam, quam ruri habebat, expilatas cerneret, nullibi tutum reperiebat asylum nisi in Aurelianensi civitate, quam tum Calviniſtæ sibi subjecerant, cum vero eadem urbs post Guisii Ducis obitum inita pace Regi reddita fuisset, Molinæus Lugdunum secessit, cui urbi Subisius hæreticorum nomine præerat. In hac civitate Molinæus Decalogum suum juxta textum hebraicum unacum marginalibus notis ex sacro Codice depromptis prælo subjecit, nec minus imprimi fecit catechismum, & apologiam contra quemdam libellum, cui titulus: *defensio civilis, & militaris Innocentium, & Ecclesiæ Christi.* Ceterum ex hoc ipso catechismo, aliisque libris ab eo editis Lugdunenses Pastores ansam arripiebant, ut illum comprehendi, ac carceri mandari curarent, quod & factum est anno Salvatoris nostri milleſimo quingenteſimo sexageſimo tertio die decima nona Junii: cum autem Subisius eidem Judices assignasset, coram quibus juxta legum præscripta responderet, vigeſimo post captivitatem die libertati redditus, atque ad anni sequentis initium Parisios rediit.

§. XLIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XLIII.

Theologicæ Facultatis oppositio de Religiosis præter consuetum numerum non admittendis.

Sub idem tempus Parisiensis Facultas Theologica quædam condidit statuta circa numerum Religiosorum Mendicantium, qui ad Facultatis gremium recipiendi essent; cum enim plures hunc honorem obtinere quærerent, ac Regis, Principum, & Procerum patrocinium hanc in rem sibi conciliare satagerent, hinc Facultas sese cum tanta vehementia illis opponebat, ut die decima septima Februarii, cum Coignettus Regii Procuratoris Generalis literas deferret, quibus quemdam Ordinis S. Dominici Religiosum nomine *Imperatorem* admitti petiit, mox ad solam hanc propositionem omnes Doctores sedibus suis assurgentes abirent, ac nequidem desuper deliberare vellent: secunda vero Junii die eadem Facultas Sorbonæ congregata audiebat Cardinalis Borbonii, Montpenserii Ducis, & Burdini Procuratoris Generalis literas, in favorem duorum Dominicanorum scriptas, hi enim præter morem Facultatis Doctoribus aggregari petebant: verum ea res ad Deputatos remittebatur. Denique die decima quinta Octobris

Argentre coll. Jud. tom. 2. pag. 335. & seq.

Sæcul. XVI A.C. 1563. conventu habito epistola Cancellarii Hospitalii prælegebatur, qui eandem gratiam pro alio ejusdem Ordinis Religioso nomine Campono exorabat; itaque Deputati nominantur, qui Cancellario exponerent, quod ejus petitio Facultatis statutis adversaretur.

§. XLIV.

Morlasiensis Antitrinitariorum Synodus.

Hist. reform. Eccl. Pol. Mense Junio hujus anni Antitrinitarii, qui jam antea Pinczoviæ plura, prout meminimus, habebant conventicula, Morlasii Vilnensis Palatinatus urbe aliam habebant Synodum, ubi convenerunt viginti duo sectæ hujus Ministri, qui decretum condebant adversus cunctos dogma Dei unius, ac trini in Personis propugnantes: porro hoc decreto velut classico potissimas spuriæ reformationis Ecclesias contra Sanctissimæ Triadis Mysterium excitabant, adeo, ut quamplurimi Ministri, Magistratus, Nobiles, Equites, Gubernatores, Palatini; ac secretioris Senatus Consiliarii tam in majori, quam minori Polonia, Lithuania, Russia, Podolia, Volinia, Prussia, Moravia, Silesia, & Transylvania novum Arianismum palam profiterentur, atque Divinitatem, æqualitatem, & Christi con-

consubstantialitatem impugnarent: enimvero si horum factio inter Ecclesiæ Romanæ hostes ceteris potentia, ac numero non prævaluit, saltem Calvinistis, illisque, qui se Evangelicos dictitabant, magis terribilis evasit: eapropter ut hæc secta aut everteretur, aut saltem coerceretur, hi Sigismundum Augustum Poloniæ Regem supplices adibant, petentes, ut illis cum omnibus Sanctissimæ Trinitatis hostibus publice in arenam descendendi facultatem concederet: cum ergo Antitrinitarii idem exoptarent, hinc ejusmodi publica disputatio illis Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto concessa est. Sæcul. XVI. A. C. 1563.

§. XLV.

Ochinus Tiguro pulsus, ac in Poloniam veniens.

Jam antea Bernardinus Ochinus fidei Catholicæ desertor, postquam anno Domini reparatæ Salutis millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Tigurina Urbe pulsus erat, Schafusium venit, ubi Lotharingium Cardinalem Roma reducem invisens ab eo durius excipiebatur, inde vero Poloniam versus arrepto itinere per Moraviam ibat, quæ tum Provincia commune Anabaptistarum, & novorum Arianorum asylum erat. *Simler in vita Ochini Sand. Bibl. Antitr. Gratian. vit. Card. Commend. l. 2. pag. 9.*

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Ibidem cum Lelio Socino, Alciato, aliisque sæpius conferebat, ac in Poloniam delatus, cum ibi jam cognitus esset, in quadam spuriæ reformationis Ecclesia prope Cracoviam Minister creabatur: cum autem quidam Itali Mercatores Virum visendi curiositate impulsi eundem e suggestu declamantem audire desiderarent, ut proprio aurium testimonio intelligere possent, an idem, qui suis sermonibus tantam nominis sui famam per universam Italiam sibi comparaverat, adhucdum pari eloquentia insignis esset: ast illum, postquam cum eo versari cœperant, tanquam hominem reapse fanaticum experiebantur; quippe se verum esse Christi Apostolum jactitabat, & plures labores, ac ærumnas pro nomine, & Dei gloria, necnon pro dilucidandis fidei mysteriis sustinuisse dicebat, quam ullus Apostolorum: affirmabat quoque, quod ipsius doctrinæ, quamvis ei Deus, quemadmodum Apostolis, non concesserit miraculorum donum, non minor fides sit habenda, eoquod reipsa ipsi hoc donum Deus dederit.

§. XLVI.

Errores in Polonia ab Ochino sparsi.

Insu-

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

Insuper in Polonia errores, qui in ejus dialogis, aliisque libris continentur, in vulgus spargebat, atque inter ceteros asserebat, quod nunquam Spiritum sanctum esse Deum in sacris Paginis legerit, ac libentius ad suum monasterium redire quam hunc Articulum credere velit: præterea sequentes etiam prædicabat Blasphemias. I. Christus non est magnus ille Deus, sed duntaxat Filius Dei, hoc autem ei ideo tantum convenit, quia plus, quam ceteri homines, a Deo fuit dilectus, atque honoratus. II. Christus nonnisi ex adulatione, & mero Monachorum invento appellatur Deus. III. Sicuti Maria duntaxat adulandi studio vocatur Mater Dei, Regina cœli, atque Angelorum Domina, ita etiam per meram adulationem Monachi stabilierunt, & Christum prædicarunt consubstantialem, coæternum, & suo Patri coæqualem. IV. Homo conjugatus, qui sterilem, atque ægrotam, vel fastidiosæ indolis mulierem duxit, confestim a Deo continentiæ donum petere debet, atque hoc donum, si illud in fide postulaverit, obtinebit: si vero Deus illud non concedit, aut ad illud cum fructu petendum fidem necessariam denegat, absque peccato ejusmodi homo sequi poterit impulsum, quem certo a Deo provenire cognoscet. *Gratian l. c.*

§. XLVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. XLVII.

Ochinus Commendoni opera e Polonia ejectus.

Gratian. l. c. Hist. Ref. Pol. c. 4. pag. 110.

Pernicioſa hæc dogmata Ochinus eo tempore in Polonia ſpargebat, dum Anno Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Commendonus tanquam Pii IV. Pontificis Nuntius ad Sigismundum Auguſtum ablegatus in hoc regnum venerat, qui etiam hunc fidei deſertorem, omnesque reliquos, qui unacum eo periculoſas haſce opiniones in Regno divulgabant, vehementer impugnabat, accum illum ſæpius de ſua hæreſi coram Rege, ac præcipuis Aulicis accuſaſſet, palam a Senatu ei jus dici petebat, remque tam potenter urgebat, ut ab eodem Senatu edictum obtineret, vi cujus omnes hæretici exteri nulla mora e regno excedere jubebantur. Hoc edictum anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto integra fide executioni mandabatur, præcipue erga novos hoſce Arrianos, qui natione Poloni non erant: itaque Ochinus, cum ſe præcipuam hujus tempeſtatis cauſſam eſſe haud ignoraret, in Moraviam ſeceſſit, nequicquam ſollicitantibus quibusdam Polonis Proceribus, qui grave hujus hæretici ſenium, ægritudinem,

ac

ac ingenii dotes miserati illum in Regno detinere nitebantur, pollicitatione facta, quod juncta suorum amicorum opera apud Regem deprecari vellent, ut is in ejus gratiam legis severitatem temperaret. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. XLVIII.

Ochinus in Moraviam auffugiens, ibique peste sublatus.

Verum Ochinus pro hoc obsequio gratis rependens in Moraviam contendit: ast in itinere adhuc constitutus Pinczoviæ, ubi a Philippovio pertinaci Unitario omni obsequiorum genere honoratus diversabatur, suas proles ex pestilentiæ morbo amisit: paulo post autem iter suum Moraviam versus prosecutus, ac Slakoviam veniens tertio post mense anno ætatis suæ septuagesimo septimo decessit. Hic fuit exitus Bernardini Ochini, quo certe haud alius magis ætate sua Ministerium prædicationis extollebat, nemo autem illo plus in fidei dogmatibus inconstans deprehendebatur. *Grat. l. c.*

§. XLIX.

Bernardini Ochini opera.

Primum ingenii sui experimentum, quo Ochinus calamum suum exercebat, erat apologia, qua suam a fide, *Sand. in Bibl. Antitrin. p. 3. & 4.*

&

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

& Religione defectionem vindicare nitebatur, postquam Genevam auffugerat: postea Italo idiomate vulgabat suos sermones in quatuor minoris formæ voluminibus collectos, quos ipse, priusquam Ordinis sui habitum exuerat, ad populum dicebat: cum autem in illis Protestantium errores circa justificationem, pias actiones &c. deprehendantur, præsumendum est, illos in Germania, ubi editi fuerant, depravatos esse. Reliquit etiam posteris suos sermones in epistolam Divi Pauli ad Galatas, necnon expositionem epistolæ ad Romanos, præter sermones circa liberum arbitrium, prædestinationem, libertatem Dei: insuper scripsit apologias contra Ecclesiam Romanam in quinque libris comprehensas, quas Sebastianus Castallio latine reddidit: edidit præterea dialogum circa Purgatorium, disputationem de præsentia Reali Christi Domini in Eucharistia, necnon Catechismum: Ex cunctis autem hisce operibus Italice scriptis, aliqua in latinum, plura vero in utrumque idioma in Germania fuere translata, sicut etiam Dialogi ab ipso Ochino fuere in lingua Italica elucubrati, ac primum a Castallione latine redditi: non autem singularem scripsit tractatum de polygamia, prout tamen scriptorum non

pauci

pauci perperam affirmabant; de hoc enim argumento Ochinus duntaxat egit in suo vigesimo primo dialogo, ob quem sibi etiam maximas accersebat molestias. Ceterum uxore sua erat orbatus, annumque agebat ætatis sexagesimum sextum, quando hunc dialogum unacum ceteris vulgabat. Denique scripsit etiam præter quinque sacras declamationes alios tres sermones, ubi de Christiani Principis officio agit. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. L.

Pii IV. Bulla pro Tridentinæ Synodi confirmatione.

Cum tandem ineunte hoc anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Pii IV. sententia prævaleret contra eos, qui Concilii Tridentini confirmationem præpedire nitebantur, hinc idem Pontifex confirmationis diploma confici jussit, quod etiam die vigesima sexta Januarii præsente toto Cardinalium Collegio solemni ritu promulgatum fuit his conceptum verbis: *Labb. Coll. Conc. to 14. p. 939. & seq.*

„Pius Episcopus Servus Servorum „Dei ad perpetuam rei me„moriam.

„Benedictus Deus, & Pater Domi„ni nostri JEsu Christi, Pater miseri„cordia-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„cordiarum, & Deus totius consolatio-
„nis, qui respicere dignatus Ecclesiam
„suam sanctam tot procellis, & tempe-
„statibus agitatam, atque vexatam, &
„gravius in dies laborantem, apto tan-
„dem ei subvenit, optatoque remedio.
„Ad plurimas, pernitiosissimas hæreses &
„extirpandas, ad corrigendos mores, &
„restituendam Ecclesiasticam disciplí-
„nam, & pacem & concordiam chri-
„stiani populi procurandam, indictum
„jam pridem in civitate Tridentina
„Oecumenicum, & Generale Concilium
„a piæ memoriæ Paulo III. Præde-
„cessore nostro, & Sessionibus aliquot
„habitis cœptum fuerat, ab ejus au-
„tem Successore Julio in eandem ur-
„bem revocatum, post alias Sessiones
„celebratas, variis impedimentis, &
„difficultatibus objectis, ne tum qui-
„dem peragi potuerat: itaque diutius
„intermissum fuerat, non sine maximo
„mærore piorum omnium, cum quoti-
„die magis Ecclesia ejusmodi reme-
„dium imploraret. Nos autem post
„susceptum Sedis Apostolicæ regimen,
„tam necessarium, ac salutare opus, si-
„cut pastoralis sollicitudo monebat, di-
„vinæ misericordiæ fiducia perficere
„aggressi, adjuti pio studio Chariſſimi
„in Christo Filii nostri Ferdinandi Ro-
„manorum Imperatoris electi, & alio-
„rum

„rum christianorom Regum, Rerumpu- Sæcul. XVI.
„blicarum, ac Principum, tandem con- A.C. 1564.
„secuti sumus, quod nec diurnis, nec
„nocturnis curis elaborare destitimus,
„quodque a Patre luminum assidue pre-
„cati sumus: cum enim eam in Ur-
„bem undique ex Christiani nominis
„nationibus convenisset, nostris convo-
„cata literis, & sua etiam ipsorum pie-
„tate excitata, Episcoporum, & aliorum
„insignium Prælatorum maxima, & Oe-
„cumenico Concilio digna frequentia,
„præter plurimos alios pios, & sacra-
„rum literarum scientia, divinique, &
„humani juris cognitione præstantes
„viros, præsidentibus ipsi Synodo Se-
„dis Apostolicæ Legatis, nobis adeo
„Concilii libertati faventibus, ut etiam
„de rebus Sedi Apostolicæ proprie re-
„servatis liberum ipsi Concilio arbi-
„trium per literas, ad Legatos nostros
„scriptas, ultro permiserimus, quæ de
„Sacramentis, & aliis rebus, quæ qui-
„dem necessariæ visæ sunt, tractanda,
„definienda, & statuenda restabant, ad
„confutandas hæreses, ad tollendos ab-
„usus, & emendandos mores a Sacro-
„sancta Synodo summa libertate, dili-
„gentiaque tractata, & accurate, ac ma-
„ture admodum definita, explicata, sta-
„tuta sunt. Quibus rebus perfectis,
„Concilium tanta omnium, qui illi in-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„terfuerunt, concordia peractum fuit, ut „conſenſum eum plane a Domino effe„ctum fuiſſe conſtiterit, idque in no„ſtris, atque omnium oculis valde mi„rabile fuerit, pro quo tam ſingulari „Dei munere ſupplicationes ſtatim in „alma hac Urbe indiximus, quæ ma„gna cleri, & populi pietate celebratæ „fuerunt, laudesque, & gratias divinæ „Majeſtati merito perſolvendas curavi„mus: cum ejusmodi Concilii exitus „ſpem magnam, & prope certam attu„lerit, fore, ut majores indies fructus „ad Eccleſiam ex ipſius Decretis, con„ſtitutionibusque perveniant. Cum au„tem ipſa ſancta Synodus pro ſua erga „Sedem Apoſtolicam reverentia anti„quorum etiam Conciliorum veſtigiis „inhærens, Decretorum ſuorum o„mnium, quæ noſtro, & Prædeceſſo„rum noſtrorum tempore facta ſunt, „confirmationem a nobis petierit, De„creto de ea re in publica Seſſione fa„cto: Nos ex legatorum literis prius, „deinde poſt reditum eorum, ex iis, quæ „Synodi nomine diligenter retulerunt, „poſtulatione ipſius Synodi cognita, ha„bita ſuper hac re cum venerabilibus „Fratribus noſtris, ſacræ Romanæ Ec„cleſiæ Cardinalibus, deliberatione ma„tura, ſanctique Spiritus imprimis au„xilio invocato, cum ea decreta omnia

„catho-

„catholica, & populo christiano utilia, Sæcul. XVI.
„ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei A. C. 1564.
„omnipotentis laudem, de eorundem
„Fratrum nostrorum consilio, & assensu
„in Consistorio nostro secreto, illa omnia
„& singula auctoritate Apostolica ho-
„die confirmavimus, & ab omnibus
„Christi Fidelibus suscipienda, ac ser-
„vanda esse decrevimus; sicut harum
„quoque literarum tenore ad clariorem
„omnium notitiam confirmamus, & su-
„scipi, observarique decernimus. Man-
„damus autem in virtute sanctæ obe-
„dientiæ, & sub pœnis a sacris Canoni-
„bus constitutis, aliisque gravioribus,
„etiam privationis, arbitrio nostro infli-
„gendis, universis, & singulis venerabi-
„libus fratribus nostris Patriarchis,
„Archiepiscopis, Episcopis, & aliis qui-
„busvis Ecclesiarum Prælatis, cujus-
„cunque status, gradus, ordinis, & di-
„gnitatis sint, etiamsi Cardinalatus ho-
„nore præfulgeant, ut eadem Decreta
„& Statuta in Ecclesiis suis, civitati-
„bus, & Diœcesibus, in judicio, & ex-
„tra judicium diligenter observent, &
„a subditis quibusque suis, ad quos quo-
„modolibet pertinent, inviolabiliter fa-
„ciant observari: contradictores quos-
„libet, & contumaces per sententias,
„censuras, & pœnas Ecclasiasticas e-
„tiam in ipsis Decretis contentas, ap-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„pellatione poſtpoſita compeſcendo; „invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii „ſæcularis auxilio. Ipſum vero cha„riſſimum Filium noſtrum Imperato„rem electum, ceterosque Reges, Res„publicas, ac Principes chriſtianos mo„nemus, & per viſcera miſericordiæ „Domini noſtri JEſu Chriſti obteſtamur, „ut, qua pietate Concilio per Oratores „ſuos affuerunt, eadem pietate, ac pari „ſtudio, divini honoris, & populorum „ſuorum ſalutis cauſſa, pro Sedis quo„que Apoſtolicæ, & ſacræ Synodi re„verentia, ad ejusdem Concilii exequen„da, & obſervanda Decreta, Prælatis, „cum opus fuerit, auxilio & favore ſuo „adſint, neque adverſantes ſanæ, ac ſa„lutari Concilii doctrinæ opiniones a „populis ditionis ſuæ recipi permittant, „ſed eas penitus interdicant. Ad vi„tandam præterea perverſionem, & „confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicui„que liceret, prout ei liberet, in Decre„ta Concilii commentarios, & interpre„tationes ſuas edere, Apoſtolica au„ctoritate inhibemus omnibus, tam „Eccleſiaſticis perſonis, cujuscunque ſint „Ordinis, conditionis, & gradus, quam „laicis, quocunque honore, ac poteſta„te præditis, Prælatis quidem ſub in„terdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis vero, „quicunque fuerint, ſub excommunica„tionis

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„tionis latæ sententiæ pœnis, ne quis „sine auctoritate nostra audeat ullos „commentarios, glossas, annotationes, „scholia, ullumve omnino interpreta„tionis genus super ipsius Concilii De„cretis quocunque modo edere, aut „quidquam quocunque nomine, etiam „sub prætextu majoris Decretorum cor„roborationis, aut executionis, aliove „quæsito colore, statuere. Si cui vero „in eis aliquid obscurius dictum, & sta„tutum fuisse, eamque ob causam in„terpretatione, aut decisione aliqua e„gere visum fuerit, ascendat ad locum, „quem Dominus elegit, ad Sedem vi„delicet Apostolicam, omnium fidelium „Magistram, cujus auctoritatem etiam „ipsa sancta Synodus tam reverenter a„gnovit. Nos enim difficultates, & con„troversias, si quæ ex iis Decretis or„tæ fuerint, nobis declarandas, & deci„dendas, quemadmodum ipsa quoque „sancta Synodus decrevit, reservamus, „parati, sicut ea de nobis merito confi„sa est, omnium Provinciarum necessi„tatibus ea ratione, quæ commodior „nobis visa fuerit, providere: Decer„nentes nihilominus irritum, & inane, „si secus super his a quoquam quavis „auctoritate scienter, vel ignoranter „contigerit, attentari. Ut hæc autem „ad omnium notitiam perveniant, neve

Sæcul. XVI. A.C. 1564. „quis excusatione ignorationis uti pos-
„sit: Volumus, & mandamus, ut hæ li-
„teræ per aliquos Curiæ nostræ curso-
„res in Basilica Vaticana Principis A-
„postolorum, & in Ecclesia Lateranensi,
„tunc, cum in eis populus, ut Missa-
„rum solemnibus intersit, congregari
„solet, palam & clara voce recitentur;
„& postquam recitatæ fuerint, ad val-
„vas earum Ecclesiarum, itemque Can-
„cellariæ Apostolicæ, & in loco solito
„Campi Floræ affigantur, ibique ut le-
„gi, & omnibus innotescere possint, a-
„liquantisper relinquantur. Cum au-
„tem inde amovebuntur, relictis de mo-
„re ibidem exemplis, in Alma Urbe ad
„impressionem tradantur, quo commo-
„dius per Christiani nominis provincias,
„& regna divulgari possint. Trans-
„sumptis quoque earum, quæ manu
„alicujus publici Notarii scripta, sub-
„scriptave, & Sigillo, ac suscriptione
„alicujus personæ in dignitate Eccle-
„siastica constitutæ munitæ fuerint, fi-
„dem sine ulla dubitatione haberi man-
„damus, atque decernimus. Nulli er-
„go omnino hominum liceat hanc pa-
„ginam nostræ confirmationis, monitio-
„nis, inhibitionis, reservationis, volun-
„tatis, mandatorum, & decretorum in-
„fringere, vel ei ausu temerario con-
„traire. Si quis autem hoc attentare
„præ-

„præſumpſerit, indignationem omni- Sæcul. XVI.
„potentis Dei, ac beatorum Petri, & A.C. 1564.
„Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit in-
„curſurum.

„Datum Romæ apud S. Petrum
„Anno incarnationis Dominicæ Mille-
„ſimo, Quingenteſimo, Sexageſimo Quar-
„to, vigeſima ſexta Januarii: Ponti-
„ficatus noſtri anno quinto.„

„Ego Pius Catholicæ Eccleſiæ
„Epiſcopus.

In fine hujus Bullæ viginti ſex Cardinales, qui tum Romæ agebant, ſubſcripti reperiuntur.

§. LI.

Cardinalis Borromæi epiſtola ad utrumque Hiſpaniæ Nuntium circa hanc confirmationem.

Poſtea Pontificis cura eo abibat, ut hoc diploma ad omnes Principes Catholicos tranſmitteretur, Borromæus vero Cardinalis novam hanc rem ad utrumque Hiſpaniæ Nuntium perſcripſit, hæc ſubjungens, „jam im- *Pallav. hiſt. Conc. Trid. l. 24. c. 9.*
„primendis Synodi decretis incumbi-
„tur, ut ea exacte elaborata ad omnes
„Provincias mitti poſſent: Pontifex eam,
„ob rem Nuntios ad omnes Principes ab-
„legare ſtatuit, qui eos hortentur, ut

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„exequendis omnibus in Synodo de-
„cretis manum admovere vellent, &
„quamvis circa hoc nil certi adhuc sta-
„tutum sit, nihilominus jam operam
„navat Pontifex, omnemque suam sol-
„licitudiem impendit, ut firmam Curiæ
„Romanæ emendationem, quæ etiam
„ceteris exemplo esset, procurare valeat.

§. LII.

Tempus, quo Synodi decreta obligare incipiant, a Papa indictum.

Cum de tempore, a quo hæc decreta servandi lex inciperet, dubitaretur, Pontifex hanc difficultatem sublaturus diploma edidit hujus tenoris: „Etsi ipsius Concilii decreta, etiam de „venerabilium fratrum nostrorum S. Ro-„manæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, „& assensu, in Consistorio nostro secre-„to confirmata a nobis fuerint sub si-„nem mensis Januarii, & ab eo etiam „tempore apud hanc sanctam Sedem „observari cœperint: quia tamen non „parum temporis in eis Romæ diligen-„ter, emendateque imprimendis neces-„sario consumptum fuit, & jure etiam „communi sancitum est, ut Constitutio-„nes novæ vim nonnisi post certum „tempus obtineant, æquum nobis, & „justum visum est, prædicta Decreta o-„mnia ad dictam reformationem, jus-

„que

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„que positivum duntaxat spectantia, prima „Maji proxime præteriti Mensis omnes „obligare cœpisse, neque post eam diem „excusationem cujusquam, quod ea i„gnoraverit, admittendam, atque ita „Apostolica auctoritate declaramus.„

Sub idem ferme tempus præfatus Pontifex octo Cardinalium, qui horum decretorum executioni præessent, congregationem instituit, eisque omnem auctoritatem ad hoc necessariam concessit, necnon consentiente sacro Collegio Morono, & Simonettæ Cardinalibus, qui in Synodi rebus admodum versati erant, negotium dedit, ut sedulo præcaverent, ne quicquam Patrum Senatui adversum proponeretur.

§. LIII.

Dissidium circa loci prærogativam inter Benedictinos, & Canonicos Regulares a Papa compositum.

Tandem etiam summus Pontifex Pius IV. componebat dissidium, quod per integrum ferme sæculum inter Benedictinos Cassinenses olim de Sancta Justina dictos, & Canonicos Regulares ex Congregatione S. Joannis Lateranensis Ordinis S. Augustini circa honoris prærogativam fervebat: itaque die de-

Ciacon. in vit. Pont. to. 3. p. 880. Pennot hist. Can. Reg. l. 2. c. 71. Spond. hoc ann. n. 18.

Sæcul. XVI A.C. 1564.

cima octava Januarii declarabat Pontifex, quod Abbates, Prælati, ac Canonici Regulares superpelicium, ut vocant, induti in supplicationibus, omnibusque aliis solemnitatibus publicis, ac particularibus præcederent, eosque Benedictini sequerentur, in aliis autem occasionibus, veluti in Conciliis, aliisque congressibus, ubi utriusque Ordinis Abbates suffragandi jure fruuntur, præcedendi, ac suffragia ferendi jus eis competat, juxta suæ inaugurationis, seu ad Abbatias electionis factæ antiquitatem.

§. LIV.

Bulla contra Græcos Sacræ Sedi subjectos.

Ciacon. l. c. Bull. veter. edit. Const. 74.

Die decima octava Februarii Pontifex diploma edidit circa Græcos, qui in Sicilia citra, & ultra Pharum Messinensem, aliisque in civitatibus degebant, hi enim numero sat frequentes indulgente sacra Sede Ecclesiæ Græcæ mores, ritusque sub proprio Nationis suæ Episcopo observabant: cum vero in plures pernicioſos errores prolaberentur, imo etiam Purgatorium, Romani Pontificis auctoritatem, indulgentiarum ab ipso concessarum, & censurarum latarum valorem, Sanctissimæ Virginis, Apostolorum, aliorumque Sanctorum festivi-

„stivi-

stivitatum observationem negarent, Sanctissimum Evchariſtiæ Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhiberent, cadavera defunctorum superstitione quadam impia e sepulcris eruentes igne comburerent, Ordinariorum visitationes, jurisdictionemque detrectarent, atque his, aliisque sacrilegis opinionibus latinos inficerent, hinc Pius ejusmodi scandalis providere studens, Constitutionem edidit, in qua omnes illorum exemptiones respectu Ordinariorum revocans, cunctos tam laicos, quam cujuscunque generis, aut dignitatis Ecclesiasticos, & Monachos Ordinariis latinis subjecit in omnibus, quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, animarum curam, hæresumque extirpationem concernerent, reliquis ipsorum Græcorum in divinis celebrandis, aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, intactis remanentibus. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. LV.

Regis Lusitani epistola ad Papam circa Synodi confirmationem.

Editis hisce decretis summus Pontifex totus in eo erat, ut Concilii Tridentini decreta in variis Regnis, ac ditionibus, ubi Religio Catholica vigebat, reciperentut: inter omnes autem Princi- *Pallav. c. 9. n. 19.*

Sæcul XVI A C. 1564.

Principes, qui Religionis ſuæ ſtudio erga hanc Synodum præeminebant, primus erat Sebaſtianus, qui Joanni tertio Avo ſuo in Luſitaniæ Regno ſucceſſerat: quamprimum enim hic Princeps confirmationis diploma receperat, mox Pontifici grates ſingulari affectu rependens ſummopere illius zelum deprædicabat, pollicitus, quod Synodi dignitatem, ſedisque ſacræ auctoritatem ardenter tueri, ſuisque ſubditis manifeſtum reddere velit, a ſe nihil magis cordi haberi, quam quod hujus Sacroſancti Concilii dogmata, ac diſciplinæ decreta immota fide, ac integritate defenderentur.

§. LVI.

Concilium Tridentinum a Venetis receptum.

Paltav. c. 11. n. 1. & ſeq.

Inter primos quoque, qui hujus Concilii Decreta receperunt, erant Veneti, qui ſub ſacro ſolemni in Divi Marci Eccleſia cuncta hæc decreta promulgabant, cunctisque urbium Parochis injungebant, ut illa exacte in uſum deduci curarent: in hujus autem tam prompti obſequii præmium ſummus Pontifex Venetæ Reipublicæ Oratoribus Romæ agentibus dono dedit magnificum illud Palatium, quod Paulus II, qui huic Reipublicæ olim ſubjectus erat,

erat, prope Eccleſiam Divi Marci ſingularis Venetorum Patroni conſtrui juſſerat. Inſuper idem Pius IV. præter hoc donum diploma conceſſit, in quo Senatum amplis laudibus deprædicabat, ac verbis omnino gravibus illorum ſubmiſſionem erga ſacram Sedem extollebat. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. LVII.

Regis Hiſpaniæ conſultatio de modo hoc Concilium recipiendi.

Verum non adeo prompte hoc Concilium in aliis Regnis acceptabatur, quippe Hiſpaniæ Rex, cum præter ſuam voluntatem Synodum fuiſſe abſolutam ægre ferret, præprimis ſe præſente Epiſcopos, Clerique ſui Procuratores convocare conſtituit, ut de modo hæc decreta exequendi deliberaretur, unde cuncta, quæ toto currente Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto in Hiſpania circa Synodi decreta fuere ſancita, Regii Concilii juſſu fuere effectui data. Ablegabat inſuper Philippus II. ſuos Deputatos ad diverſas, omnesque Synodos, quæ Toleti, Hiſpali, Salmanticæ, & Cæſar-Auguſtæ eo ex fine habebantur, ut ea, quæ in rem eſſent, proponerentur, ſimulque de iis, quæ hac in occaſione conſultiora viderentur, deliberaretur. Denique Rex in ſuo *Spond. hoc ann. n. 4. Sarp. hiſt. Conc. l. 8. p. 764.*

Sæcul. XVI. A. C. 1564

ſuo Senatu tandem concludebat, quod Synodus in omnibus ipſius ditionibus abſque ulla reſtrictione reciperetur, & promulgaretur, adderetur tamen quædam clauſula, vi cujus ſalva eſſent Regis, Regnique jura: hac igitur ratione Concilium non modo in Hiſpania, ſed etiam in Belgio, atque utroque Regno Neapolitano, & Siculo fuit publicatum.

§. LVIII.

Galli hoc Concilium recipere tergiverſantes.

Thu. l. 35. verſus finem. Pallav. n. 2.

Attamen Galli longe majorem pertinaciam præſeferebant; quippe Regina Franciæ Adminiſtratrix præprimis ad Nuntii Apoſtolici Sanctacrucii ſollicitationes reſpondebat, quod conſpecto nondum confirmationis diplomate conſultum foret, ut decreta, priusquam reciperentur, examini ſubjicerentur, hancque in rem ipſa Cardinalem Lotharingium reducem expectaret: poſtquam vero hoc diploma reipſa in Gallias delatum fuit, Regina adhuc alios quærebat prætextus, quibus Synodi acceptationem eluderet: reduce autem Lotharingio Cardinale, ejus agendi ratio, quam in Concilio tenuit, vehementer carpebatur.

§. LIX.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. LIX.

Gallorum querelæ contra agendi rationem Cardinalis Lotharingii.

Lotharingio hæc crimini dabantur I. accusabatur, quod decretis Regno noxiis sese non opposuerit: porro hoc accusationis caput fuisse objectum patet ex notis, quas Ferrerius in reformationis capita utriusque postremæ Sessionis Venetiis consarcinaverat II. illi objiciebatur, quod admiserit asseri: *Papam solicitudinem universæ Ecclesiæ gerere*, nam cessisse dicebatur articulo, de quo, & ipse, & omnes Episcopi Galli tamdiu decertassent, cum huic adversetur totius Franciæ opinio, *de superioritate Concilii supra Papam* III. redarguebatur, quod potuisset ipse uno verbulo remedium adhibere, si dicendum curasset, quemadmodum a S. Paulo dictum, *universarum Ecclesiarum*; ubi nemo repugnaturus fuisset huic loquendi formulæ, qua D. Paulus usus est. IV. Illi vertebatur vitio, quod eidem opinioni de Superioritate Concilii præjudicium in ultima Sessione factum sit per vigesimi primi capitis clausulam, in qua dicitur: *salva semper & sit, & intelligatur auctoritas Sedis Apostolicæ:* insu-

Sarp. l. 8. p. 764.

Sæcul. XVI A. C. 1564

insuper ultimo decreto de petenda a Papa confirmatione huic opinioni derogatum dicebatur. V. Objiciebatur etiam, quod, cum Rex, & universa Ecclesia Gallicana contendissent, postremam Patrum convocationem, per Pium IV. factam, esse *indictionem novi Concilii*, non autem *continuationem* illius sub Paulo III., & Julio III. interrupti, fracta tamen constantia Lotharingius concesserit, ut hæc continuatio, tam supradicto, & capite vigesimo primo, quam in decreto de relegendis iis, quæ sub his Pontificibus definita sunt, declararetur, quo pacto ignominiose juri huic renuntiatum, quod a Rege biennio propugnatum est: VI. eidem objiciebant, quod approbatio eorum, quæ sub Julio III. decreta fuere, deroget, & præjudicio sit protestationi per id tempus factæ a Rege Henrico II. Adversus hasce accusationes Cardinalis pro viribus sese purgabat: verum omnes ejus rationes non prævalere poterant erroneæ illorum opinioni, qui cuncta, quæ circa reformationis decreta in Concilio fuissent sancita, Franciæ juribus, Regisque auctoritati esse adversa fingebant.

§. LX.

§. LX.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Difficultates Nuntio Apostolico propositæ contra Synodi receptionem.

Incassum Sedis Apostolicæ Nuntius denuo suas proposuit rationes; haud enim amplius a Gallis audiebatur: Regina quoque impellente Cancellario totum negotium ad duas redigebat difficultates per eundem Cancellarium propositas, quarum prima exponebat hæc: „Synodus prohibuit, ne Regula„rium beneficia in Commendam dentur, „exinde autem regno adimitur via, qua „Princeps multos Proceres privatis suis „studiis addicere posset: nec minus tol„luntur subsidia, quibus Rex in præ„senti rerum vicissitudine eget:„ Porro per alteram propositionem, quæ magis erat generalis, declarabat, quod Calviniſtæ ob anathemata in eos per Concilium vibrata aliunde offensi haud magis irritandi sint; tantopere enim Regina hosce hæreticos verebatur, ut Nuntio haud permittere vellet, quod impressa Synodi acta, & decreta inter Episcopos distribueret, nam illa dicebat, quod ipsi absque tam luculenta apparatu eadem sibi alia via procuraturi essent: verum Nuntius hoc interdictum flocci pendens hæc acta distribuebat,

Pallav. c. XI. n. 3. & 4.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§ LXI.

Hiſpaniæ Regis, & Sabaudiæ Ducis legatio ad Regem ob hanc repulſam.

Thuan. l. 36. n. 6. Spond. hoc ann. n. 5.

Ceterum Galliarum Rex una cum aula ſua ad Fontem-Bellaqueum hiemabat, cum Legati Hiſpaniæ Regis, & Sabaudiæ Ducis Menſe Februario advenirent, qui unacum Sedis Apoſtolicæ Nuntio Regem rogabant, ut Concilii Tridentini decreta per univerſum Regnum ſuum diligenter obſervari curaret, ſimulque ex ſuis quosdam Nancejum in Lotharingiam ablegaret, qui decretorum lectioni die vigeſima quinta Martii habendæ intereſſent, cum ceterorum Principum Oratores pariter eo convenirent, quibus mediis hæreſes Chriſtianæ Reipublicæ quietem interturbantes extirpari poſſent, deliberaturi: Inſuper hi Oratores a Rege petebant, ut bonorum Eccleſiaſticorum alienationem prohiberet: ne vero æris alieni diſſolvendi neceſſitate ſe excuſaret, paratos ſe oſtendebant Philippus Hiſpaniæ Rex, & Sabaudus Dux, quantum ad eos attinet, in ſacri Ordinis gratiam jus ſuum remittere: porro eundem Regem Carolum monebant, ut contentus eſſet dono gratuito, quod

quod illi libenter ad dotalem pecuniam ei promissam erogaturi sint: praeterea suadebant, ut seditiosos, ac schismaticos exilio, aut alia poena mulctet, & severae animadversionis in eos exemplum statuat, cum illi templa destruxerint, bona Sacerdotum diripuerint, & Regni hostes in Franciam introduxerint; gratiam vero seditiosis in ultima pacificatione cum Protestantibus factam revocet, praecipue iis, qui in divinae Majestatis crimen incidisse comperientur: tandem ab eo fieri volebant, ut jus aequum inter subditos suos redderet, & severe in conscios, & auctores caedis Guisii, qui detestanda nuper proditione interfectus erat, citra dissimulationem, ac sine ulla dilatione animadvertat. Ceterum in id Legati nomine Principum suorum omnem operam, opes, ac vires suas ad Regis obsequium offerebant. Saecul. XVI. A. C. 1564.

§. LXII.

Regis responsum ad hosce Oratores.

Ad haec Rex a Regina Matre sua, & Hospitalio Cancellario instructus hisce Oratoribus respondit: „Gratias „habeo Principibus, & Dominis vestris „pro tam salutari, ac laudabili, quod mi„hi dederunt, consilio, ac vobis inprimis, „qui ob id dignati estis ad me venire, *Thu. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1564

„insuper vobis confirmo, quod apud „me fixum, ratumque sit, secundum „antiquum, ac laudabilem in Ecclesia „Romana observatum cultum vivere, & „efficere, ut ditionum mearum popu„li juxta easdem sacras leges vivant, „nam pacem eapropter inii, ut hostes „regno meo expellerem: nunc autem „nihil magis in votis habeo, quam ut „jus æquum omnibus ditionum mea„rum subditis reddatur: de cetero oro, „ut vestri Principes me excusatum ha„beant, ob eas causas, quas scriptis „mandabo, ut ad vos perferantur, post„quam hac super re cum meis Sena„toribus deliberavero.„ Hoc responso Rex Oratoribus neutiquam satisfecit, unde die vigesima septima Februarii eis aliud dabatur, quod tamen priori haud magis certum erat.

§. LXIII.

Parisiensis Curia Concilii receptioni obsistens.

Altera ex parte Parisiensis Senatus Synodi Tridentinæ receptioni magna opponebat obstacula, præcipue contra utriusque postremæ Sessionis Decreta; quippe celebris hæc Curia contendebat, quod auctoritas Ecclesiastica cum præjudicio profanæ fuisset extensa, eoquod per mulctas, & carceris pœnas

nas Ecclesiasticis contra laicos procedendi facultas esset concessa, cum tamen Christus Dominus suis Ministris nonnisi spiritualem potestatem dedisset: insuper opponebant illi, quod Clero in publici status partem adoptato Principes quidem ex benevolentia Episcopis concesserint suos Sacerdotes pœnis temporalibus castigandi facultatem, ut inter eos disciplina conservaretur, Episcopi tamen hac potestate contra laicos nec ex lege divina, nec humana uti valeant, si autem ea uterentur, vere jus alienum usurparent. Præterea cavillabantur hi Senatores, quod Synodus Cæsari, Regibus, aliisque Principibus, si singularia certamina permittant, anathema intentet, cum tamen potestas a Deo proveniens, in terris a nemine Principibus aufferri, aut restringi queat (*) Insuper carpebant ea, quæ Synodus circa Patronatus jura definiebat, perinde acsi falsæ huic suppositioni fuisset innixa, quod omnia beneficia sint libera, si jus Patronatus non probatur, cum tamen Ecclesia nulla habeat bona profana, nisi quæ a sæcularium liberalitate proveniunt: querebantur etiam, quod

Sæcul. XVI. A.C. 1561.

(*) Potestas est a Deo, non autem potestatis abusus.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

quod tunc, si capitales causſæ ab Episcopis ad Pontifices remittantur, Concilia Provincialia, & Nationalia, quæ quoad eas judices semper fuerant, sua jurisdictione priventur. His addebant, quod non modo Franciæ consuetudini, sed etiam Conciliorum canonibus, qui hasce causſas in propriis suis locis dijudicari volunt, derogetur, si Episcopi, ut crimina ipsis impacta diluant, Romam contendere obstringerentur: nec minus Franciæ juribus, ac mori adversari inquiebant, quod beneficia pensionibus, aut fructuum reservationibus onerentur, prout tamen Synodus perperam statuisset: porro haud tolerandum esse censebant hi Consiliarii, quod causſæ in prima, ut vocant, instantia per Papam extra Regnum evocentur, hacque ratione antiquissima consuetudo plurimis edictis confirmata violetur, cum hanc evocationem clausula ista *ex causſa urgente, & legitima* non vindicaret, prout experientia manifeste doceret, eoquod sub hoc prætextu omnes causſæ Romam deferrentur. Præter hæc non approbabant Parisienses, quod Mendicantes bona immobilia possidere permittantur; causſabantur enim, quod ejusmodi Religiosi, sub alia instituti ratione in Galliis fuerint recepti, proin illos juxta aliam formam

retine-

retinere æquum non sit. Denique plura alia proferebant capita, quæ excogitabant, ut Synodum non esse recipiendam comprobarent. (*) Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. LXIV.

Molinæi consultatio adversus Concilium Tridentinum.

Ceteris vehementius contra hujus Synodi receptionem tumultuabatur Carolus Molinæus celebris Jurisconsultus, cujus jam sæpius meminimus. Hic ineunte hoc anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Lutetiam Parisiorum redux die vigesima octava Februarii consultationem vulgabat, in qua exposuit, quod a quibusdam Regiis Consiliariis novem Synodi Sessiones receperit, quarum primæ sex anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Coloniæ, ac postea Antverpiæ, reliquæ vero

(*) Hæc a Parisiensi Senatu fuisse opposita Continuator quidem refert, sed nullum omnino testem allegat: qualiter autem hæc componi valeant cum iis, quæ Continuator de eodem Senatu in tuenda Synodo contra Molinæum in §. LXVI. attulit, haud perspicimus.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

ro tres Parisiis in lucem editæ fuissent; illis autem perlectis, atque examinatis censeat, quod exceptis fidei, ac doctrinæ rebus, atque Ecclesiæ Constitutionibus, necnon morum, ac hominum reformatione, quæ omnia nullatenus reprehendi valerent, (*) hæc Synodus in Franciæ Regno recipi nec possit, nec debeat, cum illa non fuerit legitima, vitiose indicta, & celebrata (**), eoquod circa

(*) Haud dissimulandum est, quod Continuator unice, ut proscriptum suum Molinæum, utpote Pontificiæ auctoritatis osorem tueatur, cum veritatis historicæ præjudicio ab eodem Synodum in rebus fidei, ac disciplinæ non fuisse impugnatam testetur, cum tamen Spondanus, & Thuanus, quos allegat, disertis verbis testentur, quod Molinæus Consultationem ediderit, in qua ob multas causas Concilium nullum, vitio indictum, habitum, & terminatum contra antiqua Patrum Decreta, & regni Francici dignitatem, ac libertatem contendebat, quare, qui Religionis negotium Concilio decidendum relinqui debere censebant, ut par est, graviter offensi pervicerunt in Senatu Parisiensi, ut Molinæus tanquam male de Religione sentiens, & seditionis scripto illo incentor, ignominiose in carcerem conjiceretur.

(**) Caroli Molinæi cavillationes solide con-

circa politicum Regimen multa præceperit, quæ pugnarent contra vetera Franciæ Concilia, Regni jura, Regis Majeſtatem, & dignitatem, ſuorum edictorum, ſententiarum, ac Senatus conſultorum, atque ſupremam aliorum Principum auctoritatem: inſuper ajebat, eandem Synodum adverſari Ordinum ſtatutis, juribus, libertatibus, atque Eccleſiæ Gallicanæ immunitatibus, necnon legitimam, ac minime temeram præberi ſuſpicionem, quod Papa Inquiſitionis Tribunal in Gallias introducere velit. (*) Poſtea ſigillatim Sæcul. XVI. A.C.1564.

confutatæ ſunt a P. Natal. Alex. Hiſt. Eccleſ. tom. 18. Sæcul. XVI. art. 16. diſſert. 12.

(*) Si quis ea, quæ prius hanc in rem ex Thuano, & ſpondano adduximus, cum hiſce dictis conferat, facile deprehendet, quod Continuator in confingendis, atque excogitandis Sacroſanctæ hujus Synodi vitiis ipſo etiam Molinæo longe magis fæcundus fuerit: rationes enim ab hoc Scriptore allatæ eidem non ſufficiebant, quia nullam mentionem expreſſam fecit de Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, & ſolito ſuo terriculamento, nempe Inquiſitione, de qua tamen in Gallias introducenda nec Pontifex, nec ullus Synodi Pater vel unquam ſomniabat.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

tim cauſſas, ob quas Synodum eſſe nullam arbitrabatur, recenſebat, ſimulque adducebat rationes, quibus ſuam opinionem ſtabilire nitebatur. Porro hanc conſultationem Antonio Cruio nuncupatam Molinæus eodem anno, absque tamen Regis privilegio Lugdunenſibus literis excudi curabat.

§. LXV.

Molinæus in carcerem conjectus, ac poſtea Regis juſſu liberatus.

Thuan. l. c.

Hic Zelus (*) Molinæo funeſtus accidit; quippe Synodi fautores plura, eaque ſat adverſa negotia eidem faceſſebant: præprimis autem ad Pariſienſem Curiam citatus juxta juris præſcripta in pleno Patrum conſeſſu circa librum eidem adſcriptum interrogatur, ubi hic ſe illius auctorem, atque a ſe Lugduni typis mandatum fuiſſe fatetur: mox ergo percepta hac confeſſione in carcerem conjicitur, utpote perverſe de Religione ſentiens, ac libello ſuo ſeditionem conflare intentus. Poſtea omnia ejus ſcripta in indicem rediguntur, cunctisque Typographis, & Bibliopolis prohibetur, ne ejus librum, aut vendant, aut divulgent. Sub idem tempus Rex acce-

(*) An hic Zelus ſecundum Deum fuerit, Catholici Lectoris judicio relinquo.

Sæcul XVI. A.C. 1564.

acceptis Parisini Senatus literis hanc in rem scriptis, Molinæum carceri datum fuisse, ratum quidem habebat, verum mox die vigesima quinta Maji, seu juxta alios vigesima prima Junii Regio diplomate Parisiensi Curiæ præcipiebat, ut Molinæum liberum dimitteret, (*) ea tamen lege, ne deinceps quid absque Regis

(*) Cur Rex, seu potius ejus Aulici Regi adhuc puero pro arbitrio dominantes Molinæum libertati asseruerint, caussam assignat Spondanus hoc anno num. 6. sequentibus verbis notatu dignis: Fuerat Molinæus ob epistolam ad Regem scriptam pro Romani Pontificis auctoritate convellenda, & Regia in Pontificiæ præjudicium asserenda, contra quam, ut ipse jactanter scribit, Cardinales, Sorboniстæ, Senatus Parisiensis Parlamenteus, fiscales, seu regales Procuratores, & Advocati multum institerunt, ut e libro ejus eraderetur, sed incassum, quod homo cervicosus, & arrogantia corruptus, abjecto tot, ac tantorum virorum judicio, & intercessione maluerit, postquam diu, multumque propterea exagitatus fuisset, in exilium abire in Germaniam, quam eorum monitis obtemperare: cumque iterum rediisset juri publico staturus, celerius rursum fugere, atque in Germaniam sese proripere: unde postea a Conneстabili Momoran-

Sæcul. XVI. A.C. 1564

Regis licentia in vulgus ederet. Porrecto hoc diplomate decimo quinto post die edictum emanabat, vi cujus Molinæus libertati restitutus est, ita tamen, ut

morantio revocatus fuit. Istiusmodi homines, dummodo possint Josiæ, & Ezechiæ Regum Judæ, & Constantini, Justiniani, Caroli Magni, Ludovici pii, aliorumque ejus generis inclytorum Regum, & Imperatorum exempla proferre, qui aliquas leges, & Constitutiones de rebus Ecclesiasticis ediderint; mox ea omnia tanquam solis Principibus debita, Pontificibus penitus interdicta volunt, vix ut eis pro singulari beneficio relinquant, ut ceteris Episcopis pares esse possint: moxque unacum ipsis ceteros omnes Episcopos mancipia Principum constituant, ad id solummodo institutos, ut eorum decreta executioni mandent; minime considerantes, quantum honoris, & auctoritatis iidem ipsi Principes Pontificibus, & Episcopis tunc existentibus detulerint; quis autem magis peccare censendus; an illi, qui, quæ Dei sunt, Cæsari tribuunt, an vero id, quæ Cæsaris, Deo? habent profecto satis & Pontifices, & Reges, quod gerant in officiis, & muneribus suis, si justam rationem villicationis suæ reddere supremo Domino velint, absque eo, quod sese alteri alterorum ministeriis immisceant, quorum utrorumque

ut in suis ædibus tanquam in custodia remaneret, postea autem plena frueretur libertate: quinimo testatur Thuanus, quod Rex eodem *suo diplomate hujus rei cognitionem Senatui Parisiensi interdixerit*, eamque ad suum Consilium, ut ibidem dijudicaretur, evocaverit. (*) Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. LXVI.

Alia ejusdem Molinæi consultatio circà electionem Petri Crequii ad Ambianum Episcopatum.

Idem

---

que munus, & auctoritatem. cum interpretaretur olim S. Isidorus, scribebat, sub Religionis disciplina sæculi potestates subjectas esse: & quamvis culmine Regni sint præditæ, vinculo tamen fidei teneri adstrictas, ut & fidem Christi suis legibus prædicent, & ipsam fidei prædicationem moribus bonis conservent: Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenere, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant: ceterum intra Ecclesiam potestates necessarias non esse, nisi ut id, quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem.

(*) De hac evocatione Thuanus nihil recenset.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Idem Molinæus paucis ante diebus, quibus priorem consultationem vulgabat, aliam concinnaverat; cum enim Picardiæ Nobiles Ambianum Syndicum ad eundem decernerent, ut is circa electionem, qua Antonius, seu Petrus Crequius antea Nannetensis Episcopus ipsis admodum infestus ad Ambianensem Episcopatum promotus fuerat, ejus sententiam exquireret, an scilicèt hæc inauguratio pro hac Ecclesia jure impediri posset: ad hæc mox Molinæus ita respondit: „quoniam hic „Episcopus insciis, nec rogatis, aut con„sentientibus provinciæ Ordinibus ele„ctus est, ejus creatio, institutio, ac „possessio jure impediri potest, ea ma„xime ratione, quod a Patrum, & Uni„versalium Synodorum legibus, Regum „item Franciæ Clotarii, Caroli Magni, „& Ludovici pii sanctionibus, & Regni „Ordinum Aureliani ante triennium „congregatorum, & in Senatu promul„gatis decretis sancitum sit, ut Episco„porum electionibus, etiam nobilitatis, „ac plebis auctoritas, ac consensus in„terveniat.„ Percepto hoc responso Antonius Dallius Piquinius Ambianorum Vice Dominus nobilitatis Picardiæ nomine interceſſit, & publico scripto, suæ repugnantiæ causſas exposuit,

posuit, & Mense Martio hanc suam oppositionem publicis typis evulgavit. Sæcul. XVI. A. C. 1564.

Verum Molinæus hoc ipso judicio, prout & per consultationem, quam circa Concilium Tridentinum elucubravit, atque edidit, Parisiensis Secretus indignationem maturasse creditur.

§. LXVII.

Nova Pontificis molimina ad urgendam Synodi receptionem in Gallis.

Cum in Galliis recipiendæ Tridentinæ Synodo nova indies obstacula opponerentur, Pontifex ad Carolum IX. Regem Ludovicum Antinorum jam antea in maximi momenti negotiis missum ablegabat, ut denuo apud Regem totis viribus instaret, quatenus Synodi Decreta in Regno promulgarentur: itaque Antinorus nullum non movet lapidem, ut cuncta adhiberet, quibus tandem Rex, ut Pontifici hac in re morem gereret, induci posset, quapropter eidem exponere nitebatur, quod Pius Papa nil nisi rationi consonum, nihil vero Franciæ emolumento, ac honori adversum peteret; verum Rex duntaxat, & id quidem verbis admodum ambiguis pollicebatur, se per suos ministros, ut Concilii decreta singillatim executioni

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

cutioni demandarentur, curaturum: ceterum publicam universi Concilii in Regno suo promulgationem eo rerum statu periculosam deprecabatur, cum vereretur, ne per Calvinistas novis implicaretur tumultibus, ex quibus forte nunc difficilius, quam antea sese extricare posset: de cetero autem nullam se intermissurum spondebat occasionem, qua testatum redderet, quanta veneratione summum Pontificem prosequeretur, cum obsequium ipsi debitum satis probe cognosceret. (*)

§. LXVIII.

Pontificis conatus circa Synodum in Germania recipiendam.

Pallav. l. 28. c. 12. Thuan. l. 36. Spond. hoc ann. n. 3.

Equidem Pontifex hac excusatione specietenus contentus esse videbatur, nihilominus præcipuam curam eo vertebat, ut Synodus in Germania promulgaretur: eapropter ad Nuntium suum Episcopum Ventimillienſem hac super

(*) Thuanus, quem Continuator allegare non audebat, ne plura de suo maligne addidisse convincatur, duntaxat hæc a Rege dicta fuisse refert, *de obsequio alioqui suo in Pontificem in posterum bene speraret*, ast Continuator jam magis assuetus erat solitæ obsequii promittendi formulæ, quæ ibidem adhibetur, dum obsequium negatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

ſuper re perſcripſit: haud enim ignorabat pertinaciam Lutheranorum, qui contra Synodi decreta editis libellis reclamabant, atque inter alios præcipuus erat Joannes Fabritius, qui ad Germanos ſermonem erroribus plenum transmiſerat, quem tamen Petrus Fontidonius Hiſpanus Theologus, qui Synodo intererat, mox refellebat: inſuper Martinus Chemnitius Melanchtonis Diſcipulus adverſus decretorum promulgationem debacchabatur, edito libro, quem Jodocus Ravenſteinius Lovanienſis Theologus confutabat: ergo duntaxat in Catholicorum ditionibus Concilii promulgatio urgenda videbatur; præprimis vero Ferdinandus Imperator rurſus tam ſuo, quam Bavariæ Ducis Generi ſui nomine calicis uſum iteratis precibus a ſummo Pontifice petebat, cum enim ſibi nihil conceſſum videretur, etiamſi hanc rem per ſuos Oratores, imo etiam per ſeipſum Oeniponti in variis colloquiis cum Cardinalibus Morono, & Lotharingio habitis ſæpius poſtulaſſet: ideo rurſus literis ad Papam die decima quarta Februarii datis inſtitit, (*) atque huic ſuo

(*) Exſtant hæ literæ apud Odoricum Raynaldum hoc anno n. 29.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

suo diplomati libellum a quibusdam Doctoribus Catholicis compositum adjunxit, eo fine, ut in præsenti Germaniæ statu ejus preces recusari haud posse ostenderet, cum aliunde ambo Cardinales Moronus, & Lotharingius hujus indulgentiæ spem fecissent, ac præprimis pariter Archiepiscopi S. R. J. Electores id vehementer exoptarent. (*)

§. LXIX.

Cæsaris postulatum circa Calicis usum a Papa Cardinalibus propositum.

Pallav. c. 12. num. 8.

Itaque summus Pontifex die decima quarta Julii habito Purpuratorum Senatu hoc Cæsaris postulatum Cardinalibus

(*) Quam agendi rationem Albertus Bavariæ Dux circa Calicis usum tenuerit, lubet percipere ex Adlzreiter Annal. Boic. t. 2. lib. 11. n. 22. *Albertus*, inquit ille, *comperto* Patribus Tridentini Concilii non fuisse probatum Calicis usum in Sacrosancta divini epuli communione, nihil ultra instandum ratus, ab ulteriore ejus petitione prorsus abstinuit, tametsi non deessent Principes, virique magnæ auctoritatis, qui Pontificem ea super re adeundum putarent: immo cum Pius IV. Pontifex petente Ferdinando Cæsare, quod

libus exponebat, ac plures rationes, quibus hæ preces nitebantur, proferens inter alia significat, quod ejusmodi repulsa non modo ad deferendam fidem Catholicam, sed etiam ad abjiciendam Christi Religionem, proin ad Paganorum sectam fors tota Natio adigi posset. Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. LXX.

Calicis usus Germanis concessus.

His dictis Pontifex prosequebatur: „Plures Cardinales, atque Epi„scopi, ut desuper suas sententias se„creto proferrenr, rogabam, quamvis „vero ab omni novitatum genere ma„xime abhorream, nihilominus ex eorum *Pallav. l. c. Rayn. n. 35. Bousset traité de la Commisous lex deux espece c. 1. p. a. 7. sur la fin.*

quod crederet Religionis in Germania ad lapsum inclinatæ ruinam communicato cum laicis usu Calicis posse prohiberi, quibusdam Episcopis facultatem esset largitus, calicis promiscue propinandi, Albertus eam indulgentiam juris publici in Boica esse noluit, ratus, longe salubrius esse cum ceteris Ecclesiis perstare intra fines a Concilio dictatos, nihilque desciscere a ritu, & rationibus priscæ avorum Religionis. Si qui contra molesti deprecatores intercedebant, ut violentius pro calice pugnarent, eos sola consensus orbis Christiani, Concilii universalis auctoritate, & Pontificiæ Majestatis reverentia compescebat.

Sæcul. XVI A.C. 1564.

„rum consilio quibusdam Germaniæ „Episcopis calicem suis Diæcesanis ad„ministrandi veniam concessi, non qui„dem pro omni loco, aut tempore, sed „in iis duntaxat locis, ubi id ex ratio„nibus allegatis omnino necessarium „videbitur, præscriptis etiam quibus„dam conditionibus: porro ex Nuntii „Delphini literis accepi, quod Viennæ „cum maxima illius populi lætitia usus „calicis receptus fuisset, & lau„dem, & gratiarum actionem Impera„tori & nobis tribuissent, necnon duæ „ex tribus partes, quæ Lutheranis, & „suspectis illius civitatis hominibus con„stabant, post hanc concessionem resi„puissent, & se Catholicos declarassent: „præterea idem Nuntius mihi significa„vit, quod idem speraret, fore in aliis „civitatibus.„ Enimvero hæc agendi ratio in Pio IV. plurimum commendabatur, ut vero res penitus confecta esset, idem Papa Cæsari diploma transmisit, quo ejusdem petitioni annuebat. (*)

§. LXXI.

(*) Quem autem successum habuerit hæc concessio, describit Raynaldus loc. cit. his verbis: *Brevi spes* illa refloreſcentis fidei evanuit; ac cum nullus deinceps profectus haberetur Religionis, imo contumaciori animo Lutherani in suis hæresibus defigerentur, multaque

§. LXXI.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Aliud Cæsaris postulatum circa uxores Sacerdotibus reversis relinquendas.

Verum summus Pontifex minus se indulgentem exhibebat, cum Ferdinandus Imperator insuper ab eo peteret, ut Sacerdotibus, qui a fide desicientes matrimonio sese junxerant, tunc vero ad sinum Ecclesiæ revertebantur, uxores suas retinere liceret: nam gravia, quæ ex ejusmodi concessione pullularent, incommoda Pontifex longe melius, quam hic Princeps, penetrabat, ac probe prospiciebat, quod hæc indulgentia Sanctuarii Ministros ab assidua muneris sui sollicitudine, ac studio plurimum averteret, cum hi ad cumulanda sua bona, prolesque divitiis augendas duntaxat carnis, & Sanguinis rationem habituri, ac imposterum Beneficia jure quasi hæreditario ad poste-

Thuan. l. 36. num. 9.

Pallav. l. 24. cap. 12. n. 9.

Raynaldus hoc ann. num. 29.

ros

taque indies graviora orirentur incommoda, B. Pius quintus, qui immediate in Pontificatu Pio IV. successit, ac Gregorius postmodum XIII. concessionem illam penitus revocarunt, servatumque a pluribus sæculis usum sub altera tantum specie communicandi laicis restituerunt.

Sæcul. XVI. A.C 1564

ros transmissuri essent, eoquod Pater, ut Filium eadem dignitate, qua ipse fruitur, auctum cerneret, unice curaturus foret: insuper perpendebat Pontifex, quod quoad cœlibatum, quamvis jure divino sacris Ordinibus non sit annexus, nullaque divina lex exstet, quæ conjugatos Sacerdotio insigniri, vel Presbyteros conjugio copulari prohiberet, lex tamen Ecclesiastica, quæ Clericis cœlibatum præscribit, adeo vetus, omnique auctoritate communita sit, ut illam vel minime labefactare nefas foret: quapropter Pontifex hanc gratiam concedere renuit, atque ipsa præmatura mors, qua Ferdinandus die vigesima quinta Julii vivis ereptus est, rursus preces suas urgendi spatium eidem præripuit.

§. LXXII.

Iteratæ Maximiliani II. preces circa Sacerdotum conjugia.

Thuan. & Rayn. l. c.

Nihilominus Maximilianus II. Ferdinandi Cæsaris Filius, qui eidem successerat, obtento vix Imperio rursus hasce preces exposuit, ac vehementibus literis Papam urgebat. Data est novi hujus Cæsaris epistola die vigesima quinta Novembris, in qua Pium IV. rogabat, ut de severitate circa Sacerdotes

dotes conjugatos nonnihil remittere, atque ea in re Sileſiis, Moravis, Bohemis, atque Auſtriacis gratificari, & ad eorum preces inclinari velit, cum in hiſce Provinciis absque hac indulgentia brevi nulli amplius Sacerdotes reperiri poſſent. Sæcul. XVI. A.C.1564.

§. LXXIII.

Cæſaris rationes pro indulgendo Sacerdotum conjugio.

Hiſce literis Cæſar brevem addidit explicationem earum rationum, quæ Sacerdotum conjugiis favere videbantur: præprimis autem hæc exponebantur: „negari non poteſt, utriusque „teſtamenti teſtimoniis uxores Sacerdo„tibus permitti, cum conſtat, quod Apo„ſtoli ipſi paucis exceptis conjuges ha„buerint: porro id, quod Chriſtus poſt „eorum vocationem mandaverit, ut ſe „ab Uxoribus ſepararent, nullo loco re„peritur: inſuper liquet in prima Orien„tali, & occidentali Eccleſia usque ad „tempus prohibitionis a Calixto Papa „factæ, Sacerdotum conjugia libera, ac „licita fuiſſe; proinde cum natura no„ſtra fragilis ſit, & omnium ætas ab „adoleſcentia in malum prona, necnon „caro ſit ſtimulus peccati, arctiſſima „que continentiæ via, paucique repe„riantur, qui carnis ſtimulum non ſen-

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„tiant, & in igne positi non ardent, „sitque talis ignis concupiscentiæ ad „perniciem devorans, Dionysius Co„rinthi Episcopus in epistola, quam ad „Gnosticos perscripserat, prudentissime „Pinytum Suffraganeum monuit, ne „cœlibatus onus tanquam necessarium „fratribus, id est, Clericis suis impo„neret, sed infirmitatis plurium ratio„nem haberet.„

Postea etiam proferebatur in eadem epistola celebris illa historia de Paphnutio, quam Socrates, & Sozomenus referunt, licet eadem pluribus saltem suspecta videatur: „His dictis addeba„tur quoque ista: gravior adhuc hodie „urget ratio, ut circa hunc articulum „Sacerdotibus honesta permittatur li„bertas, quam in illo sæculo, ubi pie„tas, & Cleri fervor hanc indulgen„tiam haud esse necessariam suadebant: „præterea ob connubii interdictum ea „est Sacerdotum penuria, ut theolo„gorum Scholæ apud Catholicos va„cuæ sint, spretisque Episcopis omnes „ad Sectariorum Gymnasia profugiant, „ibique quali quali manuum impositio„ne accepta se passim ingerant, unde „fit, ut evadant Ecclesiæ Catholicæ, „supra quam credi possit, dedecori: „qui tamen libertate conjugii permissa, „omnes in Ecclesia nobiscum manerent:

„pro-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„proinde Ecclesiæ bono congruere vi-
„detur, ut sua Sanctitas contra re-
„gulæ severitatem ea in re aliquid in-
„dulgeat, & liceat viris sacram vitam
„professis vel in cœlibatu permanere,
„vel matrimonium contrahere, ut dein
„honesti mariti, qui docti, & rerum Ec-
„clesiasticarum periti sunt, ad sacros
„majores Ordines admittantur; Præ-
„terea peto, ut cum Sacerdotibus, qui
„jam antea contra constitutiones sacras
„matrimonium contraxerunt, in tanta
„ministrorum inopia dispensetur, & ii
„per Ecclesiam gratiose tolerentur, ac
„denique Ecclesiis ministrandi, ac sua
„munia obeundi cura ipsorum conscien-
„tiis relinquatur, cum valde absurdum
„audiret, Sacerdotes conjugatos re-
„movere, scortatores vero, qui contra
„legem divinam, & humanam simul
„peccant, delinquentes pati; si vero ii
„castitatis voto adstringendi videantur,
„certe ad Sacerdotium promoveri non
„debent, nisi qui provecta jam ætate
„sunt, & de quibus spes certa concipi
„potest, quod cœlibatum pie, & in-
„violate colant.„ Attamen Imperator, quantumvis id impense efflagitaret, nihil a Pontifice circa hunc articulum impetrare potuit. (*)

(*) An hæ rationes reipsa a Maximiliano II. Chri-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. LXXIV.

Pontificis conatus pro Concilio in Polonia recipiendo.

Pallav. l. 24. c. 13. n. 1. Rayn. ann. hoc n. 40.

Haud majori, quam illæ Provinciæ, pro quibus Maximilianus II. adeo ardenter hunc favorem expetebat, tranquillitate fruebatur Polonia; quippe novi Regis imbecillitas, necnon illius cum Matre dissensio, atque infaustæ ejusdem nuptiæ cum Barbara Radzevillia muliere libidinosa maximopere legum vim infringebant, ac novas indies vires suppeditabant hæreticis, qui his dissidiis freti suam sectam numero, & potentia firmabant; unde quivis pro arbitrio suo diversam sibi procudebat Religionem; nam sicuti usuvenit, quod semper nonnulli ex aliorum erroribus, ac cæcitate sua sibi commoda procurare soleant, ita etiam Doctorum non

Christianissimo Cæsare fuerint expositæ, valde dubium est, cum eas solus Thuanus referat, & ipsemet Goldastus tom. 2, Const. Imp. fol. 383. eas unice eidem Thuano tanquam Auctori adscribat, dicens: *has considerationes neque caput, neque pedes habentes ita reperi, quas a Maximiliano Cæsare ad Pontificem missas esse, Auctor est Thuanus.* Illas vero a quodam Lutherano adinventas putat Od. Raynald. loc. cit., hasque rationes solide confutat.

non pauci privatas suas opiniones stabilire, ac divulgare totis viribus nitebantur. Sæc. XVI. A.C. 1564.

§. LXXV.

Ecclesiæ Disciplina in Poloniæ Regno eversa.

Irridebantur palam Ecclesiæ cultus, ritusque, ac publice novæ opiniones propugnabantur, necnon singulis diebus celebrata fuere hæreticorum conventicula, & procusa in Catholicos consilia: insuper audiebantur preces publicæ, & sacrificia peragebantur juxta ritus recens adinventos: explodebatur autem avita religio veluti risu dignorum rituum congeries: cultu etiam pluribus in locis abrogato templa usurpabantur, & Sacerdotes ex ædibus suis ejiciebantur, omnibusque bonis spoliabantur, dum ipsi quoque Aulæ Proceres, atque ex senatu potissimi de hæresi aut suspecti, aut jam maligna hac contagione infecti erant, tantoque hæretici numero excreverant, ut nec legum severitatem, nec Regis ipsius auctoritatem vererentur. Hic erat Poloniæ status, dum Commendonus illic advenerat. *Gratian. in vita Commend. l. 2. cap. 7.*

§. LXXVI.

Religio in Polonia eversa ob Præsulum dissensiones.

Insu-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Pallav. l. c. Grat. c. 8. Rayn. n. 41.

Insuper Episcopi, qui solis hæreticis resistendo pares fuissent, mutuis dissidiis inter se scindebantur, ac unice privatis suis commodis intenti ad procurandum commune bonum non concurrebant, sed Religionem, ac justitiam opprimi patiebantur. Ex hisce Præsulibus duo erant, qui tam apud Senatum, quam Clerum præ ceteris omnibus majori pollebant auctoritate, eorumque primus erat Jacobus Ucangius Gnesnensis Archiepiscopus, Regnique Primas: alter vero Philippus Padnevius Cracoviensis Episcopus. Porro ille suarum dignitatum, ac honorum splendore celebris, hic autem ingenii acie, ac divitiis clarus audiebat: quamvis autem hi ob affectuum, ac cupiditatum diversitatem inter se dissiderent, pari tamen Regnum turbandi, resque implicandi desiderio flagrabant: insuper Ucangius arctam cum Protestantibus amicitiam fovebat, aliunde vero, cum primævo naturæ vitio turbidæ, ac volubilis indolis vir esset, ad omne momentum quamdam seditionem expectabat, sicuti enim Natura hominem ita constituit, ut is facile credat, quæ vehementer expetit, sic etiam Ucangius sibi imaginabatur, quod ipsemet, si hæreticorum factiones prævalerent, rejecta Sedis Apostolicæ auctoritate, nullo

nullo negotio ſupremum Polonicæ Eccleſiæ caput a ſuis proclamandus eſſet: quinimo hæretici, ut hunc Præſulem magis ſuis ſtudiis addictum redderent, vana hac ſpe eum ſollicite lactabant: nihilominus frequenter inviſebat Commendonum, qui eum æque, ac Cracovienſem Epiſcopum ad ſaniora reducere nitebatur, quamvis autem hic poſterior vir eſſet animo ferox, flecti neſcius, dominandi libidini aſſuetus, divitiarum abundantia tumidus, ac quietis impatiens, Commendonus tamen decipi poterat nec hujus, nec illius conſiliis, quæ unice eo collimabant, ut Regem ad Proteſtantium partes inclinarent, odium in Pontificem ei inſpirarent, hacque ratione ipſi ſuum finem conſequerentur: attamen Commendonus Regis fiduciam ſibi conciliabat; cum enim Epiſcopos reconciliare fruſtra niteretur, eosque incaſſum admonuiſſet, ut ad communem utilitatem ſuas vires conjungerent, nec obſtinatis hiſce diſſidiis ſuam dignitatem vilipenderent, neque ipſimet ad ſuum contemptum, & everſionem hæreticis occaſionem præbere vellent, nonniſi quosdam horum Præſulum ad ſua ſtudia pertrahere poterat: unde Regem eo inclinabat, ut omnes Doctores exteros, qui errores, ac ſeditionem inſpira-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Sæcul. XVI. A.C.1564.

spirabant, e regno expelleret, hacque ratione eo facilius indigenarum licentiam reprimere, ac impedire posset, ne violentia Sacerdotibus, aut Ecclesiis quovis pacto inferretur.

§. LXXVII.

Synodus Nationalis in Polonia per Commendonum impedita.

Gratian. cap. 10. Pallav. c. 13. num. 1.

Cum Ucangius Archiepiscopus Nationis suæ Synodum congregare statuisset, in qua Religionis controversiæ dirimerentur, atque haud consulta Pontificis auctoritate fides ad Regni consuetudines, & utilitatem accommodari posset, Nuntius comperto Archiepiscopi consilio, ejusque machinationibus omnem curam, suamque dexteritatem eo impendit, ut Regem ad inhibendam ejusmodi Synodum induceret: nec frustraneus erat Commendoni conatus; quippe Rex, cum quietis studiosus, tumultus, & seditiones in regno suo suscitari summopere abhorreret; quamprimum hanc rem in Senatu exponi percipiebat, mox propositionem penitus rejecit, palam professus, quod quicquam in rebus Ecclesiasticis decernere suam excederet potestatem: nihilominus Ucangius nihil animo fractus, ut suum finem consequeretur, in sequenti artificio opem quærebat: cum enim Triden-

Tridentina Synodus cunctis Archiepiscopis præciperet, ut cum Provinciæ suæ Episcopis una congregatis conferrent, junctaque opera ad Ecclesiarum Regimen necessaria decernerent, hinc Ucangius hanc occasionem perversis suis consiliis accommodam adhibere, ac jactato Synodi decretis obtemperandi obtentu Concilium Nationale convocare statuit, suique animi propositum Commendono manifestavit: equidem omnes ceteri Episcopi, probique Viri ejusmodi conventum exoptabant, imo ipsemet Commendonus Papæ Nuntius huic rei sese non opposuisset, nisi Ucangii indolem, atque iniqua ejusdem consilia sibi perspecta habuisset, ne tamen sibi crimini dari posset, perinde acsi tam salutari, atque ab omnibus pie sentientibus approbato operi obluctatus fuisset, hinc Synodum Petricoviæ convocari consensit. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. LXXVIII.

Gnesnensis Archiepiscopi hanc Synodum urgentis artes a Commendono dissipatæ.

Interea Commendonus cuncta Archiepiscopi molimina vigili oculo explorabat, cum autem comperisset, quod ipse clam hæreticos conquireret, eorumque antesignanos huic Synodo interesse vellet, mox de tota rei serie Regem *Grat. l. c.*

Sæcul XVI. A.C.1564.

gem per Nicolaum Volskium Kioviæ Episcopum Regi addictissimum certiorem fieri curabat; hic vero ab hæreticis seditionem conflari veritus, ad Ucangium, & ad Nuntium perscripsit, præcipiens, ut hæc Synodus ad tempus magis tranquillum remitteretur: hac igitur ratione Nationalis Synodi molimina fuere eversa, omnesque Ucangii artes dissipatæ.

§. LXXIX.

Impressa Tridentinæ Synodi decreta Commendono a Pontifice transmissa.

Grat. c. 11. Pallav. c. 13. num. 1.

Sub idem tempus Commendonus acta, & Tridentini Concilii decreta in unum volumen redacta a summo Pontifice recepit, unacum literis, quibus omnem operam impendere jubebatur, ut hæ decisiones tanquam fidei, & Ecclesiasticæ disciplinæ norma publice reciperentur. Eadem quoque mandata Commendonus a Pontifice receperat in Prussia, quo Cardinalem Osium olim Synodi Legatum visum ibat; hic enim non ita pridem Tridento redierat, ut in sua Varmiensi Diœcesi commorans, ibidem ministerii sui munia expleret. Itaque ambo de mediis ad optatum rei exitum necessariis conferunt, ut tamen difficul-

ficultates partim ob hæreticos; utpote potentissimos, partim ob Gnesnensem Archiepiscopum nonnisi turbandis rebus intentum offendebant, ut tutissimum fore arbitrarentur, si seorsim cum Rege agere, eique soli hoc volumen porrigere possent: Verum hoc minus honorificum videbatur, ac dubium remanebat, utrum absque repugnantia Regnum hæc decreta acceptaret, si ea haud consulto Senatu duntaxat Regi traderentur, aliunde vero, si res in Senatu proponeretur, timendum erat, ne multi vehementer sese opponerent, ac hæretici tantum efficerent, ut nonnisi ambiguum, vagumque responsum redderetur, quo Synodi æque, ac Pontificis auctoritatem eluderent. Sæcul. XVI. A. C. 1 64.

§. LXXX.

Synodi Decreta a Commendono Regi tradita.

In hoc ambiguo rerum statu tandem ambo concludebant, hoc volumen aut simul Regi, ac Senatui esse exhibendum, aut neutri tradendum. Arrepto hoc consilio Nuntius omni, qua potuit, celeritate profectus magnis itineribus Regem Varsoviæ in Lituaniæ finibus convenit, ubi tum hic Princeps Regni sui comitia celebrabat: quamprimum igitur Commendonus advenerat, *Pallav. & Grat. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

rat, mox Regem adibat, antequam quicquam aggrediebatur, aut rem cuicunque demum manifestabat; verebatur enim, ne Ucangio, ac hæreticis contra se clandestina cudendi consilia spatium præberet: igitur quantocius clam cum Rege confert, eumque suæ opinioni propitium reddit, remque eo adigit, ut Rex ei eadem adhuc die publice in Senatu perorandi facultatem daret; eapropter idem Rex Commendonum rogabat, ut paucis momentis in ejus cubiculo expectaret, donec ipse Senatum ingressus esset, paulo post autem Rex duos Senatores ad illum ablegabat, qui eundem ad conventum tum jam sat numerosum conducerent.

§. LXXXI.

Commendoni oratio in pleno Senatu habita pro Synodi promulgatione.

Grat. Pall. l. cap.

Ergo ad Senatum introducitur Commendonus, moxque sermonem suum, qui ab omnibus cum maxima attentione excipiebatur, exorsus rationes proferebat, propter quas summus Pontifex Synodum Oecumenicam convocasset: insuper carptim de illius initio, progressu, atque celebris hujus conventus exitu differens demonstratum ibat,

ibat, quod cuncta juxta avitas consue- Sæcul. XVI.
tudines, & Apostolicos Canones ibi- A. C. 1564.
dem gesta fuerint, nilque intermissum, quod ad explanandas Christianæ fidei veritates, ac disciplinæ capita desiderari posset. Postmodum exponebat, quod Pontifex hæc Synodi decreta approbasset, eaque promulgata in omnia regna cum summa sollicitudine transmisisset, ut ea a cunctis Christianis Principibus in usum deducerentur: „jussus „sum, prosequebatur Commendonus, „Regiæ suæ Majestati volumen decisio„num, atque Ecclesiasticarum Consti„tutionum exhibere, ut eas in Regno „suo executioni mandari præciperet, „huicque Concilio, cui ejus quoque Legati „intererant, submissionem testari vellet: „repletus est liber hic cœlestibus do„ctrinis, quæ Catholicis omnino uti„les, Provinciis autem novo hæresum „veneno infectis salutares erunt, nam „fluctuantes, dubiosque animos in vera „Ecclesiæ fide firmant: temerarius ita„que non minus, ac pertinax illorum „ausus foret, qui hæc decreta a tre„centis ferme Episcopis, omnibusque „totius Europæ doctissimis Viris tra„dita, ponderata, atque omnibus ra„tionibus probe antea discussis digesta „rejicere præsumeret: quapropter haud „mihi persuadere valeo, quod vel ullus

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„ſeſe Univerſalis Concilii deciſionibus „ſubjicere recuſaturus ſit, cum certum „conſtet, ejusmodi Synodum Spiritus „ſancti afflatu directam nihil decidiſſe, „niſi quod Jeſu Chriſti doctrina, ac ipſius„met Dei auctoritate ſuffultum ſit.„ His dictis prolixius comprobabat, quod Concilia in Eccleſia non modo ſint utilia, ſed & ad fidem, pietatemque conſervandam neceſſaria, ne intellectus humani imbecillitas a vero deviet, rectamque veritatis ſemitam derelinquat: inſuper Commendonus manifeſtos convellebat errores illorum, qui Eccleſiæ rebelles a portu ſalutis aberrarunt, nunc ſeditionis, ac errorum fluctibus miſere agitati.

„Quanta autem cæcitas, exclama„bat Nuntius, ubi quivis in ſuo ſenſu „abundans ſibi Religionem procudit, „ac quilibet æternarum veritatum Ju„dex, & arbiter eſſe præſumit: pri„vati quoque homines cultum, ritum„que, quo divina Majeſtas adoretur, „ejusque juſtitia placetur, præſcribunt, „atque ipſa etiam legis, ac Chriſtianæ „morum doctrinæ præcepta, quæ Deus „Eccleſiæ ſuæ revelavit, & Viri divino „Spiritu pleni ſcripto tradiderunt, cor„rigere, interpretari, imo & evertere „aggrediuntur: equidem hæretici hanc „injuſtitiam agnoſcunt, fateri tamen „eru-

„erubescunt; postquam enim obsequium Sæcul. XVI.
„præstare recusarunt legitimo Succes- A. C. 1564
„sori Divi Petri, pro quo Christus
„orabat, ut fides ejus non deficeret,
„sed fratres suos aliquando conversos
„confirmaret: insuper dum iidem etiam
„populos ad seditionem concitaverunt,
„suisque rebellionibus, ac violentiis in-
„tegras Provincias devastarunt, tandem
„ipsimet suarum factionum capita, no-
„vosque Pontificatus in Wittembergæ,
„& Genevæ angulis stabilire coacti sunt,
„novamque Magistratuum speciem in
„quibusdam obscuris sectæ suæ urbibus
„crearunt, adeo, ut in suis Synodis,
„quas sine ullo jure, rejectaque veteri
„forma celebrant, eandem potestatem
„quærant, quam tamen in Ecclesia Ca-
„tholica tolerare renuunt, dum Luthe-
„rum, Calvinum, aliosque nullius no-
„minis Doctores tanquam suos Magi-
„stros, ac Religionis suæ Interpretes a-
„gnoscunt: porro his omnibus, & sin-
„gulis Concilio interesse permittebatur,
„imo omnes quoque tam generatim,
„quam speciatim ad illud invitabantur,
„publicæ insuper securitatis sponsiones
„offerebantur singulis, qui aut suas
„querelas proponere, aut disputare, vel
„controversos articulos dilucidare, suas-
„que sententias proferre vellent: nihilo-
„minus hæretici contra sanctam hanc

Sæcul. XVI. A. C. 1564

„Synodum tumultuari audent: quam „iniquum autem est, se nec Pontifi„cum, nec Conciliorum decretis sub„jicere, ac communem Ecclesiæ con„sensum, fideique unitatem tantopere „ab omni retro antiquitate maximi ha„bitam rejicere? verum hi, qui non„nisi suorum affectuum impetus sequun„tur, ac sine legum fræno vivere an„hellant, sacris literis, Deique verbo „tanquam suæ iniquitatis velamine ab„uti, atque illud tanquam validissimum „suum propugnaculum objicere audent; „nam præter sacras Paginas alium ju„dicem respuunt, hominumque fragi„lium, qui falli, & fallere possunt, ju„dicia irrident, perinde acsi ipsimet „non etiam homines essent, ac infalli„bilitatis privilegio dotati florerent, ni„hilque sanctum, verumque audiret, „nisi id, quod ipsi somniati sunt: nul„la autem vera foret sacræ Scripturæ „interpretatio, nisi illa, quam ipsi suo „sensui consonam credunt.„

Postea Nuntius fusius exponebat, quam sacrilege hæretici contemnerent Ecclesiæ auctoritatem, cum tamen Deus huic promiserit, quod cum illa usque ad consummationem sæculi permanere velit, & contra eam portæ inferi non sint prævalituræ: his prolatis Nuntius prosequebatur: „considerate plurium „Re-

„Regnorum everſionem, ac mala, quo- Sæcul. XVI.
„rum exempla in meo itinere ipſus plu- A.C.1564.
„rima non tam vidi, quam deploravi.„
Poſt hæc Commendonus vivis vere coloribus depingebat ſeditiones, tumultus, homicidia, deprædationes, ſacrilegia, violentias Sacerdotibus illatas, Templorum, & altarium ruinas, bella civilia, exterasque rebelliones a novis hiſce opinionibus ſuſcitatas: mox vero ſermone ad ipſas Poloniæ calamitates converſo priſtinam hujus regni tranquillitatem, Religionis, ac opinionum unitatem, a quibus regnorum firmitas, ac ſecuritas dependet, cum præſentibus diſſidiis, ac tumultibus conferebat: tandem autem Polonos hortabatur, ut Nationis ſuæ honorem, gloriamque ſibi a ſuis Majoribus relictam tuerentur, ac vigiles, piique eſſent, necnon Univerſalis Concilii decretis ſeſe ſubjicerent, cum exinde omnibus tam regni, quam privatorum malis remedium propinetur: ideo illos monebat, ut rejicerent opiniones adeo incertas, diverſas, ac inter ſe tantopere repugnantes, quas nonniſi paucorum malitia introduxit, & plurium levitas, necnon vitæ licentioſæ cupido fovit. Tandem ſuæ orationi finem imponens, coram Deo profeſſus eſt, quod eos ſæpius tam publice, quam privatim Pontificis juſſu horta-

Sæcul. XVI A.C. 1564.

tus fuerit, adeo ut in illa die, ubi omnes homines coram tremendo Divin. Judicis Tribunali cum omnibus suis peccatis, falsisque virtutibus comparebunt, ipse eos obstinatos de sua pervicacia redarguere, ac contra eos testem agere possit.

§. LXXXII.

Senatus hoc sermone pie commotus.

Grat c. 11. Rayn. hoc ann. n. 54.

His dictis Nuntius Regi decretorum volumen porrigens, cum tanta verborum gravitate, Zelo, ac rationum vi perorabat, ut non modo Senatus, & præprimis seniores Consiliarii utpote pristinæ Regni tranquillitatis, ac turbarum caussæ memores commoverentur, sed ipsi etiam hæretici velut attoniti hærerent. Gratianus quoque, qui cuncta, quæ Commendonus gessit, nobis scripta reliquit, hæc asserit: *ego quidem, qui præsens penes Commendonum aderam, librum manu ferens, affirmare possum, plerosque lacrimantes me animadvertisse.* Nuntius dum sermonem suum absolverat, & librum Regi porrexerat, e Senatu discedere parabat, ut ceteris deliberandi spatium relinqueret: verum Rex illum remanere jussit; *haud enim*, dixit subridens, *minus libere apud te linguæ nostræ ignarum, quam si abesses, sententiæ a nobis dicentur:* mox igitur colligebantur

tur ſuffragia, ubi Gnesnenſis Archiepiſcopus, qui prior verba fecerat, pro ſuo more ampliſſimis verbis Pontificis ſtudium, ac Synodi Patrum prudentiam deprædicabat, præmiſſisque hiſce elogiis hunc librum honorifice eſſe recipiendum cenſebat, nullum tamen certum reſponſum eſſe dandum affirmabat, niſi illum Rex prius perlegiſſet, ac pro temporis opportunitate in ſuo Senatu diſcuſſiſſet. Verum Epiſcopi, & Catholici contra hanc Archiepiſcopi ſententiam vehementer inſurgebant, eoquod Synodi decreta judicio Regis, ac Senatus ſubjicere videretur. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. LXXXIII.

Tridentina Synodus a Rege, ac Senatu promulgata.

Mox Rex, nequidem expectata ceterorum ſententia, quam ex omnium indignatione in Archiepiſcopum concepta ſatis conjicere poterat, ipſus verba faciens hæc dixit: „ſatis mihi „perſuaſum habeo, quod Commendonus „orationem ex tempore habitam, cum „ea die in Senatum ſe eſſe vocandum „haud præſcire potuerit, tanta tamen „vi, atque ordine peroraverit, divini „Numinis inſtinctu magis, quam præme„ditatione, aut facultate ſua pronuntia„verit, eaque monita protulerit, ita- *Grat. l. c. Pallav. n. 3.*

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„que me omnino obſtrictum cenſeo, ut „hujus Concilii decreta recipiam, cun„ctisque ejus Sanctionibus, ut par eſt, „morem geram.„

His dictis Pro-Cancellarius pro more juxta Regis ſententiam Commendono reſpondit: Rex vero ad ſummum Pontificem literas dedit, quibus Synodum cum ſumma ſubmiſſione eſſe receptam ſignificabat. Data eſt hæc Regis epiſtola die decima octava Auguſti.

L. XXXIV.

Cardinales de Synodi promulgatione a Polonis facta per Papam edocti.

Raynald. num. 45.

Fauſtum hoc nuntium ſummus Pontifex in Patrum Senatu die ſexta Octobris habito eisdem annuntiabat, eis hæc exponens: „Poloniæ Rex in „quodam ſuorum Ordinum conventu „imo etiam coram Senatoribus hæreti„cis Concilii Tridentini acta ipſi per no„ſtrum Nuntium delata acceptavit, pol„licitusque fuit, ſe toto ſtudio curatu„rum, ut hæ ſanctiones in Univerſo „ſuo Regno executioni mandentur: in„ſuper idem Rex plura condidit de„creta contra hæreticos, qui novos er„rores ubique ſpargebant, præcipue „vero perſequitur exteros, quos omnes „ſuo Regno exulare juſſit.„ Haſce literas

teras Gonzaga Cardinalis ex Presbyteris postremus, cum nullus e Cardinalibus Diaconis tunc adesset, in Patrum Senatu prælegit, ubi etiam summus Pontifex hunc Regem summis laudibus vel eo nomine honorabat, eoquod idem, quamvis ejus Regnum hæreticis undique repletum esset, cuncta tamen consilia, quæ ipsi humana prudentia ad conciliandos eorum animos suggerere poterat, contempserit, plurisque habuerit Concilii Tridentini acceptationem, illiusque promulgationem: eapropter omnibus Cardinalibus, qui variorum regnorum Protectores erant, in mandatis dedit Pontifex, ut cunctos alios Principes datis ad eos literis hortarentur, atque eis præclarum hoc Poloniæ Regis exemplum proponerent, & ad æquale Religionis studium animarent. Ceterum hujus Regis edictum de exteris hæreticis Regno expellendis datum est die septima Mensis Augusti. (*)

§. LXXXV.

Variæ Pontificis Bullæ pro disciplina.

(*) Constat igitur, quod Tridentina Synodus exceptis Gallis, ab omnibus aliis fuerit recepta, ac alicubi promptiorem promulgationem duntaxat hæretici retardaverint.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

His ita peractis Pius IV. summus Pontifex unice Ecclesiæ disciplinam juxta Synodi decreta restaurare intentus erat: quapropter primo, quod edidit, diplomate Episcopos, aliosque, quibus animarum cura demandata erat, ad residendum adstringebat, præcipiens, ut eorum, qui residere renuunt, bona Cameræ Apostolicæ ærario cedant. Exstat adhuc alia Bulla magis severa circa eandem residendi legem; tertia autem declarabat Pontifex, quod gratiæ, per quas cuncti de beneficiis provisi, ob studia autem absentes absque Residentia fructus percipere permittebantur, sine Ordinariorum consensu nullius valoris essent. Denique quarta emanabat Constitutio, qua severissimis pœnis omnes, qui beneficia *in confidentiam* retinent, subjicit, simulque juramenti formulam præscribit, qua omnes, qui beneficia possident, tam sæculares, quam Regulares, tam Clerici, quam Laici Ordini cuidam militari adscripti, ante sui beneficii possessionem sese obstringere tenentur. Hæc jurata fidei professio in Concilii actis ad calcem reperitur, Bulla vero, quæ hac occasione Idibus Novembris, seu die decima tertia ejusdem Mensis edebatur, his concepta est verbis.

Ciacon. t. 3. pag. 880. Spond. hoc ann. n. 2.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Bulla Pontificis circa juramentum de profitenda fide.

Labb. Coll. Conc. tom. 14. pag. 944. & seq.

„Pius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. „Injunctum nobis Apostolicæ servitutis „officium requirit, ut ea, quæ Domi„nus omnipotens ad providam Ecclesiæ „suæ directionem, sanctis Patribus in „nomine suo congregatis, divinitus in„spirare dignatus est, ad ejus laudem, „& gloriam incunctanter exequi prope„remus: cum itaque juxta Concilii Tri„dentini dispositionem omnes, quos „deinceps cathedralibus, & superiori„bus Ecclesiis præfici, vel quibus illa„rum dignitatibus, Canonicatibus, & „aliis quibuscunque beneficiis Ecclesia„sticis, curam animarum habentibus „provideri continget, publicam Ortho„doxæ fidei professionem facere, sese „que in Romanæ Ecclesiæ obedientia „permansuros spondere, & jurare te„neantur: nos volentes, etiam per „quoscunque, quibus de monasteriis, „conventibus, domibus, & aliis qui„buscunque locis, Regularium quorum„cunque Ordinum, quocunque nomine, „vel titulo providebitur, idem servari, „& ad hoc, ut unius ejusdem fidei „professio uniformiter ab omnibus ex„hibea-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„hibeatur, unicaque, & certa illius for„ma cunctis innoteſcat, noſtræ ſollici„tudinis partes, in hoc alicui minime „deſiderari: formam ipſam, præſentibus „annotatam, publicari, & ubique gen„tium per eos, ad quos ex decretis i„pſius Concilii, & alios prædictos ſpe„ctat, recipi, & obſervari, ac ſub pœ„nis per Concilium ipſum in contrave„nientes latis, juxta hanc, & non aliam „formam, profeſſionem prædictam ſole„mniter fieri, auctoritate Apoſtolica „tenore præſentium diſtricte præcipien„do mandamus, hujusmodi ſub tenore.

§. LXXXVII.

Fidei Profeſſionis norma.

„Ego N. firma fide credo, & profi„teor omnia, & ſingula, quæ con„tinentur in Symbolo fidei, quo Sancta „Romana Eccleſia utitur, videlicet: „credo in unum Deum Patrem omni„potentem, factorem cœli, & terræ vi„ſibilium omnium, & inviſibilium, & in „unum Dominum JEſum Chriſtum, fi„lium Dei unigenitum, & ex Patre na„tum ante omnia ſæcula, Deum de „Deo, lumen de lumine, Deum verum „de Deo vero, genitum non factum, con„ſubſtantialem Patri, per quem omnia „facta ſunt, qui propter nos homines, „& propter noſtram ſalutem, deſcendit „de

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„de cœlis, & incarnatus est de Spiritu „Sancto ex Maria Virgine, & homo fa- „ctus est, crucifixus etiam pro nobis „sub Pontio Pilato, passus, & sepultus „est, & resurrexit tertia die, secundum „Scripturas, & ascendit in cœlum, se- „det ad dexteram Patris, & iterum „venturus est cum gloria, judicare vi- „vos, & mortuos, cujus regni non erit „finis; & in Spiritum Sanctum, Domi- „num, & vivificantem, qui ex Patre, „Filioque procedit, qui cum Patre, & „Filio simul adoratur, & conglorifica- „tur, qui locutus est per Prophetas, & „unam sanctam, catholicam, & aposto- „licam Ecclesiam: confiteor unum Ba- „ptisma in remissionem peccatorum, & „vitam venturi sæculi. Amen. Apo- „stolicas, & Ecclesiasticas traditiones, „reliquasque ejusdem Ecclesiæ obser- „vationes, & constitutiones firmissime „admitto, & amplector: item sacram „Scripturam juxta eum sensum, quem „tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, „cujus est, judicare de vero sensu, & „interpretatione sacrarum Scriptura- „rum, nec eam unquam, nisi juxta u- „nanimem consensum Patrum accipiam, „& interpretabor.

„Profiteor quoque septem esse vere, „& proprie Sacramenta novæ legis a „JEsu Christo Domino nostro instituta, „atque

Sæcul. XVI. A. C. 1564

„atque ad ſalutem humani generis, li-
„cet non omnia, ſingulis neceſſaria: ſci-
„licet Baptiſmum, Confirmationem, Eu-
„chariſtiam, Pœnitentiam, Extremam
„unctionem, Ordinem, & Matrimonium,
„illaque gratiam conferre, & ex his Ba-
„ptiſmum, Confirmationem, & Ordi-
„nem ſine Sacrilegio reiterari non poſ-
„ſe. Receptos quoque, & approbatos
„Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſupradi-
„ctorum omnium Sacramentorum ſo-
„lemni adminiſtratione recipio, & ad-
„mitto: omnia, & ſingula, quæ de pec-
„cato originali, & de juſtificatione in
„Sacroſancta Tridentina Synodo defi-
„nita, & declarata fuerunt, amplector,
„& recipio: profiteor pariter in Miſſa
„offerri Deo verum, proprium, & pro-
„pitiatorium Sacrificium pro vivis, &
„defunctis, atque in Sanctiſſimo Evcha-
„riſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter,
„& ſubſtantialitet Corpus, & Sangui-
„nem una cum anima, & divinitate Do-
„mini Noſtri JEſu Chriſti, fierique con-
„verſionem totius ſubſtantiæ panis in
„Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in
„Sanguinem, quam converſionem ca-
„tholica Eccleſia transſubſtantiationem
„appellat. Fateor etiam ſub altera
„tantum ſpecie, totum, atque integrum
„Chriſtum, verumque Sacramentum
„ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium

„eſſe

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„esse, animasque ibi detentas fidelium „suffragiis juvari: similiter, & Sanctos „una cum Christo regnantes, veneran„dos, atque invocandos esse, eosque o„rationes Deo pro nobis offerre, atque „eorum reliquias esse venerandas. Fir„missime assero, imagines Christi, ac „Deiparæ semper Virginis, nec non a„liorum Sanctorum, habendas, & reti„nendas esse, atque eis debitum hono„rem, ac venerationem impertiendam: „indulgentiarum etiam potestatem a „Christo in Ecclesia relictam fuisse, il„larumque usum Christiano populo ma„xime salutarem esse, affirmo: sanctam, „catholicam, & Apostolicam Roma„nam Ecclesiam, omnium Ecclesia„rum Matrem, & Magistram agnosco, „Romanoque Pontifici, beati Petri A„postolorum Principis Successori, ac „JEsu Christi Vicario, veram obedien„tiam spondeo, ac juro: cetera item o„mnia a sacris Canonibus, & Oecume„nicis Conciliis, ac præcipue a Sacro„sancta Tridentina Synodo tradita, de„finita, & declarata, indubitanter reci„pio, atque profiteor, simulque contra„ria omnia, atque hæreses quascunque „ab Ecclesia damnatas, rejectas, & a„nathematizatas, ego pariter damno, „rejicio & anathematizo: Hanc veram „catholicam fidem, extra quam nemo „salvus

Sæcul. XVI. A. C. 1564

„ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti „ſponte profiteor, & veraciter teneo, ean„dem integram, & inviolatam, uſque „ad extremum vitæ ſpiritum conſtan„tiſſime Deo adjuvante, retinere, & „confiteri, atque a meis ſubditis, vel „illis, quorum cura ad me in munere „meo ſpectabit, teneri, doceri, & præ„dicari, quantum in me erit, curatu„rum, ego idem N. ſpondeo, voveo, ac „juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc „ſancta Dei Evangelia.„

Hæc erat illa fidei profeſſio, qua finita Pontificis Conſtitutio his verbis abſolvebatur.

„Volumus autem, quatenus præſentes „literæ in Cancellaria noſtra Apoſtoli„ca de more legantur, &, ut omnibus „facilius pateant, in ejus quinterno „deſcribantur, ac etiam imprimantur.

„Nulli ergo omnino hominum li„ceat hanc paginam noſtræ voluntatis, „& mandati infringere, vel ei auſu te„merario contraire: ſiquis autem hoc „attentare præſumpſerit, indignationem „Omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe„tri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe no„verit incurſurum. Datum Romæ a„pud Sanctum Petrum, anno Incarna„tionis Dominicæ milleſimo quingen„teſimo ſexageſimo quarto, die decima

„ tertia

„tertia Novembris, Pontificatus noſtri „anno quinto.„ Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. LXXXVIII.

Ejusdem Pontificis diploma circa Indicem librorum prohibitorum.

Paulo ante ſummus Pontifex aliam conſtitutionem die vigeſima quarta Martii edidit, qua librorum prohibitorum Indicem a quibusdam per Synodum deputatis concinatum confirmabat, prout in Seſſione decima octava, quæ ſub Pio IV. ſecunda erat, deciſum fuit: eodem igitur diplomate ſummus Pontifex cujuscunque conditionis hominibus ejusmodi libros retinere, aut legere prohibuit, exceptis ſacræ Inquiſitionis Cardinalibus, quibus etiam facultatem conceſſit, ut non tantum ipſimet illos legere, ſed & aliis eosdem legendi gratiam facere poſſent: porro hæc eadem exceptio per aliud decretum fuit confirmata, utraque tamen licentia ad ſequentes decem Regulas auctoritate Synodi ſtatutas reſtringebatur. *Labbe l. c. p. 950.*

§. LXXXIX.

Regulæ indicis circa librorum prohibitionem.

Regula I.

„Libri omnes, quos ante annum mil„leſimum quingenteſimum deci-

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„mum quintum, aut Summi Pontifi-
„ces, aut Concilia Oecumenica da-
„mnarunt, & in hoc indice non sunt, eo-
„dem modo damnati esse censeantur,
„sicut olim damnati fuerunt.

Regula II.

„Hæresiarcharum Libri, tam eorum,
„qui post prædictum annum hæ-
„reses invenerunt, vel suscitarunt, quam
„qui hæreticorum capita, aut Duces
„sunt, vel fuerunt, quales sunt Luthe-
„rus, Zwinglius, Calvinus, Balthasar
„Pacimontanus, Swenchfeldius, & his
„similes, cujuscunque nominis, tituli,
„aut argumenti existant, omnino pro-
„hibentur; aliorum autem hæretico-
„rum libri, qui de Religione quidem ex
„professo tractant, omnino damnantur;
„qui vero de Religione non tractant, a
„Theologis Catholicis, jussu Episcopo-
„rum, & Inquisitorum examinati, &
„approbati permittantur. Libri etiam
„Catholici conscripti, tam ab aliis, qui
„postea in hæresin lapsi sunt, quam ab
„illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gre-
„mium rediere, approbati a Facultate
„Theologica alicujus Universitatis Ca-
„tholicæ, vel ab Inquisitione generali,
„permitti poterunt.

Regu-

Regula III.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„Verſiones Scriptorum etiam Eccle-
„ſiaſticorum, quæ hactenus editæ
„ſunt a damnatis auctoribus, modo ni-
„hil contra ſanam doctrinam conti-
„neant, permittuntur: librorum autem
„veteris teſtamenti verſiones, viris
„tantum doctis, & piis judicio Epiſco-
„pi concedi poterunt: modo hujusmo-
„di verſionibus, tanquam elucidationi-
„bus Vulgatæ editionis, ad intelligen-
„dam ſacram Scripturam, non autem
„tanquam ſacro textu utantur: Ver-
„ſiones vero novi teſtamenti ab aucto-
„ribus primæ claſſis hujus indicis factæ
„nemini concedantur, quia utilitatis
„parum, periculi vero plurimum Lecto-
„ribus ex earum lectione manare ſo-
„let: ſi quæ vero annotationes cum
„hujusmodi, quæ permittuntur, verſio-
„nibus, vel cum Vulgata editione cir-
„cumferentur, expunctis locis ſuſpectis
„a facultate Theologica alicujus Uni-
„verſitatis Catholicæ, aut Inquiſitione
„generali, permitti eisdem poterunt,
„quibus & verſiones. Quibus condi-
„tionibus totum volumen bibliorum,
„quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut
„partes ejus, concedi viris piis, & do-
„ctis poterunt: ex Bibliis vero Iſido-
„ri Clarii Brixiani prologus, & prole-

Sæcul. XVI A.C.1564.

„gomena præcidantur: ejus vero tex-
„tum nemo textum Vulgatæ editionis
„esse existimet.

Regula IV.

„Cum experimento manifestum sit, si
„sacra Biblia vulgari lingua passim
„sine discrimine permittantur, plus in-
„de, ob hominum temeritatem, detri-
„menti, quam utilitatis oriri: hac in
„parte judicio Episcopi, aut Inquisito-
„ris stetur: ut cum consilio Parochi, vel
„Confessarii, Bibliorum a catholicis au-
„thoribus versorum lectionem in vul-
„gari lingua eis concedere possint, quos
„intellexerint ex hujusmodi lectione,
„non damnum, sed fidei, atque pieta-
„tis argumentum capere posse: quam
„facultatem in scriptis habeant: qui
„autem absque tali facultate ea legere,
„seu habere præsumpserit, nisi prius
„Bibliis Ordinario redditis, peccato-
„rum absolutionem percipere non possit:
„Bibliopolæ vero, qui prædictam facul-
„tatem non habent, Biblia idiomate
„vulgari conscripta vendiderint, vel a-
„lio quovis modo concesserint, libro-
„rum pretium in usus pios ab Episco-
„po convertendum, amittant, aliisque
„pœnis pro delicti qualitate ejusdem
„Episcopi arbitrio subjaceant: Regu-
„lares vero nonnisi facultate a Præla-
„tis

„tis ſuis habita, ea legere, aut eme„re poſſint.

Regula V.

„Libri illi, qui hæreticorum auctorum „opera interdum prodeunt, in qui„bus nulla, aut pauca de ſuo apponunt, „ſed aliorum dicta colligunt, cujus„modi ſunt Lexica, concordantia, a„pophtegmata, ſimilitudines, indices, „& hujusmodi, ſi quæ habeant admiſta, „quæ expurgatione indigeant, illis „Epiſcopi, & Inquiſitores, una cum „Theologorum conſilio, ſublatis, aut „emendatis, permittantur.„

Regula VI.

„Libri vulgari idiomate de controver„ſiis inter Catholicos, & hæreti„cos noſtri temporis diſſerentes, non „paſſim permittantur, ſed idem de iis „ſervetur, quod de Bibliis vulgari lin„gua ſcriptis ſtatutum eſt: qui vero „de ratione bene vivendi, contemp„landi, confitendi, ac ſimilibus argu„mentis, vulgari ſermone conſcripti „ſunt, ſi ſacram doctrinam contineant, „non eſt, cur prohibeantur, ſicut nec „ſermones populares vulgari linqua ha„biti. Quodſi hactenus in aliquo re„gno, vel provincia aliqui libri ſint pro„hibiti, quod nonnulla continerent, qúæ „ſine delectu ab omnibus legi non ex„pediat;

Sæcul. XVI A.C. 1564.

„pediat; si eorum auctores Catholici „sunt, postquam emendati fuerunt, per„mitti ab Episcopo, & Inquisitore pot„erunt.„

Regula VII.

„Libri, qui res lascivas, seu obscenas „ex professo tractant, narrant, aut „docent, cum non solum fidei, sed & „morum, qui hujusmodi librorum le„ctione facile corrumpi solent, ratio „habenda sit, omnino prohibentur, & „qui eos habuerint, severe ab Episco„pis puniantur: antiqui vero ab eth„nicis conscripti, propter sermonis ele„gantiam, & proprietatem permittun„tur, nulla tamen ratione pueris præ„legendi erunt.„

Regula VIII.

„Libri, quorum principale argumen„tum bonum est, in quibus tamen „obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæ„resin, seu impietatem, divinationem, „seu superstitionem spectant, a Catho„licis Theologis, inquisitionis genera„lis auctoritate, expurgati concedi pos„sint. Idem judicium sit de prologis, „summariis, seu annotationibus, quæ „a damnatis auctoribus, libris non dam„natis, appositæ sunt, sed posthac non„nisi emendati excudantur.„

Regu-

Sæcul. XVI.
A. C. 1564.

Regula IX.

„Libri omnes, & ſcripta geomantiæ, „hydromantiæ, aeromantiæ, py„romantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, „necromantiæ, ſive in quibus conti„nentur ſortilegia, veneficia, augu„ria, auſpicia, incantationes artis ma„gicæ, prorſus rejiciuntur: Epiſcopi „vero diligenter provideant, ne aſtro„logiæ judiciariæ libri, tractatus, in„dices legantur, vel habeantur, qui de „futuris contingentibus, ſucceſſibus, „fortuitisve caſibus, aut iis actionibus, „quæ ab humana voluntate pendent, „certo aliquid eventurum affirmare au„dent: permittuntur autem judicia, „& naturales obſervationes, quæ na„vigationis, agriculturæ, ſive medi„cæ artis juvandæ gratia conſcripta ſunt.

Regula X.

„In librorum, aliarumve Scripturarum „impreſſione ſervetur, quod in Con„cilio Lateranenſi ſub Leone X. Seſſio„ne decima ſtatutum eſt: quare, ſi in „alma Urbe Roma liber aliquis ſit im„primendus, per Vicarium Pontificis, „& ſacri Palatii Magiſtrum, vel per„ſonas a Sanctiſſimo Domino noſtro de„putandas examinetur: in aliis vero lo„cis ad Epiſcopum, vel alium haben„tem ſcientiam libri, vel Scripturæ im„pri-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

„primendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus civitatis, vel Diœcesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum propria subscriptione gratis, & sine dilatione imponendam, sub pœnis, & censuris in eodem decreto contentis, approbetur, hac lege & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, & manu auctoris subscriptum, apud examinatorem remaneat. Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus impressores, & qui eos habuerint, & legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur, ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque, & examen, ac cetera gratis fiant: præterea in singulis civitatibus, ac Diœcesibus, domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, & bibliotheca librorum venalium, sæpius visitentur á personis ad id deputandis ab Episcopo, seu ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut impri-

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„primatur, aut vendatur, aut habea-
„tur: omnes vero Librarii, & quicun-
„que librorum venditores, habeant in
„ſuis Bibliothecis indicem librorum ve-
„talium, quos habent, cum ſubſcri-
„ptione dictarum perſonarum, nec alios
„libros habeant, aut vendant, aut qua-
„cunque ratione tradant ſine licentia
„eorundem Deputatorum, ſub pœna a-
„miſſionis librorum, & aliis arbitrio Epi-
„ſcoporum, vel Inquiſitorum imponen-
„dis: emptores vero, lectores, vel
„impreſſores eorundem arbitrio punian-
„tur: quod ſi aliqui libros quoscunque
„in aliquam civitatem introducant, te-
„neantur eisdem perſonis deputandis
„renuntiare, vel ſi locus publicus mer-
„cibus ejusmodi conſtitutus ſit, mi-
„niſtri publici ejus loci prædictis per-
„ſonis ſignificent libros eſſe adductos.
„Nemo vero audeat librum, quem ipſe,
„vel alius in civitatem introduxit, ali-
„cui legendum tradere, vel aliqua ra-
„tione alienare, aut commodare, niſi
„oſtenſo prius libro, & habita licentia
„a perſonis deputandis, aut niſi noto-
„rie conſtet, librum jam eſſe omnibus
„permiſſum. Idem quoque ſervetur ab
„hæredibus, & executoribus ultima-
„rum voluntatum, ut libros a defunctis
„relictos, ſive eorum indicem illis per-
„ſonis deputandis offerant, & ab iis li-
„cen-

Sæcul. XVI A.C. 1564

„centiam obtineant, priusquam eis utan„tur, aut in alias personas quacunque „ratione transferant: in his autem om„nibus, & singulis pœna statuatur vel „amissionis librorum, vel alia arbitrio „eorundem Episcoporum, vel inquisi„torum, pro qualitate contumaciæ, vel „delicti.„

„Circa vero libros, quos Patres de„putati examinarunt, aut expurgarunt, „aut expurgandos tradiderunt, aut cer„tis conditionibus, ut rursus excude„rentur, concesserunt; quidquid illos „statuisse constiterit, tam biblicpolæ, „quam ceteri observent: liberum ta„men sit Episcopis, aut Inquisitoribus „generalibus, secundum facultatem, „quam habent, eos etiam libros, qui „his regulis permitti videntur, prohi„bere, si hoc in suis regnis, aut pro„vinciis, vel diæcesibus expedire judi„caverint. Ceterum nomina cum li„brorum, qui a Patribus deputatis pur„gati sunt, tum eorum, quibus illi „hanc provinciam dederunt, eorundem „Deputatorum Secretarius Notario sa„cræ universalis Inquisitionis Romanæ „descripta Sanctissimi Domini nostri „jussu tradidit. Ad extremum vero om„nibus fidelibus præcipitur, ne quis „audeat contra harum Regularum præ„scriptum, aut hujus indicis prohibi„tionem

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

„tionem libros aliquos legere, aut ha-„bere. Quodsi quis libros hæretico-„rum, vel cujusvis auctoris scripta, ob „hæresim, vel ob falsi dogmatis suspi-„cionem damnata, atque prohibita le-„gerit, sive habuerit, statim in excom-„municationis sententiam incurrat: qui „vero libros alio nomine interdictos le-„gerit, aut habuerit, præter peccati „mortalis reatum, quo afficitur, judi-„cio Episcoporum severe puniatur.

Observandum venit, quod hic Index in Galliis rursus nullius auctoritatis sit, proin in hoc Regno libri ibidem condemnati absque peccati reatu libere legi valeant, dummodo ex seipsis periculum non afferant, id vero si foret, tunc non ex eo, quod Romæ librorum Indici fuerint inserti, eorum lectio est prohibita, sed ex eo tantum, quia periculum in eorum lectione occurrit. (*)

§. XC.

Sodalitates a Papa vel erectæ, vel confirmatæ.

Aliud insuper diploma edidit Pius IV. quo celebrem in Hispaniis Sodalitatem Nominis Jesu confirmavit, ac Bur- *Bullar. vet. edit Const. 13. Ciacon. pag. 880.*

(*) Hæc animadversio sane magna observatione, non autem Scriptore Catholico digna est.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Burgenſes, aliarumque civitatum Sodales in eodem Regno pluribus, iisque ampliſſimis privilegiis locupletavit: porro illi, qui huic Sodalitati nomen dabant, juramenta, niſi in gravi neceſſitate, cauſſisque urgentibus, præpedire adſtringebantur: inſuper aliam Sodalitatem confirmavit, quæ in Fratrum Minorum Conventualium Eccleſia ad SS. duodecim Apoſtolos dicta Romæ jam antea in honorem Sanctiſſimi Sacramenti, atque in oppreſſorum, & pauperum mendicare erubeſcentium ſubſidium erecta erat; ejusmodi enim miſeris Sodales hi ſuccurrere tenentur: porro hanc Sodalitatem impoſterum ſub Sanctorum duodecim Apoſtolorum invocatione celebrari voluit Pontifex, qui etiam paulopoſt præceperat, ut hæc Sodalitas Sanctiſſimi Sacramenti venerationem cederet Sodalitati Corporis Chriſti a Paulo III. Pontifice olim erectæ in Eccleſia Beatæ Mariæ ſupra Minervam Ordinis Prædicatorum, ipſa vero deinceps duntaxat pauperum, atque egenorum curam ſibi reſervaret, quam diligentiſſime etiamnum exercet. Denique idem Pontifex in omnibus Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus Eccleſiis juxta Tridentinæ Synodi decreta pro juvenibus Clericis tam in literis, quam in pietate imbuendis ſeminaria erigi

erigi curabat, quam in rem die decima quarta Julii ad Joannem Patriarcham Venetum, & die vigesima secunda ejusdem Mensis ad Antonium Albonum nominatum Lugdunensem Archiepiscopum literas dabat, ut vero ceteri ipsius exemplo ad pium hoc opus excitarentur, ipse Romanum Seminarium condidit, cujus curam Jesuitis committi posse arbitrabatur. Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. XCI.

Initia Oratorii a S. Philippo Nerio erecti.

Pius IV. Pontifex, cum ejusdem Zelus hisce operibus satiari haud posset, sancto quoque Philippo Nerio proficuam præstitit operam in erigenda ejus Congregatione, quæ ad regularem vivendi normam hoc anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto redigi cæperat: porro hic idem sanctus Anno Christi millesimo quingentesimo decimo quinto die vigesima secunda Julii Florentiæ ex nobili Etruriæ familia natus erat, atque humaniorum literarum curriculo in patria sua confecto Romam veniens cum tanto profectu Philosophiæ, ac Theologiæ Scholasticæ operam navabat, ut ferme omnes, qui Romæ celebriores erant, hujus Viri amicitiam sibi demereri certarent: Philippus

Raynald. hoc ann. n. 5. Gallonius in vita S. Phil. ann. 1564.

Sæcul. XVI. A.C. 1564

lippus tamen longe magis virtute, quam scientia sese commendatum reddebat; quippe Scholam egressus ad interius cubile suum sese recepit, ubi in sacris literis, antiquis Patribus, & Ecclesiæ Canonibus profundissimam hauriebat notitiam, ita tamen, ut tam præclaræ sublimis ingenii dotes semper magis, magisque ejus humilitatem augerent, totamque suam scientiam impenderet, ut plurimos juvenes a vitæ licentia aversos postea ad veram pietatem accenderet: insuper Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo Parisiani Rosæ, qui ejus conscientiam moderabatur, opera plurimum adjutus celebrem Sodalitatem Sanctissimæ Triadis in Ecclesia ad S. Salvatorem in Campo pro exterorum pauperum, peregrinantium, & convalescentium omni receptaculo destitutorum sublevamine erexerat: porro innumeræ hæ actiones piæ, quas in hoc studio exercebat, necnon ingens fructus, quem ejus charitas in Ecclesia proferebat, quatenus sese adhuc magis ad pia hæc opera idoneum redderet, ab eo deposcere videbantur, ut sacris Ordinibus initiaretur: hinc ipsius Confessarius eum reluctantem ad id adegit, unde trimestri nondum expleto sacram Tonsuram, omnesque reliquos Ordines susceptit, ac die vigesima

ma tertia Maji Anno reparatæ Salutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Sacerdos inauguratus eſt. Agebat tum annum ætatis ſuæ trigeſimum ſextum, paulopoſt autem ſancti Hieronymi Sacerdotes, qui a charitate nomen trahunt, acceſſit, ibidemque excipiendis ſacris Confeſſionibus ſeſe impendit. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto quamplurimos ſuo miniſterio ad meliorem frugem reduxerat, & præcipue Joannem Baptiſtam Salviatum ejusdem nominis Cardinalis fratrem, & Catharinæ Mediceæ Franciæ Reginæ avunculum, necnon Franciſcum Mariam Tarugium poſtea Cardinalem Julii III. Papæ Nepotem, & Conſtantium Taſſonium, atque Joannem Baptiſtam Modium, Antonium Fuccium, pluresque alios celebres viros Chriſto lucriſecit, qui ſuum ei operam addicentes Noſocomia viſitarunt, eorumque numerus excrevit ad viginti circiter, qui omnes eodem Chriſti Regnum in terris extendendi deſiderio flagrabant. His poſtea Baronius, dein Cardinalis, celebris Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, & Bordinus poſtea Avenionenſis Archiepiſcopus, necnon Alexander Fidelis ſeſe ſociabant, unde anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo Romæ

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

mæ ortum ſuum traxit Sacerdotum Oratorii Societas, quæ nonniſi Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto in Congregationem coaleſcebat. Sub idem tempus Philippus Nerius a Florentinæ Urbis Magiſtratu, & populo adactus regendam ſuſcepit Eccleſiam, quæ ad Nationem Florentinam pertinens Romæ ſub nomine ſancti Joannis Baptiſtæ erecta fuerat, ibidem vero ei aſſignabatur Domus huic Eccleſiæ contigua, ut ibi unacum ſuis ſociis habitare poſſet, additis etiam ad eorum ſuſtentationem annuis redditibus: porro hucusque hujus ſancti Sodales nonniſi laici erant: aſt novæ hujus Congregationis neceſſitate, necnon piorum quorumdam monitis ſtimulati ex illis præcipui Sacerdotium ſuſcipere decreverant, ac præprimis tres duntaxat ſeligebantur, qui erant Baronius, Joannes Franciſcus Bordinus, & Alexander Fidelis: ab eo autem tempore ſancti Philippi Nerii Diſcipuli communis vitæ ſocietate uti incœperant, brevique ejus Congregatio Sacerdotibus abundabat, quibus mox Verbum Dei prædicandi, ac populorum confeſſiones excipiendi cura demandata eſt.

§. XCII.

Sæcul. XVI. A. C. 1564

§. XCII.

Deputatus ab Armenorum Patriarcha ad Papam ablegatus.

Sub ejusdem Pii IV. Pontificatu Armenorum Patriarcha, quem Abid-Jehu Salacæ Succeſſorem fuiſſe dicunt, Eccleſiæ Romanæ fidem palam profitebatur, ac ſummi Pontificis Primatum agnoſcebat. Hanc in rem Nuntium nomine Abagarum decrevit unacum binis literis, quarum prima nomine omnium ſibi ſubjectorum ſeſe Chriſti Domini Vicario ſubmiſit, altera vero ejusdem benedictionem petens, ejus patrocinium exorabat his verbis: „petimus, ut con„firmetis, & renovetis patrocinium, quod „olim Beatiſſimus bonæ memoriæ Papa „Silveſter, & S. Conſtantinus Imperator „largitus eſt Regi noſtro Tartaro, & S. „Gregorio primo noſtro Patriarchæ, ſeu „Catholico, obſecramus, confirmate, ac „nobis remittite, renovantes veterem „illam inter nos amicitiam, ut fiat *unum ovile, & unus Paſtor.* *Raynald. num.* 51.

Hæc epiſtola die prima Aprilis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio data erat Ethemiazin vulgo Trecclesiis prope Erivan Armeniæ urbem, quæ etiam Turcomania dicebatur, & Perſarum Regis imperio obnoxia erat. Hæ literæ anno ſequenti die vigeſima Martii

Sæcul XVI. A. C. 1564.

tii ſummo Pontifici tradebantur, una-cum fidei profeſſione a Patriarcha transmiſſa, quæ plures continens articulos a Joanne Baptiſta, qui erat Æthiops quidam tum Romæ commorans, latine reddita eſt: de cetero in epiſtola Spiritus ſancti Proceſſio a Patre, Filioque diſertis verbis adſtruitur: profitetur etiam Patriarcha ſeptem Sacramenta, & tria duntaxat prima Concilia Oecumenica, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum: dicitur quoque, quod Patriarcha, omnesque, qui ejus auctoritatem venerantur, nec fermentato pane, nec aqua in Altaris Sacrificio utantur. „Omnes Monachi noſtri, in-„quit, ſunt caſti, ac Virgines, & „nunquam ducunt uxores: clerici vero „non Regulares illas ducunt, ac poſtea „Sacerdotes fiunt: ceterum centum, „ac quinquaginta quinque diebus in „quolibet anno jejunamus, abſtinentes „etiam a piſcibus, & lacticiniis: inſu-„per alios etiam intra annum quinque „dies jejunii habemus, in quibus ova, „& lacticinia comedimus. Nullo die „dominico totius anni de alicujus ſancti, „vel ſanctæ feſtivitate memoriam faci-„mus, niſi de Domino noſtro tantum, „atque omnes ſub utraque ſpecie com-„municamus: porro primam, & ſe-„cundam copulam Matrimonii bene-„dici-

„dicimus, ac coronamus, tertiam vero „minime: denique nos omnes credi- „mus, quidquid ſancta, Catholica, & „Apoſtolica Eccleſia credit, & quid- „quid ipſa anathematizat, nos quoque „anathematizamus. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Hic Patriarcha cum mira dexteritate, ac ſcientia præditus eſſet, plures Neſtorii Sectatores ab errore retrahens Catholicorum numerum oppido auxit.

§. XCIII.

Hiſpaniæ Rex Papam exorans pro obtinendo B. Didaci Canoniſatione.

Idem ſummus Pontifex hoc anno die decima quarta Aprilis a Cardinale Alexandrino Philippi II. Hiſpaniæ Regis, ejus Filii, Complutenſis Academiæ, totiusque Provinciæ ſupplicem acceperat libellum, quo hi unaomnes Papam rogabant, quatenus Canoniſationem Beati Didaci ex oppido S. Nicolai, Fratris Laici, ſeu Converſi ex Ordine Fratrum Minorum promovere velit: porro jam ante centum annos hic Religioſus Sanctitatis fama conſpicuus in Henareſino Conventu obiit, cum vero ejus patrocinio multa miracula olim patrata, atque etiamnum patrari referretur, hinc Pontifex habita etiam *Rayn. n. 58. Galeſin. vit. S. Did. apud Sur. pag. 298.* Vide Lib. CXII. §. XCVI.

Sæcul. XVI. A. C 1564.

harum precum ratione Cardinales de Ara Cœli, Sarraſinum, Alexandrinum, & Vitellium nominabat, qui in hujus Beati vitam inquirerent, & deſuper referrent.

§. XCIV.

Franciæ Regis epiſtola ad Papam circa Navarræ Reginam.

Traité des droits de l'Eccl. Gall. tom. 1. p. 56.

Cum Pius IV. Pontifex Joannam Albretam Navarræ Reginam, atque Antonii Borbonii Viduam edito diplomate Romam ut memoravimus, in jus vocaſſet, ob hanc agendi rationem Galli ſemper indignationem fovebant, quæ tamen hoc anno apertius erumpebat; quippe Rex per Joannem Baptiſtam Mesnilum ſuum apud Pariſienſem Curiam Advocatum hanc in rem libellum componi juſſit, in quo præprimis contra hanc ſeveritatem querendi cauſſas expoſuit, ac poſtea in memoriam revocavit eam, quam in primis ſæculis ſummi Pontifices exercuerunt, moderationem, necnon obſequia a Franciæ Regibus præſtita pluribus ſummis Pontificibus, quos gratum ſemper animum exhibuiſſe ſcribebat, ſimulque exponebat, in quo Gallicanæ Eccleſiæ libertates conſiſterent, & quid ſummi Pontifices a Gregorii VII. temporibus adverſus Cæſares non ſine funeſto horum

rum abusuum successu moliti essent; insuper referebat, quid Franciæ Reges pro conservandis suis juribus, & Ecclesiæ libertatibus egissent, quidve Rex ad earum defensionem agere obstringeretur.

Prima hæc epistola Romam mittebatur Pontifici exhibenda, cui etiam alia annectebatur Franciæ Oratori inscripta, in qua hæc Regis nomine exponebantur: „Libellum, quem ad Pon„tificem misi, in meo Senatu exhibui, „præsentibus Regii Sanguinis Principi„bus, multis Proceribus, aliisque Vi„ris dignitate conspicuis: rei autem „gravitate, ac necessitate mature per„pensa prompte ad summum Pontificem „perscribere necessarium duxi, ut ea, „qua par est, reverentia, ac filiali sub„missione eidem graves admodum ra„tiones exponerem, ob quas me hac „agendi ratione offensum declarem, ac „præfatam Reginam, ejusque bona tueri „cogar: cum enim propriam meam caus„sam agi existimem, rem dissimulare „haud valeo, præsertim cum omnium „Principum, ut ejusmodi ausibus me „opponam, interfit, specialiter autem „me tangat, eoquod Navarræ Reginæ, „ejusque liberis sanguine junctus sim, „aliunde vero Galliarum Reges semper „oppressorum, præcipue summorum

Sæcul. XVI A.C 1564

„Pontificum defenſionem in ſe ſuſcepe-
„rint: his accedit, quod hæc Regina
„Gallis fœderata, atque ob ditiones,
„quas in hoc Regno poſſidet, eidem
„ſubſit, ut proin publicatione Romæ
„facta in jus vocari non potuerit, cum
„non ſervarentur hoc in judicio legum
„præſcripta, nec præcederet Canonica
„admonitio: de cetero autem Papa in
„Regum temporalia bona nullum jus
„habet: ideo peto, ut idem diploma
„ſuum contra præfatam Reginam edi-
„tum revocet, ſecus remedia in ejus-
„modi eventibus alias adhibita uſur-
„pare cogor.

Poſt utramque hanc epiſtolam ad-huc alia conteſtatio, ſeu ejusdem Re-
„gis dilucidatio circa hanc citationem
„ſequebatur, in qua recenſitis iis, quæ
„ſupra allata ſunt, hoc additur: „per-
„penſis hiſce rationibus peto, atque
„ſummum Pontificem cum omni reve-
„rentia ei debita inſtanter rogo, ut
„præfatum diploma, ceteraque ejus-
„modi plura revocare, nullaque de-
„clarare, atque a judicii actis deſiſtere
„velit, ac rem ita efficere dignetur,
„quatenus ea res in cujuscunque
„notitiam devenire queat: inſuper volo,
„ut Papa ratum habeat, quod illos, qui
„fors ex meis ſubditis hujus rei Aucto-
„res erant, plectere poſſim: ſecus enim,

„ſi

„ſi Papa id renueret, denuntio, quod in- Sæcul. XVI
„vitus licet ad vim, & remedia in ejus- A.C.1564.
„modi caſibus alias adhibita recurrere
„cogar, cum id exigeret cauſſa adeo
„juſta, & legitima, pro qua omnes
„meos conatus, viresque mihi a Deo
datas impendere paratus ſum.

Inſuper Regina Franciæ Adminiſtratrix Rhedonenſi Epiſcopo, qui apud Cæſarem Caroli IX. legatum agebat, ſed tum Romæ morabatur, negotium dabat, ut Pontifici exponeret, quod hæc ſeveritas in Navarræ Reginam uſurpata legum præſcripto adverſaretur, nec Papæ ullum jus in profana Principum bona ſuffragetur: de cetero autem, quæ hac in re Cæſaris mens eſſet, ſcire percuperet. Hæ literæ ſuo non caruere ſucceſſu; quippe Henricus Clutinius Oiſellus homo ad quævis audenda projectus, fidusque Regis Miniſter prout juſſus erat, cum tanta vehementia rem urgebat, ut ſententiam antea pronuntiatam contra Joannam Albretam revocari extorqueret, atque etiam judicii acta contra Franciæ Epiſcopos de Calvini ſecta ſuſpectos jamjam inchoata interrumperentur.

Sæcul. XVI. A.C. 1564

§. XCV.

Franciæ edictum pro alienatis Ecclesiarum bonis.

Thuan. l. 36. num. 6.

Ineunte hoc anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Carolus IX. Eccleſiaſticis diploma conceſſit, vi cujus bona ſuperiore anno alienata redimere poſſent, ſi vili admodum pretio ea divendita fuerint: verum Nobiles, & plebejus ordo porrecto Regi ſupplici libello, ac publice edito interceſſerunt, & gravem ea de re querelam inſtituerunt, ad fidem Regis appellantes, & Regiæ auctoritatis intereſſe contendentes, ut id, quod fide publica propter neceſſitatem publicam fuit divenditum, penes emptores adempta omni repetitionis ſpe remaneret: attamen vicit ſacri ordinis favor, permiſſumque Clericis, ut aliis bonis, quæ minus utilia viderentur, juſto pretio divenditis, bona illa vi potius ſibi erepta quam publica auctoritate diſtracta redimerent, qua de re diploma in Senatu recitatum eſt die vigeſima Januarii. Eodem quoque tempore Hoſpitalius Cancellarius edictum edidit, vi cujus anni initium computaretur a prima Januarii die, cum antehac ejus principium in judicii actis, aliisque publicis ſcripturis a die Paſchali ſumeretur:

tur: porro sequenti Mense Martio Rex Regnum suum lustrare constituens, in hoc itinere Russinonem, urbem Turnoniæ Familiæ propriam, Mense Junio venit, ubi eum Calvinistæ questum adibant, quod male haberentur, etsi ob pacis edictum ipsis non ita pridem concessum ab omni vexatione immunes esse deberent: ex adverso Catholici jure querebantur de Calvinistarum violentiis, præcipue, quod obtenta conventus suos agendi libertate abuterentur. Hanc in rem Joannes Begatus Divionensis Consiliarius vir admodum clarus Regem eleganti oratione excipiebat, eidem exponens, summopere periculosum esse, quod in eodem Regno duæ diversæ Religiones permitterentur: insuper etiam hac super re concinnabat apologiam, quæ tamen oppositio responso confutata fuit. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. XCVI.

Novum edictum Russinone promulgatum pro dilucidando pacis decreto.

Utriusque partis querelas ibi Rex exceperat, seque satisfeciisse arbitrabatur, si edictum, quod vulgo Rusci-nonensis Constitutio vocatur, die quarta Mensis Augusti ederet, quamvis illa nonnisi explicatio esset eorum, quæ in priori

Recueil l. c. Thuan. l. 36. Art 10. de l'ord. de Roussilon.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

priori edicto ambigua videbantur; hac enim re Rex Cancellarii Hospitalii consilium sequebatur: itaque Rex in hoc edicto mentem suam explicabat his verbis: „Prohibemus omnibus Religio„nis, quæ se falso reformatam dicit, „assectis, ut non Catholicos, & Ecclesia„sticos quoad Divini Officii celebratio„nem, aut veteres, solitosque ritus in„terturbent, seu Cruces, vel Sacras „imagines infringant, nec Reliquas, „vel Ecclesiæ ornamenta diripiant, nul„love pacto eosdem Ecclesiasticos præ„pediant, quominus fructibus, suorum„que beneficiorum reditibus frui, eos„que percipere valeant: præterea in„hibemus omnibus superioris justitiæ „Præfectis, cujuscunque conditionis „sint, ne ullum præfatæ Sectæ exerci„tium sive in suis ædibus, prædiis, „aut arcibus permittant, vel fieri con„sentiant, exceptis iis locis, ubi per „edicta, vel literas Regias id permissum „fuit, indicta quingentorum aureorum „pœna, quæ prima transgressionis vice „solvatur: altera vero legis violatio pu„niatur proscriptione ejusmodi domo„rum, arcium, vel prædiorum: insu„per ipsis prohibemus, ne ad ejusmodi „cultum alios, quam suos subditos re„cipiant, vel admittant, ni privilegio „per nostra edicta, & Regiæ declara„tio-

„tionis literas conceſſo fraudari velint: Sæcul. XVI.
„porro quantum ad ceteros omnes, A C. 1564.
„cujuscunque ſtatus, aut conditionis
„ſint, qui præfatam Reformationem
„adulterinam profitentur ſive in urbi-
„bus ab ipſis usque ad ſeptimum Mar-
„tii diem, qua pax fuit concluſa, uſur-
„patis, ſive in aliis civitatibus, præ-
„cipimus, ut non aliam habeant ſuam
„ſectam profitendi libertatem, niſi juxta
„normam ipſis per noſtra edicta, ac de-
„clarationes præſcriptam, conſtituta in
„transgreſſores quingentarum librarum
„pœna, quæ prima vice ſolvi debet, ſe-
„cunda autem vice caſtigatio corpora-
„lis infligatur tam Auctoribus, quam
„illis, qui intererunt. Præterea man-
„damus, ut omnes corruptæ reforma-
„tionis Miniſtri, qui extra loca ipſis
„aſſignata, vel noſtris edictis, & de-
„clarationibus permiſſa ad populum
„dicere, ſeu per alios prædicare, aut
„quodcunque aliud Sectæ ſuæ miniſte-
„rium exercere præſumpſerint, exilii
„pœna extra Regnum noſtrum pro pri-
„ma vice, pro ſecunda autem corpo-
„rali punitione a noſtris Judicibus ca-
„ſtigentur, nec minus tam his, quam
„ceteris omnibus hujus ſectæ aſſeclis
„ſub iisdem pœnis prohibemus, ne cœ-
„tus ad Synodorum ſpeciem celebrent,
„aut collectiones, vel pecuniarum ex-
„actio-

Sæcul. XVI. A.C.1564.

„actiones quascunque indicere audeant; „insuper præcipimus, ut singuli quoque „Sacerdotes, Monachi, & Religiosi „Professi, qui vel ferventibus hisce tu„multibus, vel postea relicta status sui „professione uxores duxerunt, eas sub „carceris pœna relinquere, atque in „sua Monasteria reverti teneantur, at„que ibidem assumpta rursus priori vi„vendi norma, aut juxta præfatam no„stram declarationem maneant, aut „intra tempus a nostris Judicibus præ„figendum regno excedant, illis au„tem haud amplius, quam duorum „Mensium spatium concedatur: se„cus vero specialiter triremium pœna „in perpetuum inflicta, aut pro casuum „diversitate adhuc graviori mulctentur: „Moniales vero professæ, quæ aut ante „præfatos tumultus, vel post illos spon„sionem Deo factam violantes nupse„runt, pariter suos Maritos relinquere, „atque ad sua Monasteria redire com„pellantur, ut ibidem vel juxta nostras „declarationes vivant, aut tempore su„pra præscripto e regno exulent, secus „intra quatuor muros occlusæ asserven„tur. Hujus tenoris erat celebre illud „Russionense edictum.

§. XCVII.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. XCVII.

Calviniſtarum querelæ contra hoc edictum.

Ceterum Calviniſtæ vehementer contra hoc edictum inſurgebant, palam querentes, ſibi injuriam exinde inferri, cum eis per primum edicti articulum plena ſermones audiendi libertas adimeretur, atque illi, qui pro publicis cœtibus ad loca deſignata e longinquo adventuri eſſent, periculo exponerentur: „ſi vero inquiebant illi, „Synodos celebrare, aut pecunias col„ligere prohibemur, diſciplinæ conſer„vandæ impares reddimur, ſubtracto„que alimento Miniſtris neceſſario, brevi „ipſum etiam Miniſterium evertetur: „inſuper per violentam matrimonio„rum jamjam contractorum diſſolutio„nem libertas per edictum conceſſa la„befactatur, & dura conſcientiis ſervi„tus imponitur, ſi ejusmodi homines „ad Sacerdotium reverti, ac vota, quæ „ſemel abdicarunt, innovare adſtrin„gantur.„ Condæus Princeps, qui tum in arce Valeria ſibi a Mareſcallo Santandreano donata morabatur, comperto novo hoc edicto datis literis Reginam queſtum conveniebat, eique prolixum transmittebat ſcriptum, in quo Proteſtantium querelas omnino æquas demon- *Thuan. l. 36.*

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

demonſtrare nitebatur, exponens, Calviniſtas a Gubernatoribus vexari, homicidia impune relinqui, atque inita abhinc pace propter Religionem centum triginta duos homines fuiſſe trucidatos. Verum Rex, cum Calviniſtas ſe abſente ſeditionem moturos vereretur, ad Condæi Principis ſententiam benigne reſpondit, hæc eidem ſignificans: „nihil ardentius percupio, quam „ſuum cuique jus tribuere, atque ad „edicti mei interpretationem graviſſimis „cauſſis impulſus fui, interim ſpe cer„tus vivo, quod tu ipſemet, cum re„gni commodo, atque utilitati inten„tus videaris, easdem omnino ratas „habiturus ſis: præprimis vero mihi „perſuaſum habeo, tibi nunquam in „mentem veniſſe, quod meam voluntа„tem ad tuum arbitrium inflectere au„deas: ſi vero mei Gubernatores, ce„terique Miniſtri ſuo officio defuerint, „ea ſeveritate plectantur, ut pacis con„ſervandæ ſtudium, quo flagro, omni„bus patefiat: quamvis hucusque con„cordiæ edictum conſtanter, ac ſincere „fuiſſet obſervatum, & nequidem ha„bita Religionis ratione æqualiter om„nibus jus diceretur.„

§. XCVIII.

Carpii Cardinalis obitus.

Hoc

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

Hoc anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto ex Cardinalibus Carpius, Montanus, & Sfortia mortalitatem exuebant. Horum primus die prima Maji Anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ex Leonello Carporum Comite progenitus ſacræ militiæ nomen dederat, ſemper ſingularis pietatis laude conſpicuus: porro Philoſophiæ, ac Theologiæ curriculo Patavii confecto Romam contendit, cum Eccleſiæ univerſalis clavum teneret Clemens VII. a quo in gratiam Leonelli Patris, qui Leoni X., cunctisque Medicæis acceptiſſimus erat, Faventinum Epiſcopatum anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo obtinuit, ſeptimo autem poſt anno præter morem Legatus in Franciam ad Franciſcum I. decernebatur, ut Synodum eſſe indictam nuntiaret, necnon hunc Regem ad pacem induceret: poſtquam vero a ſua legatione evoluto anno redierat, ordinarius declarabatur Nuntius, in quo munere a Paulo III. Clementis VII. ſucceſſore confirmatus, atque anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, licet abſens, Cardinalium Collegio adſcriptus eſt, quapropter rubrum galerum a Pontifice recepturus Anno Salvatoris noſtri milleſimo quin-

Ciacon. vit. Pont. p. 619. Sadol. ep. l. 5. ep. 5. Ughel Ital. Sacr.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

gentesimo trigesimo septimo die septima Julii Romam reverti cogebatur. Porro Carpius, quamvis ingens animorum aversio inter Cæsarem, & Franciæ Regem ferveret, ob suam tamen morum comitatem utrique Principi acceptus tantopere eorum benevolentiam sibi conciliabat, ut iidem, quotiescunque ad eos ablegabatur, illum tanquam pacis Angelum venerarentur: unde Carpius haud parum conferebat ad illud colloquium, ubi Anno restauratæ Salutis millesimo quingentesimo trigesimo nono ambo Principes Bussetum convenerant. Postea Carpius diversis temporibus Agrigentinæ, & Nolanæ Ecclesiæ, necnon Salernitano Archiepiscopatui præfuit, ac demum Anconitana Legatione auctus, eo in munere suo sane docuit exemplo, quam regiminis normam Gubernator Ecclesiasticus amplecti teneatur; quippe Lauretanum Beatæ Virginis Templum adjectis ædibus auxit, Anconitanum Portum muniri jussit, corruptelas in justitiæ administrationem irrepentes correxit, ac pauperibus ea, quæ Judices negligere videbantur, exacte reddi præcepit, nec minus politici regiminis ordinem restituit, & quicquid ad firmandam hujus Provinciæ quietem, ac prosperitatem conducere potuit, sedulo procuravit.

De-

Demum Ancona evocabatur, ut Romanæ urbi præeſſet abſente Papa, qui cum Cæſare collaturus Buſſetum petierat, poſtea autem ab eodem Pontifice eidem demandata eſt cura Ordinis S. Franciſci, & Societatis Jeſu, cui ſemper ſeſe valde propenſum exhibebat, plurimumque conferebat, ut iidem Patres Laureti admitterentur, quinimo mortuo Cardinale Contareno Societatis Protector eſſe voluit. Præterea Sixtus V. qui tum nonniſi Ordinis Fratrum Minorum Alumnus nulla dignitate decoratus erat, ſuam fortunam potiſſimum huic Cardinali in acceptis referebat, quippe ab eo in Theologum aſſumptus, atque Inquiſitoris munere auctus Venetias decernebatur, ejusque opera in ſupremum Ordinis ſui Miniſtrum electus inſuper Epiſcopus renuntiabatur. Tandem Carpii Cardinalis merita, ac virtutum ſpecimina paſſim ab omnibus tantopere celebrabantur, ut Sedem Pontificiam abs dubio obtinuiſſet, ſi diutius vita ſuperſtes fuiſſet: obiit autem hoc anno die ſecunda Maji anno ætatis ſuæ ferme ſexageſimo quinto, ſepultusque eſt in Eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis apud Montem Pincium. Sæcul. XVI. A. C. 1564.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. XCIX.

Guidonis Aſcanii Sfortiæ Cardinalis extrema.

Ciacon. pag. 566. Andr. Vict. in add. ad Ciacon. Ughel. l. c.

Alter erat Guido Aſcanius Sfortia, qui ex Boſio Sfortia II. Sanctæ Floræ, & Caſtelli-Arquati Comite, necnon ex Conſtantia Farneſia Pauli III. Papæ filia die vigeſima quinta Novembris Anno ſupra milleſimum quingenteſimo decimo octavo progenitus erat. Is cum decimum ſextum ætatis ſuæ annum agens, Bononiæ in Farneſiano Collegio per Petrum Ancharonum ejusdem familiæ Jurisconſultum inſtituto ſedulus operam navaſſet, licet adhuc juvenis eſſet, a Paulo III. Papa Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto unacum aliis Præſulibus purpura decoratus, & Diaconorum ordini ſub titulo SS. Viti, & Modeſti adſcriptus fuit, quamvis vulgo Cardinalis Sanctæ Floræ nuncuparetur, progreſſu tamen temporis titulum ſanctæ Mariæ in Cosmedin, & poſtea S. Euſtachii, ac denique illum S. Mariæ in via lata adoptabat. Paulo poſt Eccleſiarum Anglonenſis, Montisflaſconis, & Cornetanæ, Cluſinæ, ac Parmenſis Adminiſtrator, necnon Patriarcha Alexandrinus, & Bononiæ, Æmiliæque Legatus, ac dein Sacræ Romanæ Eccleſiæ Came-

Camerarius electus, & in Pannoniam ad bellum contra Turcas ab eodem Paulo III. missus fuit, ubi excitatam apud omnes prudentiæ opinionem felici eventu superabat: sub Julio III. autem Parmam ad Octavium Farnesium mittebatur, ut pro rebus Parmensibus, antequam Pontifex bellum susciperet, pacis consilium caperet: insuper sub Pio IV. Hispaniæ Protector, pacisque inter Philippum II. Regem, & ipsum Pontificem conciliator extitit. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Tandem Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto die septima Octobris nonnisi quadraginta quinque annos natus, cum Parmensis Diæcesis suæ Ecclesias lustraret, vivis ereptus est: porro corpus ejus Romam deferebatur, atque in Basilica S. Mariæ Majoris, cujus Archipresbyter erat, terræ mandabatur, ubi etiam ejus sepulcralis inscriptio visitur.

§. C.

Cardinalis de Monte mortuus.

Tertius erat Christophorus de Monte Aretii in Etruria natus, de quo referunt nonnulli, quod ejus Familia nomen suum traxerit a quodam oppido, Monte-Sanvino dicto, atque in Diæcesi Aretina sito, ubi etiam Joannes Maria de Monte a Paulo III. Cardinalis creatus, *Ciac. p. 768. Pet. Just.*

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

tus, ac poſtea Pontifex ſub nomine Julii III. electus primam lucem aſpexerat, a quo etiam Pontifice in Montanam Familiam adoptati fuere ejus Conſobrini, qui Materteræ ſuæ Margaritæ de Monte Franciſco Guidalotto nuptæ filii erant, quos inter primus numerabatur Chriſtophorus, de quo inpræſentiarum agimus. Hic a Julio III. Patriarcha Alexandrinus, ac demum Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis renuntiatus eſt, a Pio IV. autem Pontifice, qui Chriſtophoro minus favebat, variis in occaſionibus vexabatur, cuncta tamen æquo animo tolerabat usque ad obitus ſui diem, quæ erat vigeſima quarta Septembris Anno a Chriſti Nativitate milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto; obiit enim in oppido ſancti Angeli in Vado prope Urbinum anno ætatis ſuæ ferme octogeſimo, ac Cadaver illius ibidem ante Altaris Majoris gradus in eadem Eccleſia, cujus erat Archipresbyter, reconditum eſt. Rexit is Callienſem Sedem per triginta ſeptem annos, interfuitque Sacris comitiis, in quibus Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. Romani Pontifices renuntiati ſunt.

§. CI.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. CI.

Bartholomæi Camerarii fata.

Eodem hoc anno Scriptorum nonnullis pariter mors calamos excusserat, quos inter præcipui erant Bartholomæus Camerarius, Thomas Campegius, & quidam alii, de quibus mentionem faciemus. Ex his Bartholomæus Camerarius Beneventi Italiæ urbe in Neapolis Regno natus quædam opuscula dogmatica in modum Dialogorum conscripsit, quæ Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, & sequenti Parisiensibus literis excusa prodierunt: porro ex iis primum, quod elucubrabat, opus erat tractatus de gratia, & libero arbitrio contra Calvinum, cujus varietates in hoc argumento præprimis exponit, liberumque arbitrium definit, quod sit hominis dominium in suas actiones, quia illius naturam consistere existimabat in contrarietatis indifferentia: dum autem affirmabat, quod gratia efficiat, ut bonum operemur, simul propugnat, quod voluntas agat, eligat, bonumque voluntarie velit: insuper concedebat, quod homo semper consentiendi, vel non consentiendi facultatem habeat, quamvis eum gratia determinet, & sine ea necessarium auxilium, ad bonum actu operandum,

Valer. Andr. in Bibl. Belgica.

Sæcul. XVI. A.C 1564.

randum, non habeat. Præterea idem Scriptor tres compoſuit Dialogos de oratione, jejunio, & Eleemoſyna, quos Dianæ Pictavienſi Valentinæ Duciſſæ nuncupabat: ſcripſit etiam de Prædeſtinatione dialogum, duosque alios de Purgatorio tractatus Romæ Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo impreſſos præter quoddam conſilium, quod circa matrimonium dabat, atque anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo typis excudebatur. Denique poſteris quasdam juris deciſiones reliquit, mortuusque eſt Neapoli Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto. Ceterum hunc Auctorem in Patrum, ac Theologorum Doctrina verſatiſſimum fuiſſe apparet, quamvis autem in ſuis dialogis dictione ſimplici, ac minus fucata utatur, argumentum tamen de gratia, & libero arbitrio cum magna ſubtilitate pertractat.

§. CII.

Thomæ Campegii obitus.

Bumald. Bibl. Bonon. Drapin Bibl. des Aut. Eccl. t. 16. pag. 73.

Die undecima Januarii ejusdem Anni Thomas Campegius, qui ejusdem nominis Cardinalem Fratrem habuit, Romæ anno ætatis ſuæ ſexageſimo quarto naturæ debitum ſolvit. Is Bononiæ in Italia natus celebris cujusdam Juris-

Jurisconsulti Filius Christi Ecclesiam defendendam suscepit, atque in Romana curia variis dignitatibus auctus est: nam præprimis a Leone X. unacum Cardinale Fratre suo Parmensem, ac Placentinam urbem regere jussus, & cedente Cardinale Feltrensis Episcopus renuntiatus est: anno autem Salutis nostræ millesimo quingentesimo quadragesimo Wormatiam ad comitia, & postea ad Synodum Tridentinam a Paulo III. missus fuit, ubi inter tres Episcopos, qui Synodi initio intererant, primus advenerat, cunctisque sessionibus sub ejusdem Pontificis regimine celebratis interfuit. Porro ex ingenii ejus monumentis, quæ posteris reliquit, præcipuum est illud de auctoritate Conciliorum, quod Pio IV. nuncupatum Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo primo Venetis literis excusum prodiit. In eo præprimis ejusmodi Concilia convocandi causas recenset, eaque dicit necessaria ad hæresum extirpationem, hæreticorum condemnationem, atque ad Ecclesiæ reformationem, faciendamque circa Ecclesiasticorum, ac Laicorum mores correctionem, necnon schismatis extinctionem, ubi duo a diversis factionibus electi se tanquam summos Pontifices gerunt: insuper conciliorum convoca- Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Sæcul. XVI. A C. 1564.

tionem requiri putabat ad pacem inter Christianos Principes stabiliendam, necnon cruciatas contra infideles instituendas, amovendumque, scandalum, si Papa universæ Ecclesiæ offensioni esset. Hic idem Scriptor quamvis circa Conciliorum Generalium auctoritatem verbis valde obscuris mentem suam explicet, nihilominus deprehenditur, quod Synodos Pontificibus inferiores esse affirmet, dum minus vere asserit, quod Concilia Pontifici nec legem imponere, nec eum exauctorare, sed duntaxat ei resistere, ac præcipere valeant, ne eidem obediatur in iis rebus, quæ contra Ecclesiæ bonum statueret: insuper affirmat, quod soli Papæ Concilia convocandi jus competat, quam etiam sententiam istis, quæ sequuntur, rationibus confirmat. I. In lege Veteri quemcunque conventum absque magni Sacerdotis auctoritate celebrare permissum non erat. II. Sicut penes Superiorem in quadam Ecclesia est convocare Capitulum, & Metropolitano competit jus Provinciæ suæ Episcopos congregandi, ita etiam est penes illum, qui supremam in Ecclesia habet auctoritatem, universum Ecclesiæ conventum indicere. III. Cum ad ejusmodi Concilium Patriarchas. Episcopos, Cæsarem, ac Reges convocare oporteat,

& Pon-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

& Pontifex solus in hos, prout hic Scriptor ait, jurisdictionem habeat in iis, quæ fidem, & Religionem concernunt, hinc Cæsares plura quidem Concilia convocarunt, sed duntaxat ex consensu, & auctoritate summorum Pontificum. Postea idem Scriptor cunctos, in quibus Cardinales ejusmodi Concilium convocare possent, eventus recenset, atque id fieri posse dicit, si Papa hæresi notatus post plures monitiones id recusaret, aut si duo de Pontificatu contendentes existerent, eorumque jus æque dubium foret: si vero in hisce casibus Cardinales Synodum convocare nollent, tunc Campegius censet, quod in hoc eventu Cæsar tanquam Ecclesiæ Protector Concilium indicere, necnon Papæ, si is eo venire recusaret, per mandati formam id præcipere valeret. Præterea Campegius, quin Papa Synodum transferre possit, nullatenus dubitat, necessarium tamen putat, ut ad hoc urgentes habeat rationes: porro ad Concilia vocandos esse judicat Cardinales, Abbates, Episcopos electos, & non consecratos, ac Episcopos in partibus, imo etiam Parochos, & Sacerdotes: denique etiam hæreticos esse accersendos ait, ac requiri dicit, ut Pontifex ipsus, vel saltem per suos Legatos ibidem præsit: dum autem Campegius sermo-

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

sermonem inspergit de loci prærogativa, Franciæ Regi primam sedem deberi inquit præ Romanorum Rege, si hic non est aggregatus Imperio, nec designatus Cæsaris Successor.

Postmodum Campegius in Synodis procedendi modum examinat, ac suffragia per Nationes ferri, omnino rejicit, cur vero id in Concilio Constantiensi permissum fuerit, ideo factum inquit, quia Joannes XXIII. sibi adhærentes habuit omnes Italiæ Episcopos, qui suo numero ferme omnes reliquos aliarum Nationum Præsules superabant: insuper differit de altero procedendi modo, qui *per deputationes, vel Commissiones* fit, prouti in Basileensi, & Lateranensi Conciliis factum legitur: præterea discutit, utrum deliberationes a fidei dogmatibus, anve ab illis articulis, qui mores concernunt, inchoandæ sint, atque res fidei esse præmittendas censet, quam in rem plures allegat rationes, approbatque etiam modum decisiones Pontificis nomine, dum præsens est, in Synodis promulgandi: si vero Papa non interfit, eas nomine Synodi tanquam a Papa approbatas esse publicandas affirmat: fatetur ecquidem, quod Synodus immediate suam auctoritatem a Christo Domino tunc habeat, quando ei Pontifex non inter-

intereſt, eam tamen Concilium recipiat a ſummo Pontifice, qui ei vim, atque auctoritatem tribuit. His prolatis argumenta, quæ huic ſententiæ opponi poſſent, diluere nititur, atque Synodi auctoritatem Pontificiæ ſubjicit, necnon Synodi infallibilitatem a ſummo Pontifice dependere aſſerit, aliunde vero Synodum duntaxat infallibilem in fidei deciſionibus agnoſcit, ſi hæ unanimi conſenſu, junctaque cum Pontifice opera ſancitæ fuerunt. Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Inſuper idem Scriptor plures adhuc elucubrabat tractatus Anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto Venetiis editos, eorumque primus eſt de auctoritate, & poteſtate Pontificis: alter autem agit de officio Principum Chriſtianorum. In tertio oſtendit, quod Sacerdotes bona profana poſſidere poſſint, teneantur tamen fugere nimiam cupiditatem, immoderatumque deſiderium divitias ſaluti adverſas aucupandi. Quarto tractatu agit de Paſtorum reſidentia, ubi negat, quod proprie deſcendat de jure divino, ſeu Dei lege præcepta ſit, quamvis eadem illi conſona appellari poſſit, cum Spiritu ſancto inſpirante præcipiatur, atque exiſtat intra ordinem, qui hominem perducit ad Deum. Quinto ſermonem inſtituit de pluribus beneficiis ſimul poſſidendis,

quem

Sæcul. XVI. A.C 1564.

quem abusum vehementer condemnat, casus tamen quosdam recenset, in quibus id permitti posset, dummodo non sint beneficia, quibus annexa est cura animarum. In sexto agit de Simonia, quam jure divino esse prohibitam, comprobat. Septimo tangit Annatas, quarum originem revocat ad Viennense Concilium, proin ad annum Domini millesimum trecentesimum undecimum. In octavo discutit beneficiorum reservationes, quas nonnisi trecentis quinquaginta abhinc annis usitatas fuisse censet, asseritque, quod Clemens III. Papa Anno Christi millesimo centesimo octogesimo octavo ad Pontificatus apicem evectus Constitutionem ediderit, in qua summo Pontifici beneficia in Curia Romana vacantia reservabat, hasque reservationes esse permissas probat Campegius, requiri tamen ait, ut Pontifices illis moderate utantur, ac præcipue ab illis abstineant mandatis, quibus sancitum, ut unum, duo, tria, aut alia ejusmodi numeri beneficia non modo in Diœcesi, sed etiam in quadam Provincia, vel Regno vacatura conferantur, ideo hic scriptor monebat, quatenus Papa non permittat, ut per has reservationes plura beneficia, quorum unum alteri repugnat, obtineantur,

Cetera

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Cetera Campegii opera complectuntur adhuc duos libellos separatos, qui de Beneficiorum pensionibus, reservationibus fructuum, regressibus, commendis, Ecclesiarum unionibus, & Coadjutoriis agunt: reliqui autem tractatus concernunt forum pœnitentiæ, ubi differit de casibus Pontifici, aut Episcopo reservatis, harumque reservationum utilitatem probare nititur: insuper scripsit alium quoque tractatum de exemptionibus, ad quas violentias ac Episcoporum negligentias ansam præbuisse contendit. Exstat quoque illius tractatus de excommunicatione, ubi asserit, quod pro hæresis, vel alio notorio crimine hanc pœnam infligendi potestas Ecclesiæ data fuerit, interim tamen monet, ut non sine magna moderatione, vel ob leves causas adhibeatur: præterea plura profert exempla, quibus locorum interdicta vindicat, specialem vero tractatum conscripsit de festorum observantia. Porro in alio tractatu hanc agitat quæstionem, utrum Episcopus a schismaticis consecratus, sit verus Episcopus, ac legitime etiam sacros Ordines conferre valeat? ubi affirmat, quod talis id facere possit. Denique postremo tractatu ventilat hanc quæstionem, an Papa Matrimonium inter hæreticos contractum dissol-

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

dissolvere queat? ubi præmissis quibusdam principiis infert, quod Pontifex ejusmodi connubia dissolvere nequeat, possit tamen declarare, quod ejusmodi homines ad ineunda matrimonia inhabiles existant, adeo, ut postea eorum conjugium redderetur nullum. Eidem quoque Auctori adscribitur brevis quidam tractatus, quo legem, quæ Clericos sacris Ordinibus initiatos ad cœlibatum adstringit, non esse abolendam probat. Ceterum Campegius cuncta argumenta succincte, sed admodum perspicue, ac cum minori, quam ex Ultramontanis Doctoribus potissimi, haustæ opinionis pertinacia pertractat, ac se in Juris Canonici peritia admodum clarum ostendit.

§. CIII.

Friderici Staphyli extrema.

Sub idem tempus Ecclesia deplorabat jacturam Friderici Staphyli, quem veritatis amor a Secta Lutheri, cui olim amicitia junctus erat, jam dudum abstraxerat. Primam is lucem aspexerat Osnabrugi in Westphalia, ac postea Universitatem Ingolstadiensem regebat: porro idem considerans Osiandri arrogantiam, necnon imbecillitatem illarum rationum, quas confessionis Augustanæ ab eo impugnatæ Sectatores ei opposue-

Bossuet hist. variat. tom. x. l. 8. n. 35.

Chitræus in Saxon. l. 17. Osiand. p. 144.

posuerant, sensim de veritate illius doctrinæ, quam amplectebatur, dubitare incæperat, atque ab illo temporis momento a Deo illustratus abyssum, in quam sese præcipitem egit, agnoscens, inde eluctatus est, nullamque prætermisit occasionem, qua pro tuenda, ad cujus sinum redierat, Ecclesia dimicare posset. Obiit eo tempore, quo etiam Sectæ, quam feliciter ejuraverat, consilia detegere parabat, quando secretioris consilii Ministrum apud Cæsarem agebat.

§. CIV.

Calvini hæresiarchæ interitus.

Paulo post Hæresiarcha quoque Calvinus animam evomuit, Staphylo tamen multum dispar, nam hic ab Ecclesia, contra quam sacrilege desertam tot populos concitavit, segregatus e vivis excesserat die vigesima septima Maji Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, ætatis vero suæ quinquagesimo sexto. Fatendum equidem est, quod præclaris naturæ dotibus, acri ingenio, fideli memoria, eloquenti, ac facunda scribendi arte, ampla scientia, ac pertinaci errores suos stabiliendi studio excelluerit: verum longe majori adhuc ambitione, & fastu tumebat, atque obstinate omnibus pro-

Thuan. l. 36. Th. Beza vita Calv. Bossuet. l. c. l. 10. art. 57. Raynald. hoc ann. n. 51. & 60.

Sæcul. XVI. A.C. 1564

profanis novitatibus a Spiritu Sancto tantopere damnatis adhærebat: unde hoc ipso vanitatis fumo inflatus extra omnem modum pertinax suis opinionibus insistebat, superbe contendens, quod cuncta, quæ ipse lingua proferret, cæco obsequio ceteri omnes consensu suo approbare tenerentur, ipse vero illis, qui ei obsistere audebant, nunquam nisi virulenta rabie, ac livore respondebat. Hæc perversa indoles passim in ejus scriptis luculenter elucet, in quibus ubique mordax ejus lingua, iraque exæstuans animus deprehenditur, quo quidem dextere oppugnantium tela eludit, sed in densam atrocium injuriarum procellam effunditur, ac sine omni ratione mordet, & denique illius honestatis, qua Christianus, ac probus Vir dignoscitur, limites transgreditur.

§. CV.

Calvini opera.

Beza l. c. Bodin. meth. hist. c. 7. p. 416

Ex præcipuis, quæ conscripsit, operibus maxime celebrantur commentarii in multos tam veteris, quam novi Testamenti libros, excepta Apocalypsi, quam suo calamo fœdare ausus non est. Præter hæc scripta in sacras Paginas insuper consarcinabat commentarium in Senecæ librum de clementia, necnon tractatum contra errorem illorum, qui

qui animas post corporis interitum usque ad judicii diem dormire contendunt: præterea scripsit duas epistolas, quarum prima idololatriam fugere suadet, altera autem de Christiani hominis officio agit: extat quoque ejus responsio ad epistolam, quam Cardinalis Sadoletus ad Senatum, populumque Genevensem dederat. Recensentur pariter sequentia illius opuscula I. tractatus de cœna Domini. II. Catechismus pro institutione puerorum. III. Norma administrandi Sacramenta unacum precibus publicis, & modo celebrandi matrimonium. IV. Defensio puræ doctrinæ circa liberum arbitrium contra Alberti Pighii calumnias. V. Antidotum ad articulos Facultatis Sorbonnicæ Parisiensis. VI. Alterum antidotum adversus acta Concilii Tridentini. VII. Certum medium tumultus sedandi, & reformandi Ecclesiam contra librum *Interim*. VIII. Tractatus adversus detestandos errores Michaelis Serveti. IX. Nonnulla scripta contra Westphalum, Stancarum, Valentinum Gentilem, Sebastianum Castalionem, Franciscum Bodoinum, præter plura alia minoris momenti opuscula.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. CVI.

Martinus Borrhæus mortuus.

Thu. l. 36. Pantaleon l. 3.

Pariter Lutheri hæresis in Germania duos sectatores amiserat; obiere enim Martinus Borrhæus, & Theodorus Bibliander, quorum primus sub nomine Borrhæi, & Cellarii notus Stutgardiæ in Wirtembergensi Ducatu Anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo nonagesimo nono natus erat. Magistrum is habebat Capnionem, atque confecto Philosophiæ curriculo Heidelbergæ Magister liberalium artium creabatur: postmodum autem Wittembergam reversus, Hebraicæ, Syriacæ, & Chaldaicæ linguæ operam dabat, sibique Melanchtonis, quem jam antea Tubingæ noverat, amicitiam ibidem concilians, cum nec ingenii acies, nec scientia ipsi deesset, multos accersebat discipulos: eoquod autem a Stubnero, qui inter primos Anabaptismi Architectos merito recensetur, seductus esset, hujus sectæ deliriis sese mancipabat, illiusque errores stabilire indefesso studio adlaborabat: anno vero post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo secundo cum Luthero conferens luculenta sui Phanatismi specimina ediderat: postea in Prussiam Anno millesimo quingentesimo

Prosopogr. Melchior Adam in vit. Germ. Theol.

mo

mo vigesimo quinto delatus, ibidem Principis jussu in carcerem conjectus est, ubi tamdiu hærebat, ut ad conscribendos multos libros suis erroribus refertos satis amplum temporis spatium nanciscereturcum autem suam sectam exterminio proximam, atque ex illa nullatenus perfectam omnium rerum restaurationem esse sperandam cerneret, Protestantium factioni nomen dedit, ac Basileam Anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto petens ibidem artem Rhetorices, Philosophiam, & Theologiam tradebat: ubi tamen dum pro pane sibi lucrando opificem aliquamdiu agere cogebatur, conjugem duxit, ac Basileæ peste confectus die undecima Octobris Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo sexagesimo quarto vita functus est. Sæcul. XVI. A. C. 1564.

Scripsit is annotationes in Aristotelis libros Politicorum, necnon in ejusdem Rhetoricam: insuper edidit alium commentarium in Pentateucum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo editum, anno autem a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo primo ejus commentarius in Isaiam, & Apocalypsin, tertio autem anno alius in Jobum, & Ecclesiasten primam lucem aspexit. Attribuuntur eidem quoque tractatus

Sæcul. XVI. A.C.1564. de Logica, & rebus Mathematicis, præter commentarium in librum Judicum, & quatuor libros Regum; præterea edidit quoddam opus Philosophicum in tres libros divisum, cui etiam accessit tractatus de censura veri, & falsi.

§. CVII.

Theodori Bibliandri obitus.

Pantal. Prosop. l. 3. Melch. l. c. Theodorus Bibliander Episcopi-Cellæ prope San-Gallum in Helvetia natus linguarum peritia, & Protestantium Theologia, præcipue vero in exponendis sacris Scripturis valde celebris credebatur, quapropter Tiguri anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo secundo usque ad millesimum quingentesimum sexagesimum ad tradendam Theologiam eligebatur: cum autem privatas, ac Protestantium sectæ contrarias foveret opiniones circa Prædestinationis dogma, hinc Magistratus, ut suum Officium abdicaret, illum rogabat, quæsito obtentu, ut a laboribus suis respirare posset: ne vero petitioni obluctaretur, Magistratus eum titulo emeriti, seu veterani Doctoris honorabat: itaque Bibliander hoc otio opportune usus novæ Alcorani editioni operam navare cæpit, illiusque textum juxta Critices regulas corrigens, desuper Arabicas, & latinas editio-

tiones inter se contulit, addiditque Mahometis, ejusque Successorum vitas, præmissa præfatione apologetica, qua tamen omnes Christianos in se concitabat, satisque luculenter demonstrabat, quod Vir esset nulli omnino Religioni addictus. Insuper plura adhuc alia edidit opera, ac præprimis Evangelicam Sancti Marci historiam unacum Joannis Marci Evangelistæ vita: præterea exposuit Prophetiam, quæ restaurationem Israel, urbem Jerosolymitanam, eiusque Templum, ac secundam terræ divisionem per Tribus tangit: nec minus idem Oecolampadii, & Zwinglii scripta vindicavit, ac postea edidit somnium circa fatum Monarchiæ Romanæ, necnon Tractatum de Trinitate, & Fide catholica. Denique elucubravit expositionem historicam tribus libris comprehensam de Mysteriis Passionis, & mortis Messiæ. Obiit die vigesima sexta Novembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, ætatis vero suæ sexagesimo. Hic idem ultimam manum admovit Leonis Judæ Bibliis, quæ Tigurinis literis Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadragesimo tertio excusa, biennio post Robertus Stephanus nova versione auxit in editione

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

Bibliorum, quæ ipsemet unacum Vatabli annotationibus prælo subjecerat,

§. CVIII.

Vani conatus de Lutheranis, & Zwinglianis inter se uniendis.

Spond. hoc ann. n. 22. Rayn. n. 24.

Cum Calviniſtæ eodem hoc anno ſuam factionem numero magis conſpicuam reddere geſtirent, ſeſe cum Germaniæ Lutheranis unire tentabant hocque conſilium illi, qui Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ infenſi erant, promovere nitebantur: proin re inter eos decreta ad diem decimam Aprilis indictum eſt colloquium in pervetuſto Monaſterio Maulbrunenſi, quod in ditione Wirtembergenſi ſex milliaribus Spira diſtabat: ad hunc ergo conventum ſeligebatur utrinque nonniſi unicus Princeps, & quidem Lutheranorum nomine Wittembergæ Dux, pro Zwinglianis vero, ſeu Calviniſtis Fridericus Elector Palatinus, quorum quilibet etiam ſecum adducebat quinque Theologos, duos ſecretioris Senatus Conſiliarios, & Notarios: porro Wirtembergici Ducis Theologi erant Joannes Brentius, Jacobus Andreanus, Theodoricus Seneptus, Balthaſar Bidenbrachius, & Valentinus Vannius, Conſiliarii autem erant Joannes Fizlerus, & Hieronymus Gerardus, & Tabellarii mu-

munus obibat celebris Lucas Osiander: Palatini vero Electoris Theologi erant Petrus Boquinus Bituricensis Provinciæ Gallus, Michael Tillerus, Zacharias Ursinus Silesita, Caspar Olerianus Trevirensis, & Petrus Dathen: insuper ambo illius Consiliarii erant Cancellarius Christophorus Ehem, & quidam Medicus, nomine Thomas Erastus unacum Guilielmo Xilandro Græcæ linguæ Professore, qui Secretarii munere fungi jubebatur: interim ex præcipuis, qui in arenam descenderent, nominabatur Lutheranorum nomine Brentius, Zwinglianos vero tueri jubebatur Boquinus, ubi disputationis argumentum tangebat Eucharistiam. Sæcul. XVI. A.C. 1563.

§. CIX.

Maulbrunense colloquium inter utramque factionem.

Præ ceteris Boquinus propugnabat, quod Christus Dominus in Eucharistia præsens non sit, nec etiam ab impiis, & infidelibus recipi queat, Cœnaque nonnisi existat memoria de morte Salvatoris, Christusque, cum nonnisi pro justis mortem obierit, duntaxat ab iis manducari valeat. Ad hæc ita reponebat Brentius: „Hæc opinio haud „tolerari potest, cum omnem fructum, „qui ex Eucharistia hauriri valet, adi- *Thu. l. 36.*

Sæcul. XVI. A.C.1564.

„mat, imo etiam illam ſumendi neceſ„ſitatem tollat; nam ſi una ex parte, „Corpus, & Sanguis Chriſti Domini non „adſunt, atque altera ex parte idem „Chriſtus nonniſi pro fidelibus paſſus „eſt, nullatenus impii hanc menſam „accedere poſſunt, probi autem nonniſi „ex decentia accedere valebunt, eoquod „jam antea per fidem omnem ſuæ ſa„lutis certitudinem, quam quovis pa„cto deſiderare poſſent, acceperint, neque „aliunde ulla ipſis nova utilitas acce„deret, ſi Euchariſtiam ſumerent.„ Mox vero Calviniſta reſpondens demonſtrabat, quod juxta ipſius opinionem ex Brentii ſententia plurima, quæ abſurditatem ſaperent, ſequerentur. Tandem tota diſputatio non niſi in tantas utrinque injurias, & convitia, quibus ſe mutuo impetebant, degenerabat, ut Elector non minus, ac Dux tantam indignitatem pertæſi ſecederent, cauſſati, quod ad alia domeſtica negotia evocarentur: nihilominus hæc altercatio ſeptem omnino dies tenuit, quæ tamen unice ad id conferebat, ut ambæ factiones adeo non inter ſe unirentur, quin temporis progreſſu major adhuc inter eos diſſenſio efferveſceret.

§. CX.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

§. CX.

Utraque factione Victoriam canente, re indecisa discessum.

Hujus colloquii acta, quæ Osiander Lutheranorum nomine vulgabat, adeo ab illis, quæ Xilander pro Calviniana factione ediderat, diversa sunt, ut nihil aliud ex illis concludi potuerit, nisi quod in nullo puncto inter se convenerint. Brentius quoque Lutheranorum actis præfigebat epistolam, in qua Calvinistis immodicam impudentiam, fastumque exprobrabat, Calvinistæ econtra Brentium de mendacio, malaque fide redarguebant, jactitantes, quod Lutheranos tanquam Fratres suos habuissent: verum reponebant Lutheri sectatores, quod velut Fratres agnoscere nolint illos, quibus nequidem in suis Ecclesiis locum concedere dignarentur, sed potius illos tanquam a maligno spiritu obsessos, ac Christi Domini hostes a sua societate ejicerent. Ceterum Brentius, cujus nunc meminimus, primus *Ubiquitatis* Auctor credebatur; cum enim rejecta transsubstantiationis doctrina, Christum tamen vere præsentem esse in Eucharistia adstrueret, ideo tradere cogebatur, quod Corpus Christi sit ubique per unionem perso-

Spond. l. s.

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

personalem, unde ejus Discipuli *Ubiquistæ* appellabantur.

§. CXI.

Scholæ in Parisiensi Jesuitarum Collegio inchoatæ.

Sacchini hist. Soc. Jes. l. 8. n. 78.

Mense Augusto hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Jesuitæ, cum suam societatem in Galliis approbatam cernerent, adibant Julianum San-Germanum tunc Parisiensis Universitatis Rectorem, qui proprio suo motu Facultate haud consulta die decima nona Septembris illis diploma concessit, atque eosdem sub privato Rectoris sigillo Universitati aggregavit: Itaque harum literarum auctoritate freti Collegium suum, quod Claromontanum Societatis Jesu Collegium appellabant, aperiunt, eratque istud ingens domus, quæ vulgo Lingonensis Curia vocabatur, in platea sancti Jacobi sita, quam anno priori ab Episcopo Claromontano Prati Cancellarii Filio, qui pia legata fecerat, emerunt, ibidemque hoc anno die prima Octobris scientias publice tradere cæperunt, ubi primos Professores nominarunt Michaelem Vanegium pro humanioribus literis, Joannem vero Maldonatum Philosophico studio præfecerunt, scholarium quamplurimis mox eo confluentibus.

Thu l. 37. Argentre Coll. Jud. de novis error tom. 2. p. 345.

tibus. Ceterum Maldonatus natione Hiſpanus, ac Fontanæ-Magiſtri exiguo Extremaduræ oppido natus, priusquam Lutetiam Pariſiorum avocabatur, Dominici Soti Dominicani, & Franciſci Toleti Jeſuitæ Magiſterio uſus Salmanticæ ſtudiis non ſine profectu operam navabat. Ceterum Jeſuitæ vix prælectiones ſuas incipiebant, cum illico vexationes recrudeſcerent; quippe Joannes Prævotius, qui currente Menſe Octobri in Rectoris munere Juliano San-Germano ſuccedebat, omne ſcholarum exercitium eisdem interdixit, donec luculenter demonſtraſſent, quo jure literas tradere aggreſſi eſſent. Editum erat hoc edictum die vigeſima Octobris. Sæcul. XVI. A. C. 1564.

§. CXII.

Quædam Simonis Vigoris propoſitiones examinatæ.

Die ſecunda Martii hoc anno Pariſinæ Facultatis Theologicæ Deputati, quibus res fidem concernentes diſcutiendi cura erat demandata, conventum celebrabant, ut quasdam propoſitiones a Simone Vigore ejusdem Facultatis Doctore in quodam ſermone enuntiatas ad examen vocarent: accuſabatur enim is hæc propoſuiſſe I. Baptiſmus collatus ab Hæreticis, & maxime a Calviniſtis non prodeſt ad ſalutem. *Argent. l. c. p.* 340.

Sæcul. XVI. A. C. 1564.

lutem. II. Apoſtoli non dabant Spiritum Sanctum, nec legitur, quod receperint hanc poteſtatem, licet poſſint rogare, ut Deus illum mittat. III. Sancti in Canone Miſſæ non invocantur, ſed duntaxat commemorantur. IV. Nullus poteſt Paradiſum intrare, niſi tranſeat per Purgatorium, quantacunque quis ſanctitate emineat; nam ab eo etiam nec Sancti Petrus, & Paulus, imo ne ipſe quidem Sanctus Joannes Baptiſta exempti fuerunt. V. Idololatriam committit, qui credit, quod quædam divinitas in Beatiſſima Virgine fuerit, etſi aliquis genua non flecteret illam adorando. VI. Hugonottæ non baptizant *ad ſalutem*, hinc cunctos ab eis baptizatos iterum abluere oportet. VII. Calviniſtæ non baptizant, quia non majorem habent fidem, ac ipſemet infans, aut illi, qui infantem deferunt. VIII. Solum Baptiſmi Sacramentum ad peccatorum remiſſionem datum eſt. IX. Si dicitur, quod Chriſtus Dominus deſcenderit ad inferos, non id intelligendum venit, perinde acſi liberaſſet Patres, qui in nullo doloris loco detinebantur. X. Limbus eſt in Paradiſo, & cœlo, non quidem in loco, ubi Deus habitat, ſed paulo inferius. XI. Tres Sancti Magi erant impii, Venefici, & Magi, ſed Deus illos ab his ſceleribus retra-

retraxit. XII. Ad obtinendas indulgentias non magis jejunium, quam oratio requiritur, quia Pontifex hac in re præceptum injungere non intendit. Insuper accusabatur, quod in suis sermonibus sæpius hæc verba repetierit: Magnus Origines, Sanctus Origenes, Sanctus Tertullianus. Ceterum an Facultas has propositiones damnarit, ignoratur, saltem censura earum non reperitur.

Sæcul. XVI. A C 1564.

§. CXLII.

Novum Testamentum in lingua Syriaca editum.

Hoc item anno prima vice Novum Testamentum in lingua Syriaca prodiit, cura Joannis Alberti Widmanstadii Jurisconsulti, & Orientalium Austriæ Provinciarum Cancellarii, qui hujus operis editionem, prælumque, cum Ferdinandus Cæsar sumptus solveret, literis perquam elegantibus anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Viennæ in Austria inchoabat, ubi usus est quodam exemplari Syriaco Moysis Merdinensis Sacerdotis, ex quo hunc librum illius regionis Jacobitis tum usui fuisse dignoscitur: porro in hac editione Syriaca tam secunda Divi Petri, quam secunda, & tertia Sancti Joannis, divique Judæ epistola, atque Apo-

Spond. hoc ann. n. 33. Bellarm. de Verb. Dei l. 2. c. 4.

Sæcul. XVI. A C. 1564.

Apocalypsis desunt, eoquod in scripto Codice, ex quo prælum adornabatur, desiderata fuerint: ad initium novi hujus Testamenti, quod tamen minus vetustum creditur, ac forte ex Græco translatum fuit, habetur docta Editoris præfatio tanquam epistola nuncupatoria, ad calcem autem leguntur varia Alphabeta Syriaca, pluresque preces Syriacis, hebraicis, latinisque literis scriptæ, ut hac ratione istius linguæ tum adhuc paucis cognitæ lectio magis expedita redderetur. Ceterum novum hoc Testamentum Guido Fabritius latine reddidit: ambo autem hi Authores contendunt, quod S. Matthæi Evangelium, & Divi Pauli epistola ad Hebræos Syriace fuerint conscripta, Syrique crediderint, a Sancto Marco Evangelista totum novum Testamentum ex Græco in Syriacum idioma fuisse translatum: hoc tamen argumentis sat validis haud comprobatur.

§. CXIV.

Regina Scotiæ ad recipiendum Concilium Tridentinum a Pontifice sollicitata.

Raynald. hoc ann. n. 49

Regina Scotiæ hoc anno quoddam Pontificis diploma die decima tertia Junii datum recipiebat, in quo Pius IV. eam

eam hortabatur, ac impense rogabat, ut Synodi Tridentinæ decretis sese submitteret, eaque in regno suo promulgari juberet, simulque omnes hæreticos, atque de hæresi suspectos cunctis dignitatibus amoveret. Iisdem ferme verbis scripserat ad Archiepiscopum Santandreanum, & Glascensem Præsulem: verum inutiles erant hæreticos reprimendi conatus; quippe Regina regni sui tumultibus præpedita, ac nuptiis, quas cum Leviniani Comitis Filio inire parabat, perficiendis distenta parum Pontificis voro satisfacere poterat: aliunde vero plus æquo illius auctoritatem restringebat violentia Elisabethæ Angliæ Reginæ, quæ palam Protestantes protegebat, quapropter Scotiæ Regina adeo non hæreticorum factionem labefactare poterat, ut nequidem ejus facultati relictum esset præpedire, ne in ipsis Scotiæ visceribus impune grassarentur hæretici. Sæcul. XVI. A C 1564.

§. CXV.

Repetitæ Maximiliani Cæsaris Preces pro obtinendo Sacerdotum connubio.

Haud magis contentus esse poterat Pontifex de Maximiliano Cæsare, qui Calicis usu suis subditis sub quibusdam conditionibus, ut supra meminimus, concesso nondum contentus erat, *Raynald. n. 1 Thuan. l. 37.*

Sæcul. XVI. A.C.1564.

, sed apud sacram Sedem pro obtinendo Sacerdotum connubio rursus instabat. Verum Pontifex ægre ejusmodi preces percipiebat, eas tamen audire coactus mox die duodecima Januarii Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Purpuratorum Senatum convocavit, in quo Cæsaris postulatum, ac rei concedendæ difficultatem proposuit, ubi postmodum collectis congregatorum suffragiis, cum omnes has preces esse rejiciendas censerent, quosdam celebriores Theologos selegit, qui hanc repulsam validis rationibus firmarent, ac novis ejusmodi precibus aditum obstruerent. Facta hac elucubratione Pontifex eam per Lancianensem Episcopum doctum Theologum, ac Petrum Guicciardinum Iurisprudentia Canonica clarum ad Cæsarem transmisit, ponderatisque hisce rationibus mox Maximilianus acquievit.

§. CXVI.

Conspiratio in Pontificem ab Accoltio conflata.

Thuan. l. 36. Spond. hoc ann. n 10. Ciacon. tom. 3. p. 881. & 883.

Sub idem tempus Romæ dissipata est conjuratio a fanaticis quibusdam contra Pontificem structa, cujus Dux erat Benedictus Accoltius, Accoltii, qui ejusdem nominis olim purpurei galeri decus

Sæcul. XVI. A.C. 1564.

decus meruit, frater: porro hic complures habuit conſpirationis ſocios Petrum Accoltium Patruum ſuum, Antonium Canoſcæ comitem, Pellicionem Equitem, Proſperum Hectoreum, & Thaddæum Manfredum: Ceterum Benedictus inter alia inſanæ mentis ſuæ deliria ſibi imaginabatur, Pium IV. non verum Pontificem eſſe, eoque ſublato alterum ſuffectum iri, qui *Papa Angelicus* diceretur, ſub quo Eccleſiæ concordia caſtigatis erroribus omnino ſarciretur, additis etiam vaticiniis de potentia ejus in omnem terrarum orbem: inſuper patrata Pii IV. cæde Gazam illius, necnon Cardinalis Borromæi theſauros novo huic Pontifici in prædam mox ceſſuros mentiebatur: præterea arces, ditiones, & montes aureos ſociis ſuis pollicebatur, & Antonio quidem Comiti Ticinum, Thaddæo Cremonam, Pellicioni Equiti Aquilejam, Proſpero denique annuos reditus ad quinque aureorum millia ex inſana vanitate quadam ſe daturum promiſerat. Ergo Benedictus, & Proſper necis exequendæ conſilium in ſe ſuſcipiunt, ac vanis hiſce promiſſis deluſi ſæpius Papam occidendi occaſionem quærunt, ea autem oblata ſemper ſua expectatione ſeſe magis timidos experiebantur, quapropter hac cunctatione

Sæcul. XVI A.C.1564.

de perverſis ejusmodi conſiliis ſuſpicandi ſpatium indulſerunt, tandemque ipſimet ſceleris ſui victima ceſſerunt; diſſenſione enim inter eos exorta conjuratio fuit detecta, adeo, ut noctu, cum quidam ſuos complices manifeſtaret, unaomnes comprehenderentur, qui tormentis licet ſubjecti, crimen tamen ſuum diffitebantur: ſolus autem Accoltius riſu inter tormenta ſimulato ſe ad hoc facinus a quodam Angelo fuiſſe excitatum ajebat: equidem tantum delirium miſerationis ſenſu excipiebatur, verum criminis atrocitas debitas depoſcebat pœnas, unde pronuntiata in eum mortis ſententia cum ceteris complicibus extremo ſupplicio afficiebatur.

§. CXVII.

Variæ Conſtitutiones a Pio IV. editæ.

Bulla Pii IV. Conſt. 94. & 96. & 103.

Die decima ſeptima Februarii Pontifex Conſtitutionem edidit, qua omnes exemptiones, privilegia, immunitates, indulta, cunctaque in Bulla, quæ *Mare Magnum* appellatur, contenta, & cujuscunque generis Eccleſiis, monaſteriis, Noſocomiis, Univerſitatibus, Sodalitatibus, vel Eccleſiaſticis tam regularibus, quam ſæcularibus, imo etiam laicis cujuscunque gradus, conditionis,

nis, aut dignitatis conceſſa revocantur, in quantum ea quovis pacto Synodi decretis adverſantur: cum vero ſæpe contingeret, quod Sedis Apoſtolicæ Nuntii illorum, ad quos ablegantur, Principum favores eo fine ſibi conciliarint, ut ad Prælaturas, vel Cardinalatum eveherentur, hinc Pontifex quovis modo ejusmodi dignitates aucuparı prohibuit, indicta anathematis pœna, beneficiorum privatione, imo etiam perpetuæ infamiæ nota: inſuper plures confirmabat declarationes, quæ pro reſtauranda Ordinis Fratrum Minorum Conventualium diſciplina in comitiis Florentinis factæ ſunt. Denique plura alia, quæ profanum Romanæ urbis regimen reſpiciunt, ſanciebat. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. CXVIII.

Immoderatum Pontificis ſtudium in amplianda ſua familia.

Pontifex hoc ſuum reſtaurandæ diſciplinæ ſtudium, ejusque ſplendorem nimio in extollenda ſua familia conatu obfuſcare videbatur; poſtquam enim Fridericus Borromæus ſororis ſuæ Filius anno a partu Virginis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio in ætatis ſuæ flore abſque liberis deceſſerat, & Borromæus Cardinalis ejusdem Friderici Frater ad ſuam Diœ- *Thuan. l. 36. n. 9. verſus finem.*

Sæcul. XVI A.C 1565

cesin absoluta Synodo Mediolanum se receperat, Papa Annibalem Altempsium, & Marcum Sittichum duos alios Nepotes ad se accersebat, illumque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Gubernatorem (*) constituit, Marco autem rerum administrationem, curamque demandavit. Insuper Altempsio præter pinquem dotem etiam in uxorem destinabat sororem Borromæi Cardinalis, quamvis cognatione proximam: ut autem ampla hæc consilia ad exitum deducere

(*) Andreas Victorellus in addit. ad Ciacon. habet *militiæ Pontificiæ Præfectum*, certe officium Gubernatoris Romanæ Ecclesiæ omnino in tota Romana Curia haud cognitum est, unde merito redarguendus est Continuator, qui suum Thuanum livore tumentem cæco impetu describere voluit, ne Pontificem de immoderato erga suos Nepotes affectu carpendi occasionem amitteret: an autem suos consanguineos diligere in omnibus laudabile, in solis autem Pontificibus vituperabile sit, non definimus, saltem hic idem summus Pontifex in quodam Patrum Senatu ante mortem suam, qualis ejus amor sit, explicabat, dicens, *quod suos amaret, & illis quidem benefacere cuperet, sed sine Ecclesiæ dispendio alteriusque alicujus præjudicio, quibus ne laterem quidem hujus sanctæ Sedis daturus esset.*

ducere posset, hinc corradendis pecuniis unice intentus immodica imposuit tributa, multisque Nobilibus, quorum lites innovabat, molestiam intulit, eosque oppressit. (*) Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. CXIX.

Pontificis severitas erga Balneum, Corneum, Vitellium, & Bentivolium.

Plures insuper arces Joanni Francisco Guidoni Balnei Comiti eripuit, ut illum castigaret ob pecunias, quas in superiori bello prope Cæsenam intercepisse accusabatur: eapropter Papa nunquam permoveri poterat, ut ei veniam impertiretur, quamvis Cosmas Florentiæ Dux, cui hic Comes antea militaverat, & tunc in Germania operam navabat, pro eo instanter deprecaretur. Pariter Vitellii Papæ indignationi erant expositi, quibus litem intentabat propter Tifernum, seu civitatem Castellanam, eoquod ipsi hanc

(*) Hæc continuator ex suo Thuano describere non erubuit, cum tamen apud nullum omnino Catholicum scriptorem de ejusmodi exactionibus, & oppressionibus vel verbulum reperire sit, quam subleste autem fidei sit Thuanus, ignorare haud potuit.

Sæcul. XVI. A.C.1565.

Urbem sacra Sede vacante iniqua v occupassent: præterea Romæ ob eadem causſam Ascanium Corneum Vrum bellica laude conspicuum capi, aque ad arcem S. Angeli deduci jussit Cornelium quoque Bentivolium, ejusque fratres, qui apud Ferrariæ Principem gratia plurimum valebant, Bononiam vocari præcepit, eoquod ante octodecim annos in ea civitate ob privatas cum Lippo Gisolerio simultates, istius ædibus pulverem sulphureum subjeciſſent, eoque accenso illas subvertisse dicerentur, discerpto hac in re ipso Lippo; cum autem desuper accusaretur Bentivolius, is de prærogativa dignitatis excipiebat, asserens, quod regii Ordinis torquatus eques esset, proin coram Rege duntaxat sisti posset, hæ tamen rationes criminis impunitatem a Pontifice extorquere haud poterant. Præter hos ipsi etiam Alphonso Ferrariensium Duci litem intentabat, illum accusans, quod ministris Pontificiis in jurisdictione Mutinæ exercenda impedimentum attulisset. Insuper etiam Berzigellæ præfectura Alfonsum ducis patruum privabat.

Denique a nonnullis hic Pontifex suggillatur, perinde acsi defuncto Ascanio Sfortia Camerarii dignitatem pretio viginti aureorum millium vendidis-

didiſſet, & Alexandrum Sfortiam Cardinalem Cameræ Clericum purpura decoraſſet, ut vacuum hoc Clerici munus denuo vendere poſſet. (*) Sæcul. XVI. A.C.1565.

§. CXX.

Viginti tres Cardinales a Pio IV. creati.

Inter haſce oppreſſiones minime excuſandas Pontifex execrationes, quas ſibi inde accerſebat, ſe aboliturum arbitrabatur, ſi illos Prælatos, qui in Synodo Tridentina ſuo muneri plene ſatisfecerunt, in meriti præmium purpura decoraret. (**) Itaque die duodecima Maji viginti tres Præſules Purpuratorum Collegio adſcripſit, & quidem novemdecim Presbyteros, & quatuor *Ciacon. pag. 945. Raynald. hoc ann. n. 6.*

(*) Hæ calumniæ, cum ſolus Thuanus eas referat, potius contemptu, quam refutatione explodendæ ſunt. Vide Lib. CL. §. LX.

(**) Quod hic tranſitus, ſeu paragraphi hujus cum priori nexus ſit valde hiulcus, diſſimulari poſſet: quod autem Catholicus Vir non minus puerile, quam impium ſcoma in opem vocare voluerit, ut connexionem inveniat, omnino damnandum eſt: de cetero duntaxat ex his Cardinalibus ſunt quatuor, qui in Synodo ſtrenue laboraverunt. Vide Ant. Paggium Brev. hoc ann. n. XCIV.

Sæcul. XVI. A.C 1565

tuor Cardinales Diaconos creavit: porro ex illis primus erat Annibal Bozzutus Neapolitanus, Avenionenſis Archiepiſcopus Cardinalis tit. S. Sylveſtri. II. Marcus Antonius Columna Romanus tit. Sanctorum duodecim Apoſtolorum, poſtea autem S. Petri ad vincula, & denique Sancti Laurentii, Tarentinus, & Salernitanus Archipræſul, atque Epiſcopus Prænestinus. III. Ptolomæus Gallius vulgo dictus Cardinalis Comenſis, primo Montorienſis Epiſcopus, poſtea Archiepiſcopus Sipontinus, Oſtienſis Epiſcopus, & Sacri Collegii Decanus, qui adoptabat primo titulum ſancti Theodori, & poſtea illum ſanctæ Agathæ. IV. Angelus Nicolinus, patria Florentinus, Piſanus Archiepiſcopus tit. ſancti Calixti, V. Aloyſius Piſanus Venetus, Patavinus Antiſtes tit. ſancti Vitalis. VI. Proſper Sanctacrucius Romanus tit. ſancti Hieronymi, ac poſtea ſanctæ Mariæ in Thermis, & ſancti Adriani, necnon Divi Clementis, Arelatenſis Archiepiſcopus, & Albanenſis Antiſtes. VII. Zacharias Delfinus patria Venetus, Pharenſis, & dein Jaurinenſis Epiſcopus, tit. ſanctæ Mariæ in Aquiro, & ſanctæ Anaſtaſiæ. VIII. Antonius Bobba Caſalenſis, tit. ſancti Sylveſtri, ac poſtea ſancti Marcelli. IX. Hugo Boncompagnus Bononienſis tit.

tit. sancti Sixti, qui idem postea Pontifex sub nomine Gregorii XIII. creatus est. X. Alexander Sfortia Pauli III. Papæ Nepos Parmensis Episcopus, tit. sanctæ Mariæ in via lata, & Archipresbyter ad sanctam Mariam Majorem. XI. Simon Pasqua Genuensis Pontificis Medicus, ac dein Sarzanensis Episcopus, ac denique Cardinalis tit. sanctæ Sabinæ (*) XII. Carolus Vicecomes Mediolanensis, primo Ventimillensis, ac postea Ferrentinus Episcopus, tit. Sanctorum Viti, & Modesti. XIII. Franciscus Castillionæus Mediolanensis, Bobiensis Episcopus, tit. sancti Nicolai. XIV. Guido Ferrerius Vercellensis, ejusdemque Urbis Episcopus, tit. sanctæ Euphemiæ, posthac Sanctorum Viti, & Modesti. XV. Antonius de Crequio natione Gallus, Ambianensis Episcopus tit. sancti Triphonis. XVI. Alexander Cribellius Mediolanensis Cariatensis Episcopus tit. sancti Joannis ante portam latinam, & postea sanctæ Mariæ in Ara Cœli. XVII. Joannes Franciscus Commendonus Venetus, Atriæ, & dein

Sæc. XVI. A.C. 1565.

(*) Hic erat Patritius Genuensis, Vir Philosophiæ, linguæ Græcæ, & Medicinæ peritissimus, ac Theologiæ haud ignarus, qui ob doctrinam, morum probitatem, & acerrimam hæreticorum insectationem, ad nullius Principis preces, purpura decoratus est. Vid. Ciaconium loc. cit. fol. 962.

Sæcul. XVI. A C. 1565.

dein Zacinthi Episcopus, ac denique Nuntius in Polonia, Presbyter Cardinalis tit. sancti Cyriaci, postmodum S. Mariæ ad Thermas, & sancti Marci. XVIII. Benedictus Lomellinus Genuensis Ventimillensis, ac demum Agnanianus Episcopus, tit. sanctæ Mariæ in Aquiro, dein vero sanctæ Sabinæ. XIX. Franciscus Ursinus Romanus Sanseverinus, postea Murenensis Episcopus, ac Cosentinus Archipræsul, tit. sanctorum Petri, & Marcellini, qui etiam Legatus in Franciam decernebatur. Hi fuere novemdecim illi Cardinales Presbyteri: porro ex quatuor Cardinalibus Diaconis primus fuit Franciscus Alciatus Mediolanensis Cardinali Borromæo amicitia junctus, qui primo titulum sanctæ Mariæ in Porticu, & postea sanctæ Sabinæ adoptabat, demum vero Cardinalis Presbyter titulo sanctæ Luciæ nominatus est. II. Guilielmus Sirletus Calaber, qui postea ad Cardinalis Presbyteri dignitatem evectus titulum accepit sancti Laurentii in Panisperna, atque Episcopatum S. Marci, moxque Squillacensem obtinuit. III. Gabriel Paleottus Bononiensis, postea Cardinalis Presbyter tit. S. Martini in Montibus. IV. Franciscus Crassus ex nobili Mediolanensium familia ortus.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CONTINUATÆ

LIBER CLXIX.

PIUS IV. postea PIUS V. SUMMI PONTIFICES,
MAXIMILIANUS II. OCCID. IMP.

§. I.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Historia vitæ Cardinalis Borromæi.

Guissano in vita Carol. Borr. Carol. Episc. Novarie. in vita Carol. l. 1. Ciacon. tom. 1. 3. pag. 891. & seq.

Non pauci, qui a Pio IV. purpura decorati sunt, hunc dignitatis honorem in acceptis referre debebant precibus Cardinalis Caroli Borromæi Mediolanensis Archiepiscopi, qui Pii IV. Nepos (*) in Ecclesia summa veneratione colitur, ejusque memoria hodiedum

(*) Forte etiam hic sanctissimus Cardinalis ad resarciendas execrationes, quas sibi Pius IV. accersebat, suis precibus conferebat. Vide §. CXX. Lib. CLXVIII. Forte Pius IV. etiam immoderatum suorum Nepotum affectum exerebat, eoquod Sanctissimum hunc Virum Cardinalium Collegio adscripsit?

Sæcul. XVI. A.C. 1565

dum ubique celebratur. Natus is erat Aronæ ad Lacum Majorem in Mediolanenſi Ducatu die ſecunda Octobris Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo, Parentesque habuit Gilbertum Borromæum Aronæ Comitem, & Mariam Medicæam Pii IV. & Marignani Marchionis Sororem. Jam a teneris annis Carolus luculenta Sanctitatis, ad quam vocatus erat, ſpecimina edebat, ejusque parentes ex propenſa ad omnem pietatem indole haud obſcure colligebant, hunc Filium Eccleſiæ Miniſterio dicandum eſſe; quapropter illum tonſura inſigniri, ac Eccleſiaſtico habitu indui facile conſentiebant, porro nonniſi duodecimum ætatis ſuæ annum agebat, cum Julius Cæſar Borromæus eidem ſancti Gratignani Abbatiam cedebat, cujus tamen proventus puerili ſua ætate ſuperior jam tum ſublevandis pauperibus, ac ſuorum Religioſorum Reformationi cum tanto ſucceſſu impendebat, perinde acſi omnem Veterani Abbatis experientiam, atque auctoritatem jam tum poſſediſſet. Poſtea humaniorum literarum ſtudiis Mediolani abſolutis Patavium miſſus ſub Franciſco Alciato juri tam Canonico, quam civili operam navabat, atque adhucdum hiſce diſciplinis incumbens a Cardinale Medi-

cæo,

cæo, qui postea Papa Pius IV. eligebatur, altera Abbatia, ac pingui Prioratu honorabatur, quorum tamen reditus nunquam vel ad augendum suum famulatum, vel ad majores expensas impendebat. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. II.

Sub Pio IV. Cardinalis creatus, ac gravibus negotiis præpositus.

Mortuo Patre Carolus sua studia interrumpere, ac Mediolanum redire cogebatur, ubi vigesimo primo ætatis suæ anno totius familiæ sollicitudo ejus humeris imposita erat: postea autem Patavium reversus, ac Doctoratus laurea decoratus vix Mediolanum redierat, cum Patruum suum ad supremi Pontificatus dignitatem evectum perciperet, ubi illico a neoelecto Papa Romam vocatus, evoluto Mense Cardinalis creabatur, ejusque curæ gravissima, quæ in Ecclesiæ regimine occurrebant, committebantur negotia: nec tamen propterea a pio animi sui proposito deflectebat, sed potius, ut suo muneri eo accuratius satisfaceret, erexit academiam doctorum tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium, qui indefessam navarent operam illis præcipue scientiis, quæ ad vitii odium, virtutisque amorem salubriter inspi- *Guissano l. 1. c. 5. & 6.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

inſpirandum maxime idoneæ ſunt, cui ſtudio Carolus eo ardentius incumbebat, quo certius exinde ex Aula Romana otium expellere, ac pia quadam æmulatione illos excitare ſperabat, qui præcipua Sedis Apoſtolicæ ornamenta exiſtunt: hos igitur ſuo exemplo ſollicitabat, ut in ſacrarum literarum cognitione proficerent, priſtinamque illam conſuetudinem ab Epiſcopis tam religioſe ſervatam, qua ipſimet populos inſtruebant, reſtaurarent: eapropter hæc Academia Eccleſiæ plures, eosque inſignes Viros procreabat: juvenis vero hic Cardinalis ſibi exinde magnam venerationem, auctoritatemque conciliabat, quamvis vero cor ejus a terrenis penitus abſtractum eſſet, ſe tamen haud utilius Eccleſiæ bonum procuraturum arbitrabatur, quam ſi exterius ſaltem uſitato Aulæ mori ſe accommodaret, hinc magnificam domum ſplendida ſuppellectili ornatam incolebat, amploque comitatu, lautaque menſa utebatur, dum autem Deus oculos ejus magis aperiebat, hoc exteriori ſplendore regnum Dei haud recuperari agnoſcebat, quapropter cum Fridericus Borromæus ejus frater natu major absque liberis, ut antea meminimus, fatis functus eſſet, licet ferme omnes a Carolo ſacram militiam ad familiæ ſuæ propagationem

nem exutum iri crederent: histamen non attentis ipse Sacris Ordinibus initiari voluit, atque Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo secundo ad Sacerdotium promotus a Papa Presbyter Cardinalis tit. sanctæ Praxedis nominabatur: postea autem Major Ecclesiæ Romanæ Pœnitentiarius, necnon Ecclesiæ ad S. Mariam Majorem Archipresbyter, & quorumdam Regnorum, ac diversorum Ordinum tam Religiosorum, quam Militarium Protector renuntiatus est: insuper acceptare etiam cogebatur Legationem Bononiensem, & Anconitanam: præterea jam supra retulimus, quanto studio sese Synodi rebus impenderit, quantaque sollicitudine prosperum illius exitum procurare sategerit. Sæcul XVI. A.C. 1565.

§. III.

Sancta Caroli Vita, ejusque desiderium sese ad Monasterium recipiendi.

Vix summus Pontifex, ejus Patruus Tridentinam Synodum confirmaverat, cum illico Carolus in semetipso ea, quæ circa morum emendationem ibidem præscripta erant, exequi inciperet, hinc præprimis a suo obsequio dimittebat octoginta domesticos, quos *Vie de Bartho. des Martyr. l. 2. cap. 23. pag. 264. Ripemont. vit. S. Carol. l. 2. c. 12.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

tamen, quin illos largiter remuneraretur, non abire jussit, paucos duntaxat sibi reservans, quos ad Clericalis Instituti professionem magis aptos censebat, ipse vero omni luxu, ac inutili sumptu longius exulare jusso nonnisi laneis vestibus utebatur, semelque intra hebdomadam solo pane, & aqua contentus jejunabat: insuper jam ab illo temporis momento gerendis Ecclesiæ negotiis nuntium misisset, & Religiosorum vitæ in quodam Monasterio sese sociasset, nisi ab hoc proposito per Bartholomæum de Martyribus Bracarensem Archiepiscopum amotus fuisset; hic enim sanctus Præsul Borromæo auctor extitit, ut potius in sua Diœcesi moraretur, quamprimum id ei per Ecclesiæ negotia liceret: monuit tamen, ut nihil præcipiti consilio ageret, sed consideraret, quod Pontifex ejus Patruus jamjam senio confectus esset, qui si Ecclesiæ negotiis sese subduceret, facile ei adjungi posset alius, qui Pontificis auctoritate, ac nomine abuteretur: consultius igitur fore hic Præsul suadebat Borromæo, si tempori indulgeret, cunctasque res ita disponeret, ut quantocius secedere posset, quamprimum funesta mala, quæ tum orirentur, præveniendi opportunitatem Deus ei suppeditaverit. Huic consilio

tam

tam salutari mox aquiescens Cardinalis ad suum, quem pro Diœcesis regimine habebat, Vicarium Generalem perscribens, eidem Episcopum Suffraganeum Hieronymum Ferragaram submisit, ut Diœcesin lustraret: alterum vero Vicarium constituit Nicolaum Ormanettum Veronensis Diœcesis Parochum, cujus probitatem, prudentiam, atque ingentem juvenes scientiis Ecclesiasticis imbuendi dexteritatem sibi sat perspectam habebat. Sæcul. XVI. A.C 1565.

§. IV.

Borromæus relicta Aula Romana Mediolani in sua Diœcesi commorans.

Ormanettus alteram Mediolanensis Diœcesis partem lustrans Synodum celebrabat, cui mille ducenti Ecclesiastici intererant, quorum opera tandem ingens Reformationis opus inchoabatur; cum autem Ormanettus novas indies difficultates succrescere cerneret, petita a Cardinale redeundi venia eidem exposuit, quod absque proprii Pastoris præsentia haud amplius hanc Ecclesiam rite regere posset. Ad hujus monita mox Carolus denuo Papam rogabat, ut ipsi in sua diœcesi remanendi copiam dare vellet, tandem etiam id *Raynald. hoc ann. n. 21.*

Sæcul. XVI. A. C. 1565

ab eodem obtinuit, ut ibidem Synodum Provincialem celebraturus abire posset. Ergo Borromæus die prima Septembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto Roma discessit, comitantibus eum Præsulum quamplurimis, aliisque selectioribus Ecclesiasticis: quamprimum autem Mediolanum venerat, mox celebriores Theologos, jurisque Canonici peritos accersebat.

§. V.

Concilium Provinciale Mediolani ab eo convocatum.

Post suum adventum Carolus primas eo curas intendebat, ut Provinciale Concilium, quod eo regnante primum erat, Mediolani celebraret: igitur hac de re præprimis cum Provinciæ suæ Episcopis, qui jamjam Mediolanum venerant, agere cæperat, iisque argumenta distribuebat, ut rebus mature perpensis postea desuper decreta confici possent. Intererat huic Concilio nuper electus Cardinalis Guido Ferrerius, qui in hac ipsa Synodo a sancto Carolo Borromæo rubrum galerum Pontificis nomine acceperat: insuper ibi convenere ex Episcopis Hieronymus Vida Albensis, Mauritius Petra Viglebanensis, Cæsar Gambara Tortonensis, Scipio

pio de Este Casalensis, & Nicolaus Sfondratus Cremonensis præter alios: porro prima Sessio inchoabatur præmissa solemni supplicatione, qua finita, sacroque decantato Cardinalis initium Synodo fecerat, habita oratione, in qua de Conciliorum Provincialium institutione differens eorum necessitatem demonstratum ibat. Dein inter prima negotia ei erat sollicitudo, quomodo Tridentinæ Synodi decreta promulgarentur, atque acceptarentur, simulque eorum executio injungeretur omnibus Provinciæ Episcopis, qui quoque fidei suæ professionem publice emittentes circa disciplinam Ecclesiasticam plura statuta, ac decreta, præcipue vero circa ea, quæ ipsorummet Episcoporum vitam, mores, & disciplinam concernunt, a se concepta proponebant. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. VI.

Acta, & Statuta primi Concilii Mediolanensis.

Primi hujus Mediolanensis Concilii Constitutiones in tres divisæ sunt partes, in quarum prima fidei Catholicæ professio reperitur, agiturque de aptis fidem conservandi mediis, ubi statuuntur etiam quædam contra illos, qui sacris literis abutuntur: postea Synodus agit de Scholarum Magistris, de *Labb. Collect. Conc. tom. 15. pag. 246. & seq.*

Sæcul. XVI A. C. 1565.

doctrina Christiana per Parochos singulis Dominicis, & festis in Parochiis explicanda, de præbenda Theologo Cathedrali adjicienda, & de prædicatione Verbi Divini, circa quod caput eximia prorsus præcepta traduntur. Præscribitur quoque, quid observandum sit in sanctarum Imaginum cultu, & reliquiarum veneratione, ubi pertractatur de iis, quæ Magiam, & divinationes concernunt.

Altera pars continet ea, quæ in genere ad Sacramentorum administrationem necessaria sunt, postea autem declarantur ea, quæ concernunt Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Missam, Pœnitentiam, jejunium, extremam Unctionem, Ordinem, Clericorum Seminaria, Beneficiorum collationem, necnon requisita ad Parochias, vel Canonicatus seligendorum examina, ac prudentem, honestamque Episcoporum, & Clericorum conversationem. Præcipitur quoque ibidem speciatim, ut Ecclesiastici sæpe Sacrificium celebrent, nec suam dignitatem vilipensioni exponant, sed modeste vestiantur, sobria, ac frugali mensa, necnon prudentibus, & honestis famulis utantur, simulque horis Canonicis assistant. Præterea enarrantur libri a Clericis pervolvendi, omnesque Ecclesiastici præcipue

cipue ad veteris, & novi Teſtamenti ſtudium admonentur, necnon ad lectionem Catechismi Romani, qui proxime edendus eſſet: inſuper iidem ad Tridentinæ Synodi, & Diæceſanarum Conſtitutionum lectionem incitantur: injungitur etiam Parochis, ut homelias ab Epiſcopo ſelectas, necnon Theologicam Divi Antonini ſummam, aliosque libros ab Epiſcopo deſignatos, præter ſancti Gregorii Paſtorale, & ſancti Joannis Chryſoſtomi tractatum de Sacerdotio penes ſe habeant. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. VII.

Actum de Eccleſiaſticorum officiis.

Poſtea ſigillatim, atque exacte recenſebantur omnia Eccleſiaſticorum officia, ac præprimis illis præcipitur, ut præter tonſuram, tonſamque cæſariem deferant habitum clericalem ſuo Ordini, ac dignitati congruum, atque a mulierum conſortio abſtineant, imo ſuas etiam affines a ſuis ædibus excludant, nec etiam arma deferant, aut publicis ludis, & ſpectaculis interſint, nec ſeſe profanis implicent negotiis, ſed in ſuis beneficiis reſideant: Epiſcopi autem cujuslibet Parochiæ ſtatum ſibi cognitum habeant, ibidemque Vicarios conſtituant, qui ipſorum Diæceſes ſedule viſitent: his præmiſſis agitur de

Sæcul XVI A.C.1565.

eorum jurisdictione, de Notariis, Advocatis, ærarii Procuratoribus, Carceribus, & carcerum custodibus, necnon de iis, qui in ejusmodi carceribus detinentur: nec minus ibi pertractatur de iis, quæ concernunt Ecclesiæ Ministros, Divina Officia, Capituli Cantoris munus, necnon munia eorum, qui Dignitates, Personatus, & Canonicatus possident. Præscribuntur etiam ea, quæ respiciunt rituum Magistrum, Sacristam, Mansionarios, seu eos, qui cunctis horis Canonicis interesse tenentur: præterea exponuntur illa, quæ tangunt, Thesauri Præfectum, & Archivorum custodes, necnon eum, qui absentes adnotare tenebatur: monet etiam Synodus, ut Ordinum Minorum munia in usum deducantur, hinc agitur de Ostiario, Lectore, Exorcista, & Acolytho: dum autem articulatim de rebus ad Divinum officium pertinentibus differitur, mentio etiam fit de Musica, cantu, & tempore, quo ad Officium est conveniendum: insuper ordo præscribitur de ratione choro assistendi, & de tempore ab eo recedendi, vel Matutinum, aut Primam, Missamque solemnem celebrandi: nec minus etiam varia conduntur decreta de Ecclesiarum ornatu, solemnibus supplicationibus, Episcopi exequiis, & sepultura, necnon

non de Ecclesiæ bonorum conservatione, & debito Ecclesiasticam jurisdictionem exercendi modo: denique huic parti anectitur materia de Sacramento Matrimonii, ibique postea præcipitur, ut vitæ licentiosæ mulieres a ceteris certo habitu distinguantur, ac dignoscantur: Histriones autem, & Mimi, necnon ludi a solo fortunæ arbitrio pendentes toto studio prohibebantur, necnon sumptuosa convivia, ac immodicæ expensæ interdicebantur, & penitus usuræ vetabantur.

§. VIII.

Synodi statuta pro Monialibus, & Nosocomiis.

Tertia pars complectitur ea, quæ concernunt locorum piorum, veluti Nosocomiorum, Sodalitatum, domuum Leprosorum, Hospitalium, aliorumque, etiam montium pietatis administrationem: ubi postea differitur de Monialibus, necnon de earum numero in quolibet Monasterio juxta redituum rationem stabiliendo, de Abbatissis, & Superioribus, prout etiam de omnibus claustri muneribus, scilicet de officio Magistræ Novitiarum, Oeconoma, Portaria, seu Rotaria: præterea eis præscribitur labor, cui vacare teneantur, nec minus mentio ibi fit de infirmarum cellis &c.

Sæcul. XVI. A.C. 1565

Insuper anathema intentatur illis Parentibus, qui suas Filias a Deo vere vocatas a statu Religioso præpediunt, dotis autem summam pro ingressu, & receptione præfigere, Episcopi prudentiæ relinquitur, simulque statuuntur ea, quæ Novitias ad Professionem admittendas tangunt: insuper Monialibus Officium Divinum, preces, ac lectiones præscribuntur, omnisque rei dominium eis inhibetur, sedula autem clausuræ custodia commendatur: disponit etiam Synodus de Conversis, Pensionariis, Prædicatoribus, Confessariis, Visitatoribus, & Sacellanis, atque ut paucis omnia complectar, Moniales admonentur ad Regulæ suæ cultum, necnon ad unius capitis lectionem singulis diebus publice faciendam.

Postea sermo inspergitur de Judæis, quibuscum Christiani ullum commercium habere prohibentur: denique Synodus absolvitur indictis pœnis in omnes, qui has Constitutiones transgressuri essent: porro cuncta hæc dispositа sunt juxta Synodi Tridentinæ decreta. His ita peractis idem Cardinalis Borromæus sermonem habuit, quæ tamen oratio in Concilio pronuntiata haud videtur, eoquod ibidem de Pontificis Pii IV. obitu, necnon de electione Pii V. mentio fiat, cum hic nonnisi Mense Janua-

Januario ad Divi Petri Cathedram promotus fuerit. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Ceterum prudens agendi ratio, quam Cardinalis Borromæus in hujus Synodi celebratione tenebat, omnes admiratione repleverat; nunquam enim ſat amplis elogiis celebrari poterat gravitas, ac Majeſtas, quacum hæc Synodus habita eſt. Stupebant omnes, quod Cardinalis ætate juvenis, inter dignitates, ac faſtum olim enutritus nunc cum tanto fervore, & eloquentia populis Dei Verbum annuntiaret, de morum emendatione ageret, Synodo aſſiſteret, cuncta ejus decreta ipſus inſtrueret, ac veteranos etiam Præſules ætate longe ſuperiores ad eorum obſervantiam animaret, illosque ad reſidendum, atque ſuo gregi, Eccleſiisque invigilandum hortaretur.

§. IX.

Papa datis ad Carolum literis felicem Synodi exitum gratulatus.

Cum Pium IV. Pontificem non minus, ac ceteros tam felicis ſucceſſus nuntius ingenti admiratione, & lætitia afeciſſet, hinc idem Pontifex eadem occaſione ad Carolum Borromæum diploma transmiſit his verbis conceptum. „Jucundiſſimæ nobis fuerunt literæ tuæ „omnes, ſed poſtremæ inter ceteras, „quas

Sæcul. XVI A. C. 1565.

„quas ad nos decima octava hujus mensis die dedisti tum de omni Synodi „istius felici progressu, tum præcipue „de Concilii Tridentini decretis publice „receptis, atque istorum populorum „præparatione ad ea omnia accipienda, „quæ in Synodo constituentur, nec minus gaudemus de prompta Gubernatoris, & aliorum Sereniſſimi Regis Catholici ministrorum voluntate, qui ad rerum „decretarum usum studium, atque operam suam omnem pollicentur: qua in „re divinum auxilium perspicue agnoscentes, quod ardenti, optimoque desiderio tuo, ad omnium rerum prosperitatem præsto est, te collaudamus, hortamurque, ut læto animo „pergas optima constituere, & quæcunque possis laudabilia exempla edere „pro Diæcesis tuæ bono. Dominus noster te conservet. Datum Romæ die „vigesima septima Octobris Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo „sexagesimo quinto.„ Eadem epistola summus Pontifex Borromæo injunxerat, ut opportune Tridentum versus honoris caussa procederet obviam Principibus fœminis, quæ erant Joanna, & Barbara Maximiliani Imperatoris Sorores, quarum prima Francisco Cosmæ Medicæo Florentiæ, & Senarum Ducis filio, altera natu major Alphon-

Alphonso Estensi Ferrariæ Duci desponsata erat. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Verum priusquam demandatæ huic provinciæ satisfaceret Borromæus, universam suam Diæcesin lustrare aggrediebatur, cum autem jamjam sancto huic operi intentus esset, Tridentum præfatis Principibus obviam ire cogebatur: postea vero eum summus Pontifex, ejus Patruus, qui sat periculosum morbum erat eluctatus, Romam venire jussit.

§. X.

Rhemensis Conventus a Lotharingio Cardinale celebratus.

Pariter hoc anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto exeunte Mense Novembri Lotharingius Cardinalis Rhemis conventum egit sat numerosum; aderant quippe ipsimet Episcopi Sylvanectensis, Suessionensis, & Catalaunensis: suos autem Procuratores mittebant Noviodunensis, Laudensis, Ambianensis, & Bolognensis: cum vero eodem tempore Nicolaus Pelleveus Senonensis Archiepiscopus, & Nicolaus Psalmæus Virodunensis Præsul Rhemis essent, hinc a duobus Archidiaconis ad eos deputatis ad hunc Conventum invitabantur, qui etiam cum ceteris intererant, ita tamen, ut Archie- *Labb. p. 43. & seq.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

Archiepiscopus ad Cardinalis dexteram, Virodunensis vero ad lævam suas sedes occuparent. Huic Conventui a secretis erat Nicolaus Britonus Noviodunensis Ecclesiæ Decanus a ceteris ad hoc munus electus, cui etiam adjungebatur Gentianus Hervetus: Procurator autem nominabatur Joannes Espolarus Suessionensis Decanus, cui Socius attribuebatur Petrus Gilbaldus Rhemensis Canonicus: præterea Capitulorum Deputatis, pluribusque Abbatibus, qui præsentes aderant, jus suffragii concedebatur. Denique cunctis in Ecclesia Cathedrali considentibus Lotharingius Cardinalis conventui initium fecit, habita eloquenti oratione, in qua hujus Concilii finem unice ad procurandum Dei honorem, & gloriam, atque Ecclesiæ Catholicæ salutem collimare declarabat, suo autem sermoni thematis loco præfixit hæc Christi Domini verba Joan. 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* Postea Sacro solemni per Suessionensem Episcopum celebrato demum litaniæ, hymnusque Ambrosianus (*) decantabatur, quo finito

(*) In aliis Synodis præmissum legimus hymnum *Veni creator Spiritus*, atque ad illorum finem decantatum fuisse Hymnum *Te Deum*.

finito recedebant omnes. Peracta hæc erant die Dominica vigesima sexta Novembris. Sæcul. XVI. A.C.1565.

Altera die, quæ erat feria secunda, habebatur prima Congregatio, in qua solemnis supplicatio feria quinta post sancti Andreæ festum celebranda, ibique Sanctissimum Sacramentum deferendum decernebatur, ubi eadem die omnes ibidem assistentes sacra Synaxi reficerentur. Pariter decretum est, ut epistola Synodalis ad omnes Parochias transmittenda conficeretur: insuper quibusdam Doctoribus injunctum, ut juxta Tridentinæ Synodi decreta fidei professionem conciperent. In altero consessu feria tertia, ac die vigesima octava ejusdem Mensis habito Cardinalis Synodum efflictim rogabat, ut discutere inciperet, an quædam contra ipsius mores monenda occurrerent, cum ea emendare paratus sese Suessionensis, & Catalaunensis Præsulum judicio committeret. His peractis suadebat, ut correctionis articulis pro Ecclesiasticis, & Religiosis conficiendis incumberetur: cum autem suam quivis diversam hac in re sententiam haberet, conclusum est, quod morum emendatio ad sequens Concilium remitteretur: interea vero Præsulum quivis ea, quæ in sua Diæcesi reformanda repererit, sedulo discuteret.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

teret. In tertio congreſſu die vigeſima nona Novembris celebrato fidei profeſſio prælecta, atque altera die in quarto conventu approbata eſt. In quinta die ſancto Andreæ ſacra habebatur decreta ſolemnis ſupplicatio, qua finita, ſacroque celebrato omnes per Cardinalem ſacram Euchariſtiam recipiebant: porro novemdecim ejusmodi Congregationes habebantur, quarum poſtrema die decimo tertio Decembris celebrata eſt, ubi quam plurima ſtatuta aut Conſtitutiones conditæ fuerunt.

§. XI.

Hujus Synodi ſtatuta.

Labb. p. 49. Decreto I. agebatur de Parochorum Reſidentia II. de eorum ſollicitudine in tradenda, atque annuntianda ſana doctrina III. de Parochorum officio in adminiſtrandis Sacramentis IV. præcipitur, ut in parvulorum baptismo unicus duntaxat Patrinus, & Matrina adhibeantur, ne affinitatis ſpiritualis impedimenta multiplicentur. V. Præfigitur tempus ad nuptias, earumque ſolemnitates celebrandas permiſſum. VI. agitur de morum honeſtate in Paſtoribus requiſita. VII. De examine cunctorum ad animarum curam ſeligendorum. VIII. De promotione ad Ordines ſacros. IX. De Tonſura. X. De

de necessitate in Ecclesia Ordinum minorum munia restaurandi. XI. De iis seperatim conferendis, necnon de dotibus in illis, qui eos recipiunt, requisitis. XII. De cunctis Clericis Ecclesiæ Ministerio deputandis. XIII. De ætate, & dotibus eorum, qui ad sacros Ordines adspirant. XIV. De examine quoad eorum vitam, mores, & scientiam. XV. De officio Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri erga Ecclesiam, cui destinati sunt. XVI. De Ordinibus gratis, & sine accepto præmio conferendis. XVII. Alia prorsus eximia conduntur decreta circa Clericos. XVIII. Agitur de Archidiaconorum visitationibus, & ruralium Decanorum officiis. XIX. De reparandis Ecclesiis, & S. imaginum cultu. Plura adhuc alia decreta condita videntur, non tamen illa præter ista novendecim typis excusa reperiuntur. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XII.

Victoriaci-Francici Parochi, necnon Bellovacensis Episcopi causſa ibidem examinata.

In sexto hujus Concilii conventu comparebat Claudius Aubertinus Victoriaci-Francici Parochus responsurus ad accusationem in eum intentatam, perrin- *Labb. p. 76. & 87.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

rinde acsi permultos annos a Parochia sua absens fuisset, & nunquam ad illam venisset: qui etiam, quo minus Victoriaci habitasset, caussam allegabat, quod tunc, cum illuc veniret, necesse haberet degere in diversorio, cum nulla illic esset domus, quæ par esset Parocho, neque tamen propterea suo se defuisse officio ajebat, cum suis Parochianis semper idoneum subrogarit Vicarium, nec defuerit, qui illis verbum Dei prædicaret, fidei doctrinas exponeret, ac Sacramenta administraret. His dictis idem Parochus ita prosequebatur: „Mihi facile persuadere pos„sum, ut meæ cedam paræciæ, si modo „a sancta Synodo quoad me habeatur „aliqua ratio, ut possim constituta pen„sione congrua honeste vivere, & non „cogar victum emendicare: porro duas „offero conditiones, quamcunque pla„cet eligere, nempe ut vel Parochianis „detur Vicarius, qui fruatur tertia fru„ctuum parte, vel ego ipse deinceps „nulla assignata pensione Parochiam „hanc meam retinere permittar.„

Dudum ea res discutiebatur, tandem vero decisum, quod hic Parochus suum beneficium cedere cogeretur, eidem tamen centum librarum pensio assignaretur.

Cete-

Ceterum cum Castillionæus Cardinalis Bellovacensis Episcopus in hoc conventu nequidem per suum Procuratorem comparuisset, ac Promotor illum contumacem declarari postularet, hinc Lotharingius Cardinalis hanc in rem suum judicium proferre renuit, veritus, ne potius ex odio inter suam, & Castillionæam familiam flagrante, quam ex veritatis amore hanc sententiam pronuntiasse crederetur: eapropter potissimi censebant, hac de re ad Regem esse perscribendum, interim hic idem Castillionæus unanimi suffragio tanquam contumax declarabatur (*). Pariter in eodem hoc conventu quædam decreta fuere condita circa matrimonia, & raptores, ast hæc non fuere promulgata. Denique in fine recitabantur literæ Caroli de Croy Tornacensis Episcopi datæ ex Cœnobio sancti Gisleri die decima quinta Octobris, in quibus is suam a Synodo ablentiam excusabat. His peractis alterum Concilium secunda die Dominica post

Sæcul XVI. A C. 1565.

(*) Erat hic idem perfidus Cardinalis, qui jam antea cum ingenti purpuræ dedecore a vera fide ad hæreticorum castra transiit. Legesis desuper ipsa acta hujus Conventus in Congregatione XI.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

post SS. Trinitatis Festum anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto esse celebrandum decernebatur.

§ XIII.

Concilium Cameracense.

Cum Maximilianus a Bergis Cameracensis Archiepiscopus novam dignitatem suam Archiepiscopalem, de qua cum eo contendebat Rhemensis Archipræsul, publico exercitio firmare vellet, pariter in urbe sua Metropolitana ineunte Mense Augusto Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quinto suam celebrabat Synodum, ubi aderant ex Episcopis Tornacensis, Atrebatensis, Audomarensis, & Namurcensis. Porro priusquam hujus Concilii acta incæperant, fidei professio prælegebatur, qua absoluta viginti, & unus (*) proponebantur tituli, seu articuli in plura divisi capita, & quidem in primo libri hæretici, suspecti, ac prohibiti condemnantur. II. Agitur de scholis, & sollicitudine

(*) Errore typi habetur *viginti & unus*, cum legendum sit viginti duo, totidem enim articuli in hoc Concilio fuere stabiliti, quos Continuator confuso ordine proposuit, omittens secundum, *de lectionibus Theologicis in capitulis, & monasteriis.*

dine Magiſtrorum, quibus juventutem imbuendi cura eſt demandata. III. Præſcribitur modus erigendi Seminarium pro educatione Clericorum. IV. Differitur de doctrina, & Verbi divini prædicatione. V. De cultu, ritibus, & officio divino. VI. De Miniſteriis Eccleſiaſticis. VII. De examine Epiſcoporum. VIII. De Parochorum examine. IX. De vita, & honeſtate Clericorum, X. De reſidentia Epiſcoporum, & Paſtorum. XI. De eorum Officiis, & functionibus. XII. De viſitatione Epiſcoporum. XIII. De poteſtate, & Jurisdictione Eccleſiaſtica. XIV. De Matrimonio, denuntiationibus, & ſponſalibus &c. XV. De Decimis, oblationibus, & portionibus, quæ Parochis debentur. XVI. De Purgatorio. XVII. De Religioſorum, & Monialium Monaſteriis. XVIII. De cultu Sanctorum, eorumque Imaginibus. XIX. & XX, De veneratione eisdem debita, necnon de miraculis. Denique XXI. & XXII. De reliquiis, & indulgentiis. Ad finem hujus Concilii decreta Tridentinæ Synodi fuere confirmata, & acceptata, huncque in finem præſcripta eſt formula, cui omnes, qui Synodo intererant, ſeſe ſubſcripſerunt (*).

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XIV.

(*) Tridentinam univerſalem Synodum a Pro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

§. XIV.
Concilium Toletanum.

Labb. p. 751. Haud minori Religionis zelo Hiſpania eadem ſacroſanctæ Tridentinæ Synodi decreta promulgari curabat, hancque in rem ibidem plura Concilia, ac præcipue Salmanticæ, Cæſar-auguſtæ, Valentiæ, & Toleti fuere celebrata, quorum tamen acta typis impreſſa non reperiuntur, excepto Toletano, quod a Chriſtophoro Rogio de Sandoval Cordubenſi Epiſcopo Synodi illius Præſide die octava Septembris anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto habitum eſt: ubi convenerant ex Epiſcopis Seguntinus, Segovienſis, Palentinus, Conchenſis, atque Oxomenſis præter Abbatem de Alcala la Real: porro in Seſſione prima recitabatur Synodi Tridentinæ decretum de celebrandis Synodis Provincialibus, nec minus proponebatur etiam fidei profeſſio, quam omnes, qui Concilio intererant, approbabant, eique ſubſcribebant. Altera Seſſio non niſi decima tertia Januarii die anni ſequentis celebrata eſt, in qua triginta, & unus de reformatione articuli circa diverſas res promulgabantur, præcipue vero circa ea, quæ Epiſcopos, Parochos, Officiales, Promotores, Notarios Eccleſiaſticos, Sepul-

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

Sepulturas, Officia divina, Examinatores, Reſidentiam &c. concernunt. Denique tertia, & poſtrema Seſſio die vigeſima quinta Martii habita complectebatur viginti octo articulos, ubi tamen præprimis ea Concilii Tridentini decreta, quæ ſub Paulo III, & Pio IV. circa

a Provinciali hoc Concilio fuiſſe confirmatam ne unico quidem verbulo in actis Cameracenſis Synodi indicatur: ejus autem decretum hac in re ita ſonat: *Mandat hæc ſancta Synodus omnibus, & ſingulis Epiſcopis, Abbatibus, Capitulis, & aliis quibuscunque perſonis eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ut præmiſſa omnia, & ſingula, & quæ a ſacro Concilio Tridentino conſtituta ſunt, diſtincte obſervent, & obſervari faciant.*

In Eccleſia autem Catholica inauditum eſt, quod Oecumenici Concilii decreta confirmentur a particularibus Synodis: in illis equidem agitur de eorum receptione, ſeu decernitur, quod omnes ſeſe eidem ſubjicere cogantur, ut ergo ejusmodi univerſalia Concilia ubique vim negativam, ut ſcholæ loquuntur, obtineant, ſeu ne eorum executio per malitiam proterve reſiſtentium impediatur, hinc particulares Synodi Univerſalia Concilia tanquam legem propriam publica auctoritate promulgant.

Sæcul XVI. A. C. 1565

circa residentiam condita fuere, prælegebantur: postea autem Episcopis injunctum, ut publica habeant Archiva, nullumque ad tonsuram admittant, nisi beneficio provisus sit: insuper præscribebatur Parochis fidei præcepta tradendi, deique Verbum prædicandi modus, nec minus ibi agebatur de Canonicis, dignitatibus, quotidianis distributionibus, præcepto assistendi horis Canonicis, necnon de fabricis, ac præter alia de illis, quibus suffragii jus competit. Denique ad hujus Synodi exitum quidam beneficiati nominabantur, qui in singulis diversarum Diœcesium Archipresbyteratibus hæc decreta ad usum deduci curarent.

§. XV.

Pontificis diploma in favorem Ordinis Sancti Lazari.

Bull. Const. 95. Pii IV. Thu. l. 36. Spond. hoc anno n. 16. & 17.

Die quarta Maji eodem anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quinto summus Pontifex in favorem Ordinis Militaris, ac Hospitalitatis, ut vocant, S. Lazari in Jerusalem diploma edidit: porro notum est omnibus, quod hic Ordo a Christianis Occidentalibus, dum Terram sanctam suo imperio subjectam tenebant, institutus, differat a Templariorum, Teutonicorum, illorumque equitum S. Joannis Hierosoly-

solymitani Ordinibus: illius autem in- Sæcul. XVI.
stitutum eo collimabat, ut in domibus A.C.1565.
ad hanc pietatem specialiter erectis Peregrinos susciperent, per itinera comitarentur, eosque contra Mahometanos protegerent: eapropter hic Ordo ampliſſimis privilegiis a Pontificibus, necnon pinguibus prædiis a Principibus dotabatur, & quidem a Ludovico VII. anno post Virginis partum milleſimo centeſimo septuageſimo quarto prope Aureliam Bogniacenſem ditionem receperunt, ubi etiam Equites postea commorati sunt: postquam autem Christiani Jerosolymis fuere expulsi, ac proin horum Equitum obsequia haud amplius neceſſaria erant, Rhodienſes Equites ab Innocentio VIII. facile obtinebant, ut hic Ordo supprimeretur, atque illorum militiæ uniretur: cum autem Galli hac super re apud Regium Senatum quererentur, decretum fuit, ut hic idem Ordo a quovis alio segregatus subsisteret: ut igitur Pius IV. Gallorum voluntati cederet, omnia hujus Ordinis privilegia confirmabat, dummodo Synodi Tridentinæ decretis non adverſarentur, atque hoc etiam anno duntaxat pro Italia supremum Magiſterium conferebat Johannoto Caſtillionæo Mediolanenſi suo affini: insuper etiam huic Ordini eadem conceſſit privilegia,

Sæcul. XVI A. C. 1565.

quibus Equites Melitenſes, ſancti Jacobi, ſancti Stephani, & ſancti Antonii fruuntur: præterea addidit idem Pontifex in ſuo diplomate, quod hic idem Ordo jamjam ſancti Baſilii Magni, & Divi Damaſi temporibus fuerit inſtitutus: verum hic error exinde promanaſſe videtur, quod ſanctus Gregorius Nazianzenus in oratione vigeſima de S. Baſilii laudibus ſermonem faciat de quodam Hoſpitali a ſancto Baſilio ſub invocatione ſancti Lazari erecto, quod tamen in Ordinem militarem non erat evectum (*).

§. XVI.

(*) Nimis temere Continuator Pontificem erroris redarguit, cum ille duntaxat aſſerat Noſocomium, ſeu Hoſpitalitatem, Sancti Lazari a S. Baſilio fuiſſe illuſtratam atque excitatam &c. de cetero Continuator noſter de Ordinis hujus initio, ac progreſſu exiguam omnino notitiam hauſiſſe videtur; Hac ſuper re conſulatur Paggius Brev. Rom. Pontif. hoc anno n. 97. præcipue vero doctiſſimus P. Honoratus a S. Maria Carmelita Diſcalceatus in ſua Equeſtrium Ordinum Hiſtoria Lib. 1. diſſert. V. art. 2. ubi hanc difficultatem a Continuatore motam optime diſſolvit. Vide eundem Lib. I. diſſert. X. art. 5. §. IV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1565.

§. XVI.

Cardinalis Borromæus in Etruria de Pontificis morbo certior factus.

Postquam Pius IV, diuturno morbo confectus erat, edito hoc diplomate ferme ad singula momenta viribus deficere videbatur, auctisque hyemis rigore malis ante hujus anni auspicia in tam gravi mortis periculo versabatur, ut Carolus Borromæus omni, qua potuit, celeritate Romam contendere cogeretur, qui morbum omnino periculosum esse Medicorum testimonio edoctus, ad Patrui sui lectum propius accessit, eique vitæ suæ finem proximum fore annuntians porrecta Crucifixi imagine his verbis eum alloquebatur: „Beatissime Pater, omnes tuas co„gitationes ad cœlum dirige, totam„que tuam spem in illum repone, qui „vita, & resurrectio nostra est; nam hic i„dem noster est Advocatus, & sacrifi„cium pro peccatis nostris oblatum, „nec ullum, qui confidit in illo, ac sin„cere peccata sua confitetur, despicit; „quippe pius est, patiens, & misericor„diarum plenus, neque unquam a facie „sua cor contritum, & humiliatum pro„jicit. Postea Papam rogabat, ut resi-

Giussan. c. 12 Rayn. n 27. Thuan. l. 38.

dua

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

„dua vitæ ſuæ momenta unice in ſa„lutem animæ ſuæ impendat, ſeque ita „ſancte diſponat, ut coram Deo com„parere poſſit. „ Borromæus ſemper agonizanti Papæ, donec tandem animam ſuam Deo redderet, adſtitit, eidemque ſacrum Viaticum ipſus adminiſtravit: adfuit quoque felici huic morti ſanctus Philippus Nerius.

§. XVII.

Pii IV. Papæ obitus.

Ciacon. 871 883. Rayn. n. 38.

Denique Pius IV. Pontifex exſpirabat, hæc ſenis Simeonis verba pronuntians: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.* Erat obitus ſui dies a contracto morbo octavus, ac noctu, quæ inter octavam, & nonam Decembris diem intercedit, contigit, dum ætatis ſuæ annum explevérat ſexageſimum ſextum cum octo menſibus, novemque diebus. Corpus ejus in Vaticana Eccleſia lateritio tumulo repoſitum eſt: anno autem Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Angelis translatum in monumento marmoreo ante Altare majus reconditum fuit.

§. XVIII.

Conclave pro eligendo Pontifice.

Eadem

Eadem, qua Pius IV. Papa obiit, die Cardinales convenerant, ut juramentum, quo se ad ejusdem Papæ constitutionem in novi Pontificis electione servandam adstringebant, innovarent; quapropter ea prælecta omnes jurejurando se eam executioni daturos spondebant. Postea ad comitia progrediebantur, ubi Cardinalis Borromæus jam ab initio sua sollicitudine, zelo, & auctoritate in id unice intentus erat, ut ejusmodi Pontifex eligeretur, qui ad obeundum munus, quod tam raras dotes, tamque copiosas virtutes deposcit, sat idoneus esset. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XIX.

Borromæi studia erga Cardinalem Moronum.

Equidem Borromæus præprimis in Cardinalem Moronum inclinabat, utpote quem Paulus IV. gravissimis negotiis præfecerat, & Pius IV. suum ad Tridentinam Synodum Legatum nominaverat: cum vero indole asperior, ac insuper sub Paulo IV. hæresis accusatus, etiam custodiæ datus esset, imo nonnulli suspicarentur, quod ex vindictæ libidine Pium IV. ad Caraffas castigandos instigasset, hinc Borromæi consilium mox evertebatur, atque illi, qui de Borromæi proposito certiores redde-

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

reddebantur, hæc unquam tanto Cardinali in mentem veniſſe mirabantur; pauci vero Borromæi animum penitius introſpiciebant, qui eodem etiam tempore, quo in Moroni favorem propenſus erat, erga eundem ſe ſat remiſſum exhibebat, atque exterius unice Amulio, Boncompagno, & Sirletto favere credebatur: Verum etſi a partium ſtudio adeo alienum ſeſe ſimularet (*) nihilominus mox ejus conſilia manifeſtabantur, aut nonnulli veram ejus mentem ſaltem conjectura ſe aſſecutos exiſtimabant, quamprimum quidam Cardinales meritis conſpicui Morono ſeſe oppoſuerant; quippe Eſtenſis, Ferrarienſis, Medicæus, Alexandrinus, & Gambara ejusdem erant ſententiæ, atque ex eis plures ſe nunquam Moroni Cardinalis electioni aſſenſuros palam profitebanrur: Inſuper Pacecus Borromæo hæc perſuadere nitebatur, ita eum alloquens: „ Nec tibi, nec „Duci Florentino conſultum erit, ſi Mo„ronus in Papam eligeretur, cum enim hic

(*) Nec etiam ſanctiſſimi hujus Cardinalis pietas, cordisque integritas lividos dentes Continuatoris effugere poterat, unice ut & hujus Pontificis electionem nonniſi occultis fraudibus, & ſimulationibus factam incauto Lectori obtrudere poſſet.

„hic patria Mediolanensis est, nullo pa- Sæcul XVI.
„cto permittet, ut primam sedem, quam A.C.1565.
„a tuo Patruo Pontifice pie defuncto
„accepisti, conserves, imo potius timen- *Addit. Andr. Victorel. ap Ciacon. to. 3. p. 995.*
„dum, ne tibi ea adimat beneficia,
„quæ sub illius Pontificatu obtinuisti.„
His dictis Pacecus Florentinos adiit, iisque illa, quæ Borromæo exposuit, referebat, nihilominus cum illis convenerat, quod Moroni electioni obsistere nollet, si Borromæus firmius ei favere pergeret (*).

§. XX.

Borromæus Boncompagno, & Sirleto favens.

Cum Moronus Cardinales nunquam plures, quam viginti novem sibi suffragantes numeraret, ac Borromæus de hujus Viri electione actum ageret, hinc is oculos suos in Boncompagnum, & Sirletum conjecit, cum vero Farnesius Cardinalis pariter ad hanc dignitatem adspiraret, eique plures faverent, Carolus illum unacum Althempsio adiit, eique persuadere conatus est,

(*) Haud dissimulanda est Continuatoris protervia, qua hujus fabulæ testem allegat Andream Victorellum, qui tamen de his ne verbulum quidem habet: En! quam caute legendi sint hodierni Historici.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

est, ut idem, cum ætate adhuc juvenis esset, supremi Pontificatus spem abjiceret, ac potius suum, suorumque amicorum suffragia cuipiam alteri conferre curaret. Ad hæc Farnesius dissimulatione usus Borromæo ita respondit: „Si mihi virum omnibus necessariis do„tibus instructum proponis, ego piæ „voluntati tuæ plene satisfaciam, at„que in sinceritatis meæ argumentum „inter ceteros Cardinales seligam Pi„sanum, Mont-politianum, Alexandri„num, illumque de Ara Cœli: quicun„que igitur ex his quatuor tibi præpla„cuerit, huic & ego suffragari volo„ Hoc responso Borromæus contentus videbatur, ac sine ulteriori sollicitatione recessit, eoquod in Boncampagnum, & præcipue Sirletum inclinaret, atque hunc postremum eligi percuperet.

Ceterum Sirletus humili quidem loco natus erat: ast exacta plurimarum linguarum peritia, necnon profunda juris Ecclesiastici cognitione clarus insuper singulari vitæ pietate aliis exemplo prælucebat, semperque cum mira morum comitate suam mentem illis, qui ab eo quoddam consilium expetebant, aperire paratus erat: exinde vero Borromæus Cardinalis spem conceperat, fore, ut sub Pontificatu Viri adeo obsequiosa indole prædicti, necnon

ab

ab omni ambitione alieni ſumma tranquillitas floreret: attamen pia Borromæi conſilia evertebantur a Florentinis, quorum princeps erat Sfortia, unde Sirletto ſuffragia ad ipſius electionem neceſſaria deerant. Sæc XVI. A C 1565.

§. XXI.

Cardinalis Alexandrinus Borromæi opera in Papam electus.

Tandem poſt varia conſilia tum tentata, tum everſa Alexandrinus Cardinalis Anno ſequenti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto die ſeptima Januarii in ſummum Pontificem electus eſt, aſſumpſitque Pii V. nomen. *Ciac. p. 989. & 996.*

§. XXII.

Friderici Gonzagæ Cardinalis obitus.

Priusquam novus hic Papa eligebatur, imo jamjam ante Pii IV. Prædeceſſoris ejus obitum, ſacrum Cardinalium Collegium hoc anno currente ſeptem Purpuratorum jacturam deflebat, quos inter primus erat Fridericus Gonzaga Friderici I. Mantuæ Ducis, & Margaritæ Paleologæ Montferratenſis Filius. Natus is erat Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo poſt Patris ſui mortem, quapropter *Ciacon. t. 3. p. 943. Victorel. add. ad Ciac.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

ab Hercule Gonzaga Cardinale Mantuano Patruo ſuo paterna vere ſollicitudine educatus, ſtudiorum cauſſa Bononiam mittebatur, ubi ſumma ſua diligentia, ac virtutum laude ceteris eminebat: ſacris autem poſtea Ordinibus initiatus a Pio IV. Papa in Cardinalis Mantuani favorem Purpuratorum Collegio circa Annum Domini milleſimum quingenteſimum tertium obtento ſanctæ Mariæ ad Nives titulo adſcriptus eſt, quamvis tum nondum vigeſimum quartum ætatis ſuæ annum attigiſſet: mortuo etiam ſuo Patruo Mantuæ in patria ſua Epiſcopus renuntiabatur, hujusque Eccleſiæ poſſeſſionem die prima Maji eodem anno accipiebat, ſui Prædeceſſoris veſtigia preſſo pede inſecutus: porro poſtmodum Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Romam delatus ibidem rubrum Galerum accepit, Montferratenſique Legatione auctus fuit: cum vero paululum ultra vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum vixiſſet, obibat Anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto die vigeſima prima Februarii lenta tabe conſumptus, ſepultusque eſt Mantuæ in Eccleſia Cathedrali.

§. XXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XXIII.

Cæſii Cardinalis mors.

Alter erat Fridericus Cæſius Romanus Angeli Cæſii Filius, qui die prima Julii Anno poſt partum Virginis milleſimo quingenteſimo natus juvenis adhuc Tudertanam Eccleſiam, quam ei Frater ſuus ceſſerat, a Clemente VII. obtinuit, eamque per decem annos Epiſcopus gubernabat: Poſtea Cameræ Clericis adſcriptus a Paulo III. Menſe Decembri anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto Cardinalis tit. Sancti Pancratii renuntiatus eſt, ſub Julio III. autem titulum Sanctæ Priſcæ adoptavit, & demum Sfondrato Cardinale aut mortuo, aut dignitatem abdicante circa annum Salvatoris noſtri milleſimum quingenteſimum quinquageſimum primum Cremonenſis Eccleſiæ Epiſcopus nominabatur, quam etiam per decem annos regebat, eamque poſtea Prædeceſſoris ſui Nepoti cedebat. Præficiebatur is etiam Vulturarienſi, Prænestinæ, Albanenſi, & Tuſculanæ Eccleſiis, donec Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Portuenſis Epiſcopus crearetur: inſuper inter illos octo Judices, qui Caraffæ Cardinalis cauſſam dijudicare ju-

Ciac. p. 701. Victorel. l. c. Ughel Ital. Sacra.

Sæcul. XVI. A C. 1565.

bebantur, & ipse numerabatur, atque intererat etiam sacris Cardinalium comitiis, in quibus Julius III, Marcellus II. & Pius IV. summi Pontifices eligebantur. Tandem annum ætatis suæ sexagesimum quartum una cum sex mensibus, & viginti septem diebus complens Romæ die vigesima quinta Februarii animam Deo reddidit, primoque fuit sepultus in Ecclesia Sanctæ Catharinæ, quam pro quorumdam Nobilium Virginum sustentatione ad Divi Ignatii preces larga manu dotabat: postea autem Corpus ejus ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris translatum, in marmorea tumba reconditum fuit, unacum vera ejus effigie, ac sepulcrali inscriptione.

§. XXIV.

Navagerus Cardinalis mortuus.

Ciac. p. 940. Augustin. Valer. vita hujus Card. Ughel. l. c.

Inter Cardinales hoc anno defunctos tertius erat Bernardus Navagerus Venetus nobili, ac pervetusto genere ex Patre Andrea Navagero Viro admodum erudito Anno Christi millesimo quingentesimo septimo natus. Hic in patria sua humaniorum literarum, & Philosophiæ studio Genevæ, & Patavii confecto sua obsequia Reipublicæ impendere intentus in pleno Senatu non sine ingenti applausu sæpius Causidicum

cum agebat, ubi postea tanquam Syndicus unacum Marco Antonio Arnulio in Dalmatiam, necnon Legatus Constantinopolin, Romam, in Franciam, ac denique etiam ad Cæsaris Aulam Orator ablegabatur: porro Andreas Gritus Venetæ Reipublicæ Dux tantopere docti hujus Senatoris eloquentia capiebatur, ut quadam die ad illum diceret: lubens mori vellem, si certus essem, quod tu oratione funebri meis manibus parentare non detrectes: Id quoque Navagerus Duci pollicebatur, qui eidem etiam summas rependebat gratias. Nec minori in pretio Navagerus habebatur a Petro Lando, qui mortuo Grito Venetorum Dux eidem Istrianam Lando Neptin suam desponsabat, ex qua etiam, ut constat, nonnisi duas proles suscepit, ex quibus Joannes Ludovicus Navagerus postea Joannam Donatam matrimonio sibi junxerat, & Laura Gasparo Venerio Nobili Veneto nupta fuit: Bernardus vero dum uxore sua admodum juvene orbatus erat, unicum doloris sui solatium intra cubile suum recluſus in suis libris quærebat, atque jucundo hoc otio fruebatur, ubi a Borromæo Cardinale literas accepit, quibus nuntiatum, quod & ipse a Pio IV. qui Cardinales quosdam Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Sæcul. XVI A. C. 1565

creaverat, purpura decoratus esset. Accepto hoc nuntio Navagerus confestim relicta Veneta urbe Romam contendit, ubi primo Diaconus Cardinalis tit. sancti Pancratii, & postea Cardinalis Presbyter promulgatus a Pio IV. Veronensem Episcopatum impetrabat, ab eodemque Legatus ad Tridentinam Synodum decretus, usque ad illius exitum ibidem perstitit: advenerat autem ibi exeunte Mense Aprili, ac finita Synodo Mense Decembri Romam reversus postmodum Veronensem suam Ecclesiam adiit, ubi etiam die nona Decembris anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo tertio solemnem suum ingressum celebrabat, in qua festivitate pro Clero Vincentius Ciconia, nomine autem Vernonensis Urbis Adamus Fumanus ibidem Canonicus perorabat. Ceterum Navagerus primas eo curas intendit, ut suos Diæcesanos ad exequenda Tridentinæ Synodi decreta, necnon ad corrigendos mores suos, atque restaurandam Ecclesiæ disciplinam hortaretur: denique cum mortis suæ horam proxime instare præsentiret, Augustinum Valerium Senatorem ex sorore sua Nepotem sibi in partem sollicitudinis Episcopalis adjungi petebat, quod etiam ejus precibus datum. Obiit tandem morte ferme

me subitanea Veronæ die vigesima septima Maji, anno ætatis suæ circiter quinquagesimo nono, sepultumque est Corpus ejus in Ecclesia Cathedrali marmoreæ tumbæ e regione Chori inclusum. Descripsit hujus Viri vitam ejus Nepos Veronensibus literis Anno Domini millesimo sexcentesimo secunda vice excusam. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XXV.

Alphonsi Caraffæ Cardinalis extrema.

Quartus erat Alphonsus Caraffa Antonii Montisbellii, & Balnei Comitis Filius, necnon Nepos Caroli Caraffæ Cardinalis, qui Pii IV. jussu strangulatus est. Natus is erat anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, atque sub Pauli IV. Pro-Patrui sui tum Cardinalis disciplina educatus ab eodem, cum ad summum Pontificatum eveheretur, Protonotarius Apostolicus renuntiatus est, demum vero Cardinalis Diaconus anno ætatis suæ decimo septimo creabatur, nec minus obtinebat Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo Neapolitanum Archiepiscopatum, ab eodem Pontifice maximis cumulatus beneficiis. Ast Alphonsus mutata temporis fortuna jussu Pii IV., qui de Caraffis *Ciacon. pag. 861.*

Sæcul. XVI A.C. 1565.

raſſis debitas pœnas ſumpſerat, captus, atque in arce ſancti Angeli includebatur, ſub prætextu vel vero, aut ficto, quod poſt Pontificis obitum pecunias ſubmoviſſet: inſuper officio, quo Cameræ Apoſtolicæ Rector nominabatur, privatus centum aureorum millia multæ nomine pendere juſſus eſt, ad quam ſummam penitus ſolvendam ſacrum quoque Collegium conferebat, atque ipſemet Pontifex quamdam illius partem benevole remittebat: Alphonſus tamen in Romana urbe aliquamdiu tanquam in cuſtodiæ loco retinebatur, usquedum tandem Neapolin reverti permittebatur, ubi etiam anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto die vigeſima ſeptima Auguſti tædio confectus obiit.

§. XXVI.

Ranutius Farneſius Cardinalis ultimam diem claudens.

Ciacon. pag. 721. Barth. Ciaccar. de Archiep. Nemp. Sigm. in ep, Bonon.

Quinto numero inter defunctos Cardinales recenſetur Ranutius Farneſius patria Romanus, Petri Aloyſii Farneſii Filius, ac Alexandri Farneſii Cardinalis, atque Octavii Parmæ, & Placentiæ Ducis Frater. Hic die undecima Auguſti anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo trigeſimo primam lucem aſpexit, ac ſtudiorum curriculo tam Bononiæ, quam Patavii

cum

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

cum ingenti laude expleto, haud minori progreſſu linguarum, ac ſacræ Scripturæ ſtudiis operam navabat: præprimis vero Melitenſium Equitum Ordini adſcriptus, licet ætate juvenis eſſet, Prior Venetus creatus Bononienſem Commendam præter alia Ordinis beneficia recepit: poſtea vero Archiepiſcopus Neapolitanus eligebatur, cum autem nondum legitimam attigiſſet ætatem, a Paulo III. ejus Avo hujus Eccleſiæ adminiſtratio tam in ſpiritualibus, quam temporalibus Fabio Arcellæ Bisnianenſi Epiſcopo commiſſa fuit, ab eodem autem Pontifice Ranutius Anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto Menſe Decembri ante decimum ſextum ætatis ſuæ annum Cardinalium Collegio adſcriptus, & Marchiæ Anconitanæ, ac Eccleſiaſtici Patrimonii Legatus nominatus eſt. Inſuper poſtmodum Ravenatis Archiepiſcopus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Bononienſis, & Sabinenſis Epiſcopus, necnon Major Romanæ Eccleſiæ Pœnitentiarius eligebatur: verum Patrimonii Legatione, quam a Julio III. obtinuerat, ab eodem paulo poſt privabatur, ferventibus diſſidiis contra Farneſianorum familiam: interim brevi per hujus Pontificis obitum tota rerum facies mutabatur, ac

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

Ranutius gerendis maximi momenti rebus præfectus Ecclesiæ utilitatem toto studio procurabat, atque Tridentini Concilii decreta in sua Diæcesi exacte observari studebat: postquam vero Bononiæ Divi Petri festivitatem celebraverat, atque inde reversus Parmæ Fratrem suum Octavium visum ire perrexerat, ibidem feria secunda die vigesima octava Novembris hoc anno nonnisi triginta quinque annos natus mortalitatem exuit, non sine ingenti sacri Collegii luctu, præcipue Pii IV. Pontificis, qui hujus Viri pietatem, ingenii aciem, ejusque eruditionem plurimi habebat. Illius laudes Borromæus Cardinalis in pleno Patrum Collegio deprædicabat, & Cardinalis Sadoletus hujus Purpurati merita, ac præclaras ingenii dotes digna laude extollebat.

Sodal. t. 15. p. 9. & 10.

§. XXVII.

Mors Cardinalis Pasquæ.

Sextus erat Simon Pasqua alias de Nigris dictus, Galeotti Guilielmi Genuensis Patritii filius, qui a teneris jamjam annis Philosophiæ, Medicinæ, linguæ Græcæ, ac postea Theologiæ operam dabat, in omnibus hisce scientiis excellens: unde Genuensis Respublica, cum tanti Viri merita maximi haberet, eundem Legatum in Angliam decernebat;

bat, ut Philippo II. & Mariæ Reginæ Nuptias fauſtiſſimas precaretur. Refert quoque Petra Mellarius, quod Simon tanquam Medicus Pio IV. inſervierit, atque ab eodem Lunenſis in Etruria, & Sarzanenſis Epiſcopus creatus, ac poſtea ad Tridentinam Synodum ablegatus fuerit: cum autem Vir eſſet doctrina, morumque integritate conſpicuus, ac fidei Catholicæ contra hæreticos tuendæ ſtudioſiſſimus audiret, Anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto a Pio IV. purpura decoratus eſt: eodem autem anno die quarta Septembris tum annos ſeptuaginta duos natus animam Deo reddidit, corpusque ejus in Eccleſia ſanctæ Sabinæ, cujus titulum gerebat, reconditum, & poſtea Genuam in patriam ſuam translatum eſt in Templo ſanctæ Mariæ de Pace apud FF. Minores de Obſervantia ſepultum.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XXVIII.

Vicecomes Cardinalis Naturæ debitum ſolvens.

Septimus erat Carolus ex nobiliſſima Mediolanenſi Vicecomitum familia, ortus regiusque Senator, qui Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo a Mediolanenſi Magiſtratu Orator ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem

Ciacon. t. 3. pag. 963. Pallav. hiſt. Conc. Trid. Aubery vie des Cardin.

Sæcul. XVI. A.C. 1565. Regem decernebatur: anno autem sequenti Mense Novembri a Pio IV. Protonotarius Apostolicus, ac Ventimilliæ in Genuensi ditione Episcopus renuntiabatur. Ceterum Præsul erat judicii maturitate, ac circumspectione clarus, & nonnisi ad maxima negotia feliciter gerenda natus, nihilque in humanæ prudentiæ arcanis adeo abstrusum reperiebatur, quod non Carolus sua dexteritate extricabat: cum ergo tanta illius merita Carolo Borromæo optime cognita essent, hinc ob eodem plurimi habitus, ac Pio IV. ejus Patruo propositus est, ut tanquam Sedis Apostolicæ Nuntius, ac secretioris consilii Minister ad Synodum ablegaretur: itaque Vicecomes publicis Sessionibus, necnon secretis hujus Concilii consultationibus interfuit, ac illa, quæ gessit, negotia, & ejus literæ tam Gallice, quam Italice in duobus voluminibus Amstelodami in minori forma Anno millesimo septingentesimo decimo nono typis excusæ fuere, cura Aimonis cujusdam a fide Catholica transfugæ, qui se vocitabat *Prælatum Theologum, & graduatum Romanæ Curiæ Jurisconsultum.* Ceterum Vicecomes purpuræ dignitate exiguo admodum tempore fruebatur, obiit enim hoc anno Mense Novembri non

non nisi expleto quadragesimo secundo ætatis suæ anno. Sæcul XVI. A.C.1565.

§. XXIX.

Bozzuti Cardinalis fata.

Ineunte Mense Octobri pariter Annibal Bozzutus hoc anno Cardinalis creatus eodem decessit, qui ex nobili Neapolitano genere natus jurisprudentiæ studio insignis evasit, ac brevi etiam tantam nominis famam sibi conciliavit, ut unacum nonnullis aliis seligeretur, qui Petro Toleto Pro-Regi sacrum Inquisitionis Tribunal Neapoli invehere molienti resisteret; unde hunc Prorege gravissimis verbis dehortatus populum etiam ad ponenda arma induxit, aliisque, qui majori seditionis furore excandescebant, exilio mulctatis urbem ad pristinam tranquillitatem revocavit, atque ad Cæsarem eadem de caussa a Neapolitanis missus fuerat orator, ut exulum numerus ad viginti tantum reduceretur, quod & obtinuit, ac licet cum iis paulopost ipsemet esset patriæ restitutus, voluntarium tamen exilium sibi conscivit: recuperata autem libertate postea Romam secessit, ubi perbenigne a Paulo III. acceptus, Protonotarius Apostolicus, & Bononiæ Pro-legatus renuntiatus est: Paulo vero vita functo, cum Cardinalis Montius Roma-

Ciacon. pag. 945. Act. Summont hist. Neapol. Aubeny l. c.

Sæcul. XVI. A C. 1565. Romanus Pontifex ſub Julii III. nomine electus eſſet, Annibalem Avenionenſi Eccleſiæ præfecit, quam cum regere ipſe non poſſet, annuente Pio IV. Pontifice per alium adminiſtrabat. Poſtmodum Julio III., ac Marcello II. vita functis, cum comitia pro futuro Pontifice haberentur, binis vicibus Burgi gubernatione, & Conclavis præfectura a Sacro Cardinalium Collegio cohoneſtatus eſt. Tandem a Pio IV. ex cameræ Apoſtolicæ Præſidente, Referendarioque Apoſtolico inter Presbyteros Cardinales titulo S. Sylveſtri cooptatus eodem anno, quo Purpuram induit, Menſe Martio naturæ debitum ſolvit.

§. XXX.

Alexandri Aleſii Proteſtantis interitus.

Thuan. l. 38. num. 5. Teſſier elog. des hommes Illuſt. Eodem Menſe Auguſtanæ Confeſſionis Sectatores amiſerant Alexandrum Ales, ſeu Aleſium, qui anno ætatis ſuæ ſexageſimo quinto Lipſiæ obiit. Natus is erat Edimburgi in Scotia Anno milleſimo quingenteſimo die vigeſima tertia Aprilis: primo equidem Catholicam fidem profeſſus, eandem contra Patritium Hamiltonum novis Lutheri erroribus ſeductum ſtrenue propugnabat, cum autem hunc ad veram fidem revocare adlaboraret, ipſemet hære-

hæresis venenum incautius imbibit, unde a Præposito Ecclesiæ Metropolitanæ ad sanctum Andream, cujus erat tum Canonicus, comprehensus in carcerem conjiciebatur, verum inde postea liberatus Anno a Virginis partu millesimo quingentesimo trigesimo secundo in Germaniam auffugit, ibidemque Lutheranæ sectæ nomen dedit: postquam vero Henricus VIII. in suo pariter Regno Religionem immutabat, Alexander in Angliam contendens Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo trigesimo quinto Londinum venit, ubi protegentibus eum Crannero Cantuariensi Archiepiscopo, Latimero, & Thoma Cromvelo publice sectam suam disseminabat: cum autem Cranmerus Regis gratia excideret, Alexander in Germaniam reversus Francofordiæ ad Oderam ab Electore Brandeburgico Theologiæ Professor renuntiabatur: anno autem millesimo quingentesimo quadragesimo Melanchtoni adhærens unacum illo propugnabat, quod Magistratus adulterium castigare possit, ac debeat: inde autem sese Lipsiam recipiens ibidem Theologiam usque ad obitus sui diem publice tradebat. Ceterum præcipua, quæ edidit, opuscula latine conscripta, erant. I. Commentarii in Evangelium sancti Lucæ, nec-

Sæcul. XVI. A C. 1565.

non

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

non in duas Epistolas Divi Pauli ad Timotheum. II. Expositio in Psalmos Davidis. III. Tractatus de justificatione contra Osiandrum. IV. alius de Sanctissima Trinitate, unacum confutatione contra Valentinum Gentilem adornata. V. Responsum ad triginta duos Lovanienſium Theologorum articulos. Hæc omnia opera latino sermone erant elucubrata,

§. XXXI.

Turcæ Melitam obsidentes, ac profligati.

Thuan. l. 38. Cum Roma tot Cardinalium, quorum obitum nuper descripsimus, jacturam deploraret, interea Turcæ cum tanto armorum apparatu, quo major hucusque nunquam conspiciebatur, Melitam Insulam obsidebant: porro tam copiis, quam classi præerant Mustapha Bassa, necnon Dragutes Pirata: verum quamvis Turcæ desperationis rabie incensi frequentes admodum incursus facerent, nihilominus Equites incredibili fortitudine cunctos eorum impetus eludebant, unde tertio obsidionis Mense, Dragute occiso, ac desideratis plusquam ducentis turcarum millibus Mustapha obsidionem solvere cogebatur, cum haud amplius pugnando par esset, etsi suppetiæ, quas Hispaniæ Rex submise-

miserat, nonnisi tardius advenissent, ob quarum tamen cunctationem tot fortissimi Equites vitæ jacturam fecerant, imo ipsa Insula excidio proxima fuerat, quam tamen Valetta supremus Ordinis Magister natione Gallus sua magnanimitate, ac prudentia conservabat. Fertur, quod circa hujus obsidionis finem quidam Franciscanus Dei oracuIo fuerit admonitus, Melitam minime expugnatum, Turcas vero devictum iri. Hujus promissionis vaticiniumMonachus ceteris manifestabat, illudque minime confictum testatus est, unde aucta pariter omnium fiducia non parum obsessi animo firmabantur. Postea, cum Melitensis Urbis mænia soluta obsidione ferme penitus essent dejecta, nova urbs condebatur, quæ a supremi Ordinis Magistri nomine Valetta nominabatur, ita decernente Equitum Senatu. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

§. XXXII.

Juramenti formula Regis Franciæ jussu a Calvinistis signanda.

Equidem Franciæ Rex Bajonnæ majori fruebatur tranquillitate, nonnihil tamen illum turbabant Calvinistarum Nobilium molimina, quapropter priusquam ex hac urbe discedebat, juramenti formulam proponi curabat, quam a pluribus Optimatibus, & Cal- vi- *Daniel hist. de France t. 6. p. 369. La Popel l. 20. M. S. de Franc. tom. 4. Duplex hist. de France t. 13. p. 709.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

vinianæ sectæ urbibus, ut in suo officio continerentur, signari postulabat, hoc autem jusjurandum istis conceptum erat verbis: „Profitemur coram Deo, atque in ejus nomine juramus, quod „Carolum IX. Regem tanquam nostrum „Principem, legitimum, & solum Dominum agnoscamus, eique honorem, „submissionem, & obedientiam præstare parati simus, ac nunquam nisi ex „speciali ejus mandato, si illud nobis „per Regias literas legitima auctoritate „munitas ostensum fuerit, arma sumpturi, nec unquam in id consensuri, „neque consilio, pecunia, annona, aut „quovis alio modo opem laturi simus „illis, qui contra Regem, & adversus „ejus voluntatem bellum adornare tentabunt: insuper nunquam etiam exactionem, seu pecuniarum collectionem ex quacunque caussa, & occasione faciemus, nisi ex singulari Regis concessione: nec pariter secretis „fœderibus, consiliis, factionibus nomen dabimus, minus vero ullo pacto „Regis auctoritatem labefactare aggrediemur, sed ex adverso sub juramento „spondemus, quod Regem, vel ejus „Ministros de omnibus, quæ contra „Regiam Majestatem, Regnique quietem, aut alterius cujuscunque Regi addicti tranquillitatem attentata sciveri„mus,

„mus, manifeſtare velimus: humiliter „autem Regi ſupplicamus, ut innata „ſua clementia in nos agere, nosque „tanquam devotiſſimos, ac fideliſſimos „ſuos ſubditos protegere velit, cum „poſt Deum unice in ejus præſidio ſpem „collocemus: præterea jugiter Deum „pro ejus incolumitate, Regnique pro„ſperitate Deum exoramus, ut Regis „noſtri, necnon Reginæ Matris ſuæ, „ac Regiorum Fratrum vitam prolon„gare dignetur. Ad hæc ſeveriſſimis „etiam pœnis nos ſubjicimus, ſi noſtra „ex parte quidam tumultus, offenſio, „vel incommodum in Urbe . . . . ex„citarentur, cum pro ejusdem Urbis „defenſione ſub auctoritate, & impe„rio Regis, ejusque Miniſtrorum ſan„guinem, & bona noſtra prodigere pa„rati ſumus, ſi ſua Majeſtas nos in „quiete, ac ſecuritate ſub ſuo præſi„dio in eadem civitate ſemoto omni „partium ſtudio conſervare, ac tueri „voluerit. Promittimus denique, quod „omnes veri, ac fidelis civis partes ex„plere, atque erga Catholicos ſince„rum, fraternumque affectum fovere „velimus, expectantes interea, donec „Deo placuerit, cunctis hiſce perturba„tionibus finem imponere. (*)

Sæcul. XVI. A C. 1565.

(*) Peregrinum in Hiſtoria Eccleſiaſtica illum

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XXXIII.

Continuatæ Universitatis vexationes contra Jesuitas.

Interea Universitas Parisiensis semper obstiterat, quominus Jesuitæ Parisiis in suo Collegio Claromontano publice docerent, cum autem hi omnem controversiam tandem tolli percuperent, hanc ob rem Regiæ Curiæ libellum porrigebant, supplices, ut ad Universitatem admissi eidem aggregarentur.

§. XXXIV.

Quæstiones coram Rectore Jesuitis propositæ.

Argentre Collect. jud. tom. 2. p. 345.

Accepto hoc libello sancitum, ut Universitatis Rector præfixa die, quæ erat decima octava Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, Jesuitas de variis interrogaret: hic itaque ex eis scisicitabatur: estisne Seculares, an Regulares, an Monachi?

JESUI-

illum esse necesse est, qui ignorat, quod Protestantes nihil antiquius habeant, quam omni data occasione ejusmodi juramenta violare, prout etiam ipsemet Carolus IX. ejusque Successores circa eosdem Calvinistas postea frequentius experti sunt.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

JESUITÆ. „Sumus in Gallia tales, qua-
„les nos nominavit ſuprema Curia,
„nempe Societas Collegii, quod Cla-
„romontenſe appellatur.„

RECTOR. „An reipſa eſtis Monachi, an
„Seculares?

JESUITÆ. „Non eſt præſentis Congre-
„gationis illud a nobis expoſcere.„

RECTOR „Eſtisne revera Monachi, Re-
„gulares, an Seculares?„

JESUITÆ. „Jam ſæpius ad hoc reſpon-
„dimus. Sumus tales, quales nos
„nominat Curia, neque tenemur ad
„id reſpondere.„

RECTOR. „De nomine nullum reſpon-
„ſum datis: de re autem dicitis non
„velle vos reſpondere: Senatus-Con-
„ſultum vero prohibuit, ne utamini
„vocabulo Jeſuitarum, aut Societa-
„tis nominis Jeſu.„

JESUITÆ. „Non immoramur circa
„quæſtionem de nomine, poteſtis
„nos vocare in jus, ſi aliud nomen
„aſſumimus contra determinationem
„Edicti.„

§. XXXV.

Jeſuitæ ad Regium Senatum provocantes.

Univerſitas parum hiſce reſponſis contenta Jeſuitas a Facultatis conſortio

Sæcul. XVI. A.C 1565.

tio excludere ſtatuit, concluſitque, quod omni ſeveritate in eos agendum, ac Scholaribus indicta pœna excluſionis ab omnibus Univerſitatis privilegiis omnino inhibendum, ne eorum Scholas frequentent: aſt Jeſuitæ hujus ſententiæ executionem præpedituri quantocius libellum ſupplicem Regio Senatui porrigunt, petuntque, ut ſcholaſtica exercitia proſequi ipſis integrum eſſet: poſtquam igitur hic libellus generali Regis Procuratori tradebatur, hic prohibebat, ne quicqnam novum niſi auditis partibus attentaretur, donec a Senatu aliter hac in re fuerit decretum: eapropter Univerſitas Stephanum Pasquerium in ſuum ſeligebat Advocatum, atque ex qualibet Facultate quosdam deputabat, qui hanc litem proſequerentur: ideo nominabat Facultas Theologica Pelleterium, & Fabrum, eisque Vaſſorium, & Guaſtum adjungebat: Pariſienſes vero Parochi eodem tempore libellum ſupplicem Regio Senatui porrigebant pro Univerſitate perorantes, ſimulque petentes, ut Societatis Patres Pariſiis nec tanquam Regulares, nec ſub Collegii, vel Societatis nomine reciperentur: Euſtachius quoque Bellajus Pariſienſis Epiſcopus, Mercatorum Præfectus, & ædiles, nec-

necnon Cardinalis (*) Caſtillionæus Epiſcopus Bellovacenſis Conſervator privilegiorum Univerſitatis, uterque Cancellarius tum Univerſitatis, tum S. Genovefæ, atque Noſocomiorum Rectores, & Ordines Mendicantium ſupplices quoque libellos obtulerunt, & Advocatos ſibi ſelegerunt, qui in hac cauſſa peroraverunt adverſus eosdem Patres. Sæcul. XVI. A C. 1565.

§. XXXVI.

Molinæi judicium circa hoc negotium.

Priusquam hæc cauſſa in judicio agitabatur, Univerſitas Caroli Molinæi (**) conſilium expetebat, hic vero cum ejus conſultatio, tum deſcripta, typis dein divulgata fuiſſet, hunc in modum reſpondit: „Jure merito Facul„tas novam litem contra Jeſuitas eo fine „movet, ut illos, ne docerent, præpediret, eoquod hi novam in Eccleſia ſocietatem conſtituant:„ porro hoc ſuum judicium hic idem Jurisconſultus ſequentibus firmabat rationibus. I. Hi

(*) NB. Hic erat apoſtata ille.

(**) Hic erat ille, qui propter hæreſis ſuſpicionem jam ſæpius in quæſtionem vocatus, atque incluſus fuit: verum ejusmodi hominum opera ſemper utilis eſt, quoties agitur de vexandis Eccleſiaſticis.

Sæcul. XVI. A.C. 1565. Patres novam Societatem ſtabiliunt contra priſca Synodorum decreta, necnon adverſus Generale Concilium Romæ ſub Innocentio III. Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo quarto celebratum, quod nova ejusmodi Inſtituta ad certos limites reſtringi præcepit, ne tumultus in Ordine Eccleſiaſtico ſuſcitarentur. II. Hoc idem repugnat Aulæ decretis Cardinalium Niciæ juſſu Pauli III congregatorum, aliorumque Præſulum conſilio; hi enim novas Religiones admitti vetabant. III. Jam dudum Petrus Alliacenſis Cardinalis, Armachenus Archiepiſcopus, Guilielmus de ſancto Amore, & Joannes Gerſon idem ſentiebant. IV. Denique non minus æquitati, quam ordini contrariatur, quod unacum Univerſitate aliud Collegium ex extraneis conflatum, nec ab ea dependens, nulloque pacto cum illa conjunctum toleretur.

§. XXXVII.

Petrus Verſorius pro Jeſuitis perorans.

Poſtea inter celeberrimos Senatus Advocatos duo ſeligebantur, Stephanus Pasquerius, & Petrus Verſorius, qui utrinque circa hanc cauſſam perorabant, & quidem primus Univerſitatis

tatis cauſſam defendebat, alter vero in Jeſuitarum favorem perorabat: „itaque Verſorius præprimis hæc exponebat: „cum ex naturæ imperio Serpentes toto „Veris tempore e ſuis ſpeluncis tunc „primum progredi permittantur, dum „Fraxinus, quæ contra ſerpentum ve„nena antidotum eſt, florere incipit, „hucque florem tunc primum emo„riente Autumno amittit, poſtquam ii„dem ſerpentes rurſus ad ſuas caver„nas ſeſe receperunt, ita quoque æter„næ Mentis conſilio Deus Lutheri, ac „Calvini hæreſes graſſari non permittit, „niſi dum in Eccleſia Societatem Jeſu „ſtabilierat, per quam hi Novatores de„bellarentur, nec divina providentia „hoſce Socios multiplicare ceſſabit, do„nec ejusmodi hæreſes penitus erint „extirpatæ: ut vero hanc Societatem „tam in ſuo ortu, quam pro„greſſu prodigioſam fuiſſe agnoſcatur, „obſervandum venit, quod a Viro Bel„licoſo inſtituta fuerit.„ His præmiſſis Advocatus vitam, & hiſtoriam ſancti Ignatii recenſebat, atque ejus converſionem, itinera & ſtudia ennarrans de primis, quos congregabat, ſociis egit, ſimulque propoſuit, quod Jeroſolymam peregrinari decreviſſet, atque ab hoc propoſito unice per bellum Turcas inter, & Venetos exortum præpedi-

Sæcul. XVI. A C. 1565.

Thuan. l. 37. Argentre pag. 349.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

tus fuerit: postea edicebat, hujus Societatis Institutum fuisse a Paulo III. Papa confirmatum, primo nonnisi ad sexaginta Socios fuisse restrictum: insuper idem ipse, prout aliunde omnium oculis patebat, affirmabat, hos Patres, quamprimum hæc restrictio erat sublata, ad tantum numerum excrevisse, ut decimo quinto ab eorum institutione anno jamjam in novo, ac Veteri Orbe duodecim hujus Societatis Provinciæ fuerint erectæ: hos autem adeo rapidos progressus unice adscribendos esse censuit Versorius magnæ utilitati, quam populi quoad prolium suarum institutionem exinde hauriebant; quinimo Versorius edicere audebat, nihil ab eo Ordine esse timendum, qui speciali voto Ecclesiasticis dignitatibus nuntium mitteret. His dictis ut suos Clientes ab innumeris, quibus in Francia, ac præcipue Parisiis petebantur, calumniis vindicaret, illos veluti Sanctorum congregationem deprædicabat, eorumque institutum cum pluribus aliis Religiosorum Ordinibus conferebat, qui in prima origine sua crebras adversitates tolerare cogebantur, unde Jesuitarum merita vel ex ipsis oppositionibus, quæ contra eos fierent, luculentius elucere asserebat. Denique ad privilegia ipsis a Pontificibus concessa transiens

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

siens ea nullatenus Episcopis, Parochis, & Universitatibus esse noxia ostendit, omnesque provocavit, ut comprobatum redderet, quod Jesuitæ hisce privilegiis hucusque nunquam abusi essent.

§. XXXVII.

Versorii responsa ad argumenta contra Societatis Institutum proposita.

Insuper ad omnia ea, quæ contra Societatis institutum aut objecta fuere, aut objici possent, respondit, porro cum primo opponeretur lex, qua interdictum, ne Collegia, ac novæ Religiones erigerentur, prout Lateranense, & Concilium Lugdunense prohibuerunt, ne ingens hæc diversitas confusionem in Ecclesia pariat, hinc Versorius ad hæc reposuit, quod hæc interdicta nonnisi novos Ordines a Sacra Sede non approbatos respiciant, idipsum autem in Jesuitarum Societate non occurreret, cum ea a summis Pontificibus, Concilio, Ecclesia Gallicana, Rege, Aula, Rectore, & Parisiensi urbe sit approbata. II. Objiciebatur, quod Jesuitarum, & Societatis Jesu nomen nimium fastum redoleat, imo offensionem pariat: respondit autem Versorius, quod absque ratione nonnulli exinde offendan-

Argentre pag. 354.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

dantur, nec majori jure hæc nomenclatura reprehendi poſſit, ac nomine Ordinum Sanctiſſimæ Trinitatis, ſancti Spiritus, Filiarum Dei, de quibus tamen hucusque nemo conqueſtus eſt: præſertim cum hoc Jeſuitarum nomen potius ipſis fuiſſet datum, quam ſponte ab eis adoptatum, illudque ex humilitatis amore ab eis eſſet retentum. III. Sugillabatur eorum habitus, ac hypocritarum veſtis nuncupabatur: verum, inquiebat Advocatus, hæc exprobratio nullius ponderis eſt, quia juxta horum Patrum regulam ſeſe ad modeſtiæ regulas veſtiant ſicut Eccleſiaſticos ac modum eorum Miniſteriis congruum decet. IV. Impugnabatur etiam illorum doctrina, eoquod Papam Synodo eſſe ſuperiorem traderent, votoque ad plenam in omnibus ſubmiſſionem ſummis Pontificibus exhibendam ſeſe obſtringerent. Ad hæc repoſuit Verſorius, quod primam quæſtionem hic decidere haud conſultum ſit, quoad alteram vero conſtare dixit, quod Jeſuitæ Pontifici duntaxat in rebus licitis obedientiam ſpondeant: rurſus tamen de prima quæſtione agens inquiebat, quod Synodus Pontifice ſit ſuperior, quatenus eſt cœtus, cui ipſemet Spiritus Sanctus præeſt, cum dictum ſit in ſacris literis Act. 15. v. 28. *Viſum eſt Spiritui Sancto,*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

Sancto, & nobis. V. Redarguebantur Jesuitæ, quod Paulus IV. ejusdem extiterit Societatis alumnus, ac bellum in Francia excitaverit, Guilielmus quoque Postellus pariter Jesuita fuerit: verum hæc Versorius elusit dicens, si Paulus IV. belli causſa extitit, num id hisce Patribus imputari potest? aliunde hic Pontifex jam est mortuus, Postellus autem nunquam in Societate professionem emisit, sed duntaxat Novitius fuit, a Societate dimissus. Hac occasione Versorius jactitabat in Jesuitis animum a privati quæstus studio alienum, ac postea ad libellum supplicem Parisiensis Episcopi, & Parochorum respondens ita inquiebat: „quam„vis hi ostendere conentur, quod Ec„clesiæ plurimum interſit, ut Jesuitæ „nec tanquam Regulares, nec veluti So„cietas, neque ad Juventutem instituen„dam admittantur, nihilominus cer„tum est, quod rebus ita prospectum „fuerit, ut hi Ecclesiæ nocere non va„leant, si vero forte in eorum diplo„matibus quædam continentur privile„gia Episcoporum, & Cleri juribus no„civa, jam Possiacensis Conventus, qui „eorum Institutum confirmavit, reme„dium oppoſuit: insuper iidem nequi„dem Universitati obsunt, eoquod non „venerint solvere legem, cum se in om„nibus

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

„nibus Rectori obtemperaturos, ac le„gibus, & Universitatis Constitutiones „servaturos polliceantur: num autem „plura ab eis exigi possunt? ad hæc ac„ceperunt sua privilegia a Rege, & Pa„pa, consentiente, & approbante ipso„met Clero: proin ipsorum est, ut hæc „privilegia Jesuitis sarta conservent: „præcipue cum eadem privilegia ipsis „concessa nequaquam in ceterorum dam„num extendere cogitent, parati, ut „ea restringantur, si quæ illis nociva „reperiantur.„ Denique cum etiam Mercatorum Præfectus sese huic negotio ingessisset, caussatus, quod publica utilitas Jesuitas expelli deposceret, hinc Versorius rursus omnes suæ eloquentiæ fontes exhausisse videbatur, ut hanc rationem everteret. „Quid in„de periculi est, inquiebat ille, cum „hi Patres polliceantur, quod Urbis „legibus se submittere, nulloque pacto „eas transgredi velint?„ Verum omnes hæ rationes multorum timorem, quem ex novo hoc Instituto conceperant, nequaquam imminuebant, tandem vero concluſit Advocatus, petens, ut ipsius libellus supplex approbaretur, ratumque haberetur Claromontani Collegii institutum, proin Jesuitis permitteretur, quatenus sub horum exterorum disciplina juventus literis imbueretur.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Declamatio Pasquerii in Universitatis favorem contra Jesuitas.

Postea Stephanus Pasquerius pro Universitate perorans præprimis adversarii sui orationem in favorem Jesuitarum pronuntiatam refellebat, tandem concludens, quod novum hoc genus Religiosorum, qui se Jesuitas dicunt, non modo Universitatis Parisinæ membris nullatenus sint aggregandi, sed etiam e Francia penitus eliminandi, ejiciendi, atque exterminandi: id autem ex priscis Constitutionibus, atque Universitatis edictis, necnon ex origine, institutione, & adversæ partis suæ progressu comprobatum reddere nitebatur monens, ut Rex collatis inter se hisce rebus dijudicare velit, an consultum foret, illos Universitati aggregare, præcipue vero suadebat, ut hinc utilitas, illinc autem damnum ponderetur, quod exinde Religioni Christianæ, ac præcipue Franciæ Regno obveniret, si admitterentur: ubi etiam prolixius differebat de Universitatis origine, nec non de ejusdem statutis, & de quatuor ejus Facultatibus, ex quibus, ut ajebat ipse, hucusque quasi generale Concilium perpetuo in ampla urbe illa pro populi sublevamine stabilitum fuit, atque

Argentre pag. 358.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

que in eo ſemper plena tranquillitas viguit. His prolatis ad Jeſuitarum inſtitutum, originem, & progreſſum tranſiens ita inquiebat: „cum ſacræ Se„dis auctoritas a Germaniæ Lutheranis „rejiceretur, hi Patres ſummo Pontifici „declarabant, quod præcipuum, ma„gisque ſolemne ipſorum ſit votum, quo „Pontificem agnoſcunt tanquam omni „alia poteſtate ſuperiorem, adeo, ut „quilibet Princeps, ac quodvis Conci„lium ejus legibus ſeſe ſubjicere tenea„tur. Hæc adulatio placuit Paulo III. „qui tot hujus Ordinis Religioſos, ceu „totidem novos fore Vaſallos gaviſus, „nil optatius cenſebat, quam ſi „eorum Inſtitutum approbaretur, quod „etiam effectui dedit, adjectis tamen „nonnullis limitationibus: primo enim „illorum numerum nonniſi ad ſexaginta „extendi permiſit: aſt hæc paucitas „Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo „quadrageſimo ſexto, & poſtea quin„quageſimo a Julio III. fuit revocata, „ipſisque ab eo tempore permiſſum, ut „tot, quot reperire poſſent, ſuæ Socie„tati libere aggregare valerent: unde „Claromontanus Epiſcopus eos Pariſios „accerſere ſtatuit, ſub cujus etiam au„ſpiciis Pasquerius Brouetius primus in „hac urbe Rectoris munere functus eſt: „obtento autem primo hoc loco Jeſuitæ

„audaciores facti Aulam accesserunt, Sæcul XVI.
„supplices, ut in Gallias reciperentur, A C. 1565.
„eorumque Institutum approbaretur:
„Verum Natalis Brularius tum in Se-
„natu Procurator Generalis vehemen-
„ter omnibus illorum postulatis obstitit,
„eisque sæpius suasit, ut iidem, si ab
„hujus sæculi consortio fugere velint,
„in quadam veteri Religione, quin no-
„vum Ordinem erigerent, a sacris Con-
„ciliis approbata sese Deo devovere pos-
„sent, cum præsto essent Benedictini,
„Bernardini, Cluniacenses, & Præ-
„monstratenses, necnon quatuor Fra-
„trum Mendicantium Ordines, plures-
„que alii, ex quibus in Christianam
„Rempublicam plurima commoda re-
„dundarunt, cum ex adverso novum hoc
„institutum, quod inducere meditan-
„tur, nonnisi eventui admodum incer-
„to innitatur: quinimo, prosequebatur
„Pasquerius, Parisiensis Senatus hisce
„rationibus haud contentus ad Theo-
„logicam Facultatem recurrebat, quæ
„post maturam hujus rei deliberatio-
„nem hoc institutum utpote ad Status
„tam regularis, quam sæcularis rui-
„nam collimans rejicere statuit: ea-
„propter Jesuitæ suas petitiones acrius
„urgere desistebant, usquedum occasio
„se eis offerret magis propitia, qua ipsi
„Aulæ libellum supplicem porrigere,

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

„atque ſuum Inſtitutum non tanquam „Religionem, ſed velut Collegium ap„probandum petere poſſent, ea tamen „lege, ut nihil in Regis, Epiſcoporum, „Parochorum, & Capitulorum præju„dicium moliri velint: inſuper palam „profitebantur, quod ſuis omnibus pri„vilegiis quovis pacto contrariis, quæ „obtinuiſſent, cedere parati ſint: cum „ergo Aula in hoc ſupplici libello cauſ„ſam Religionis Chriſtianæ agi crede„ret, hos Patres ad Poſſiacenſe collo„quium remiſit, cui tum præerat Car„dinalis Turnonius, qui jam antea Tur„nonii eandem Societatem ſtabilierat: „porro ibi præfatus libellus in pleno con„ſeſſu non fuit receptus, ſed duntaxat „ſubſcriptus a Præſidis Referendario, „qui illum nonniſi quibusdam privatis „oſtendit, hinc ibidem ſolummodo de„ciſum eſt, quod Societas Jeſu veluti „Societas, & Collegium, non autem „tanquam Religio recens inſtituta reci„peretur, Patresque non aliud nomen „niſi Jeſuitarum, aut Societatis Jeſu „aſſumerent, ſeque in omnibus, & „ubique juris communis diſpoſitioni ac„commodare tenerentur, quin ullo „pacto cum præjudicio Epiſcoporum „ſpiritualia, aut temporalia negotia ſibi „arrogarent: præterea iisdem injunge„batur, ut privilegiis per diplomata

„con-

„conceſſis nuntium mitterent, cum alias „hæc approbatio nullam vim ſortitura, „ac nullatenus executioni danda eſſet. „Verum eoquod hac ratione quodam„modo eſſent approbati, ideo huic con„ceſſioni innitentes eandem approbatio„nem Senatui porrigebant, a quo ſen„tentiam deſuper obtinuerunt, unde in „platea ſancti jacobi domum, quæ vulgo „Lingonenſis Curia appellatur, emen„tes ibidem habitabant, ſpretisque con„ditionibus, quæ ipſis erant impoſitæ, „hanc inſcriptionem: *Collegium Socie„tatis Jeſu* ad portam majorem apponi „curabant, eoque omnis generis Scho„lares, tam Convictores, quam exte„ros admittebant, & Patris ſui Augeri „Catechismum tradebant: imo prima „hac transgreſſione non contenti ibi„dem etiam Pœnitentiæ, & Euchari„ſtiæ Sacramenta adminiſtrabant, at„que in publicis foris ſchedas affixerunt, „ut populum ad domum ſuam allice„rent, cunctisque notum facerent, quod „gratis literas edocerent: aſt hæc cun„cta in gravem Univerſitatum ruinam „tendunt.„ His dictis Pasquierus ſer- monem inſpergebat de libello ſupplici, quem Jeſuitæ Regio Senatui exhibebant, ut ab eo impetrarent, quæ ab Univerſitate ſibi concedi ſperare haud poterant, nec debebant: demum idem

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Sæcul. XVI. A C. 1565.

Advocatus ſigillatim deſcribit omnia membra, ex quibus Societas componitur, hancque in rem ita differit: „illorum membrorum duo ſunt genera, „alia majoris, ac alia minoris obſervantiæ: porro illa ad quatuor adſtringuntur vota, ſolitis enim tribus votis aliud „particulare addunt, vi cujus Pontifici obedire, eumque omnibus ſuperiorem nemine excepto profiteri ſpondent: alia autem membra nonniſi duobus votis ligantur, nimirum uno fidelitatis Pontifici promiſſæ, atque altero obedientiæ erga ſuos Superiores, „& Miniſtros: de cetero Socii hi non „emittunt paupertatis votum, ipſisque „beneficia absque diſpenſatione poſſidere, & Patris, Matrisque hæreditatem „aquirere licet, perinde acſi nullum „nuncupaſſent votum: at hæc ipſa „eſt via, per quam tot bonis, ac divitiis ſuum Ordinem locupletarunt:„ poſtea Pasquierius enarrat artes, quibus ad augendas opes uſi fuerant, præterea obſervat, quod ipſorum Fundator non absque myſterio inſtituerit Collegia, ubi bona aquirere permitterentur.

Denique poſtquam ſingula hujus regiminis capita percurrerat, ſic concluſit: „hi Socii ſub falſo prætextu, acſi „gratis juventutem literis imbuerent, nil „niſi propria emolumenta aucupantur, „atque

Sæcul. XVI. A.C.1565.

„atque una ex parte extortis teſtamen-
„tis familias emungunt, altera vero
„juventutem ſub pietatis velamine ſibi
„devinciunt, ac ſeditiones, & rebel-
„liones, quæ quondam in apertam Re-
„gni ruinam erupturæ ſunt, agitant:
„inſuper ſubdola illa ars, qua particu-
„lari voto ſeſe Sacræ Sedi devovent,
„ſummum Pontificem eo induxit, ut
„illis tam ampla conceſſerit privilegia
„juri communi adverſa: præterea quo
„magis ſeſe ſummo Pontifici ſubjectos
„jactitant, eo magis ſuſpecti eſſe de-
„bent Gallis, qui quidem Papam tan-
„quam Caput, ac Principem Eccleſiæ
„venerantur, ſimul tamen illum Sacris
„Canonibus, & Conciliis Oecumenicis
„ſubjectum volunt, traduntque, quod
„nihil contra Regnum, Regesque pro-
„nuntiare, ac nihil contra Aulæ de-
„creta, vel in eorum præjudicium in-
„tra Galliæ jurisdictionem decidere
„poſſit: ſi autem ſemel novi hi Secta-
„rii admittuntur, tot hoſtes intra Regni
„viſcera alentur, & certo certius ali-
„quando in ipſum Regem inſurgent.„
Denique ſermone ad Conſiliarios con-
verſo eos his verbis alloquebatur: „Vos
„igitur, qui toleratis Jeſuitas, hæc
„omnia ſcitis, & tamen impune per-
„mittitis: aliquando autem vos ipſi
„primi eritis, qui hanc Societatem con-

Sæcul. XVI A. C. 1565.

„demnabitis, quando videritis totam „Christianam Rempublicam per hosce „Socios turbatam, quorum artes, ac „consilia dispicere noluistis.„

§. XL.

Alia oratio Joannis Baptistæ Mesnili Procuratoris Generalis.

Argentre pag. 379. Thuan. l. 37.

Postquam Pasquerius suam orationem absolverat, Versorius ad illam respondit, tandem vero Joannes Baptista Mesnilus, cum Procuratoris Generalis munere fungeretur, suum sermonem exorsus pari ferme prodigalitate sua encomia in Jesuitas, & Universitatem profundebat, & utrumque hunc Advocatum redarguebat, quod immodico partium studio sese abripi passi essent. Postea de rei summa differens, præprimis agebat de iis, quæ novas Religiones, novasque Ordinum Regularium species, regulas, ac Religiosas Communitates conventuales concernebant, præcipue vero referebat, quæ specialiter Institutum Jesuitarum respiciunt: porro his præmissis egit de concessione, vel exclusione Collegiorum, & Societatum non conventualium, & præprimis existimatæ Societatis Jesuitarum. Denique de Conventus, & collegii unione, aut distinctione differens scisscitabatur, an unum sine altero, & qua ratio-

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

ratione ſubſiſtere poſſit? utrum hæc Societas Pariſiis, vel alibi duntaxat Collegium eſſe queat, quin ſit Conventus? an hæc Societas poſſit ParisinæUniverſitati aggregari, quin ſtatuta, & Univerſitatis decreta labefactentur, aut ex adverſo Regula, inſtitutum & Conventus Jeſuitarum violetur: præterea ventilabat, qua demum ratione id conciliari valeat cum legibus, ſtatutis, ac Franciæ conſuetudinibus, necnon Regni privilegiis, atque Eccleſiæ Gallicanæ juribus, & libertatibus. Examinatis tribus hiſce articulis ita concluſit: „excludendos „puto Jeſuitas præcipue, eoquod Præ„poſito Generali ſuo natione Hiſpano obedientiæ juramentum præſtiterint; ad hæc ſunt exteri, ideo iisdem juventutis inſtitutio committi haud poteſt, quoniam autem votis ſunt obſtricti, Univerſitati Pariſinæ non ſunt aggregandi, ut ibidem publice doceant: quantum vero ad fundationem ab Epiſcopo Claromontano factam ſpectabat, idem ſuaſit, ut Pariſiis Collegium ex relictis hujus Epiſcopi bonis erigeretur, illudque ab ejus nomine Claromontanum appellaretur: præterea petiit, ut illius Rector nominaretur Vir probus ex nullo RegulariumOrdine, minus vero exSocietate Jeſuitarum aſſumptus, ſed Claromontii

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

in Alvernia, vel si ejusmodi Vir haberi non posset, Bilhonii, aut Mauriaci natus, necnon ex eadem Provincia Procurator seligeretur.

§. XLI.

Suas lectiones prosequi Jesuitis permissum, nec tamen Universitati aggregati.

Thuan. l. 37. n. 4. Argentre p. 390.

Hæc causa integro biduo agitata fuit, tandem vero ad secundi consessus exitum Versorius rursus profitebatur, se nequaquam pro quodam Ordine perorare, sed pro Collegio, quod nec Ecclesiæ, nec Universitati, nec Urbi quoddam præjudicium afferret: porro his dictis demisse rogabat, ut cum suis clientibus conferre, ac proxima Feria quinta reverti permitteretur. Expcsito hoc postulato, atque Universitatis Rectore audito Regis Curia præcipiebat, ut sequenti Feria quinta hæc causa rursus agitaretur, & Versorii responsiones audiantur: insuper eadem Curia mandabat, ut defuncti Claromontani Episcopi, ejusque Testamenti executores, ac post illos Regius Procurator generalis desuper perciperentur, interea vero utriusque partis Actores sua scripta præfato Procuratori Generali traderent, quatenus sic unicuique suum jus

jus dici queat. Ponderato libello ſupplici, necnon attento ejusdem Procuratoris Generalis judicio Curia præcipiebat, ut intra hoc octiduum Oratores eidem tradant normam, quam in exiſtimato ſuo Collegio Claromontano ſervare intenderent: interea tamen res in priſtino ſtatu permanerent. Hæc ſancita fuere die vigeſima nona Martii, qua utrique parti dies fuit dicta, porro hoc medio Jeſuitæ, quin Pariſinæ Univerſitati adſcriberentur, publice ulteriorem juventutis erudiendæ libertatem conſecuti ſunt. Sæcul XVI. A C. 1565.

§. XLII.

Origo tumultuum Belgicorum.

Interim, cum Calviniſtæ quædam conſilia contra ſe clam Bajonæ inter Franciæ Regem, & Albæ Ducem agitata ſuſpicarentur, nil niſi apertam ſeditionem moliebantur: ut autem in hiſce diſſidiis de tuto ſibi proſpicerent aſylo, Belgas contra Hiſpaniæ Regem concitare ſatagebant, eo fine, ut Philippus II. domeſticas flammas extinquere intentus Galliarum Regi ſuppetias ferre præpediretur. Hæc fuit origo turbarum, quæ in Belgio ſuſcitatæ Regem Hiſpaniæ quadam harum ditionum parte ſpoliabant: Ceterum eo facilius Belgæ ad ſeditionem movebantur, quo acrius *Thu. l. 40. Strada de bello Belgico l. 4. Belcar. comm. l. 30. n. 31.*

Sæcul XVI A.C.1565.

crius jam antea variis ex cauſſis exacerbati erant; quippe ægre ferebant, quod quatuordecim urbes, quæ antiquioribus quatuor Epiſcopatibus unirentur, deſignatæ eſſent; plebs enim ſibi perſuadebat, quod tunc, ſi quatuordecim hi Epiſcopatus quatuor antiquioribus ſedibus unirentur, exinde Status Eccleſiaſtici numerus contra Provinciarum privilegia augeretur, novique hæreticæ pravitatis Inquiſitores inſtituerentur, proin Belgæ tribunali ipſis antehac haud cognito ſubjicerentur. Inſuper illos Hiſpani militis, quem Philippus II. præſidiarium illinc decreverat, inſolentia offenderat.

§. XLIII.

Calviniſtæ ad ſeditionis ſuæ obtentum Tridentini Concilii promulgatione utentes.

Strada l 4. ad ann. 1564.

Præterea ex eo, quod Tridentini Concilii decreta ibidem fuiſſent promulgata, Belgarum ſeditio recruduit, quippe Philippus datis ad Gubernatricem literis præcipiebat, ut hæc decreta acceptari, eaque executioni dari toto ſtudio adlaboraret, nec quacunque ex cauſſa hac in re de ſuo fervore quicquam remitteret: equidem illa deſuper plures Prælatos, celebresque Doctores

ctores in consilium vocabat, qui ei- Sæcul. XVI.
dem exponebant, hoc Concilium, cum A.C. 1565.
quosdam articulos contra Principum jura, & Provinciarum privilegia continerent, (*) in Belgio omnino promulgandum non esse, nisi hi articuli exciperentur, eapropter illa Regi cuncta perscripsit, qui tamen hanc agendi rationem minime approbans ita respondit: „ præcipio, ut hoc Concilium abs„que ulla exceptione recipiatur, prout „in Hispania factum. „ Gubernatrix ecquidem Regis jussa exequi unice intenta erat: verum qua majori severitate rem urgebat, eo difficilius pecunias colligere poterat, necnon Religionem Catholicam tuendi difficultates indies magis crescebant, porro hæ res illam timore replebant, ac consilii, quod caperet, ignara Egemontium Comitem ineunte hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto in Hispaniam

(*) Hanc causſam fuisse allatam non Strada, sed Continuator solus recensset, qui alterius etiam Nationis exemplo suæ gentis Viros excusare nititur, quod Synodi decreta ferme soli acceptare renuissent ex eodem prætextu: observes autem, hanc exceptionem in Belgio a solis hæreticis, eorumque fautoribus fuisse factam.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

ſpaniam ablegat, ut per eum de Regis voluntate certior fieret.

§. XLIV.

Hiſpaniæ Regis mandata per Egmontium Comitem ad Gubernatricem deferenda.

Strada l. c.

Philippus hunc Comitem benigne excipiens ſæpius cum eo conferebat, atque eidem in Belgium remiſſo ampla dedit mandata, quorum ſumma hæc erat: „cum incredibili animi mei dolore percepi novos hæreticorum progreſſus, quapropter univerſo Orbi teſtatum reddere decrevi, quod ne minimam quidem Religionis mutationem in ditionibus meis tolerare velim, etſi millenas ſubire mortes oporteret: quapropter mando, ac præcipio, ut Gubernatrix privatum convocet Senatum, ad quem quosdam Epiſcopos, & præcipue Rithovium Yprenſem Antiſtitem, nonnullos Theologos, atque ex ſuis Conſiliariis Religionis ſtudio magis accenſos accerſeat quæſita de Tridentino Concilio conferendi occaſione, re tamen ipſa id fiat, ut ex illorum ſententiis percipere valeat, quænam remedia magis opportuna eſſent, ut populi in avita Religione conſerventur, atque infantes in ſcholis juxta

„ta catholicæ fidei puritatem inſtruan- Sæcul. XVI.
„tur, hæretici vero debitas luant pœ- A.C. 1565.
„nas, quin exinde tumultus ſuſcitentur;
„non tamen propterea conſultum vi-
„detur, quod ab illis caſtigandis ceſ-
„ſetur, cum id Deo acceptum, aut Re-
„ligioni utile eſſe minime poſſet: ideo
„potius ſuadeo, ut ſeveritas ea mode-
„ratione adhibeatur, quatenus novis
„ſectatoribus tandem adimatur vana
„ſpes illius gloriæ, ac famæ, qua ad
„mortem cum tanta impietate currere
„geſtiebant: de cetero autem ſollicitu-
„dinem, qua poſtmodum ſecretioris
„Senatus negotia tractentur, quave ra-
„tione deinceps judicia, & ærarium ad-
„miniſtrentur, mihi reſervo, uſque-
„dum a Gubernatrice deſuper notitiam
„accepero. „

Alia ſecreta epiſtola ad hanc Principem data idem Rex ſignificabat, ſibi haud ratum, gratumque haberi, quod illius Senatus, cui Belgii Proceres interſunt, auctoritas augeretur, cum regiminis poteſtati derogare, atque Optimatibus anſam præbere poſſet, ut ex ærarii adminiſtratione locupletati factiones conflent, turbasque excitent, de quibus jam ipſamet notitiam dediſſet. Poſtea Rex Egemontio Comiti negotium dabat, ut Gubernatrici teſtatum redderet, quod malis Belgium agitan-

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

gitantibus, de quibus ipsa questa esset, remedium opponere studeat: ut autem eadem quodammodo præsentaneis necessitatibus suis occurrere valeret, Rex eidem partim numerata pecunia, partim Cambii literis sexaginta aureorum millia inter milites pro more conscriptos, necnon ducenta millia inter præsidiarios, ac centum quinquaginta millia pro Magistratuum salariis, & Provinciarum administrationibus distribuenda submittebat.

§. XLV.

Mutato priori consilio severiora mandata a Philippo injuncta.

Thu. l. 40. n. 2 Strad. l. 4. versus finem.

Comes hæc mandata, ac literas Gubernatrici tradit: cum autem illa ad ea exequenda animum adjiceret, Rex nova prioribus contraria submittebat mandata; nam hæc non amplius illam lenitatem, ac animi moderationem præseferebant, quæ in tam periculosa rerum vicissitudine tum adeo necessaria videbatur: eapropter Comes novi hujus mandati ignarus, ac priora jussa minime effectui dari intelligens turbato præter modum animo apud Gubernatricem querebatur, atque ab Aula secedendi veniam petebat: equidem Guber-

Gubernatrix haud parum commota datis ad Hiſpaniæ Regem literis animi ſui curas explicabat: aſt Philippus Rex cum Inquiſitionis tribunal inſtitui percuperet, ac in hæreticos pertinaciter Eccleſiæ Catholicæ auctoritati obſiſtentes ſumma ſeveritate animadvertendum falſo perſuaſus eſſet, illa rigida, quæ dedit, mandata confirmabat, atque illorum executionem Gubernatrici demandabat: hæc autem Regem flecti haud poſſe dolebat, ſed reſiſtendo impar Regis voluntatem ſequenti edicto per omnes Provincias divulgato manifeſtam reddebat (*) erat autem edictum his verbis conceptum. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XLVI.

(*) Quænam ſeveriora hæc fuerint mandata, Thuanus, & Strada reticent, ex his vero poſterior affirmat, quod Rex poſteriori hoc mandato novum quid, ac priori contrarium præcepiſſe falſo creditus fuerit: porro idipſum ſat vero ſimile eſt; ipſemet enim Rex Philippus perperam id ſpargi affirmabat, hæc ad Gubernatricem perſcribens: *Falſo querunt illi, qui affirmant, quod aliud ego cum Egmontio tranſegerim, aliud per literas Valliſoleti nuper imperaverim: itaque, ut, quid ipſe volo, explicate pronuntiem, principio in plectendis Anabaptiſtis, aliisque hæreticis, quarumcumque familiarum illi ſint, nolo quidquam aut remitti, aut differ-*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XLVI.

Gubernatricis edictum pro exequendis Hispaniæ Regis mandatis.

Strada l. 4. *Cum nihil Regi charius tranquillitate sit harum provinciarum, velitque obviam ire summis malis, quibus populos sane complures mutata semel Religione misere afflictatos vidimus; idcirco Majestas ejus præcepit, ut edicta tum Caroli Patris, tum sua, & decreta Tridentini Concilii, ac provincialium Synodorum integre serventur, necnon sacris Quæsitoribus favor omnis, atque auxilium impendatur, relicta apud eos hæresum cognitione, quemadmodum*

---

differri: cum satis constet experientia, præceps, volaticumque malum cessatione, atque indulgentia imperite curari. Dein præcipio, ut Quæsitores caussarum fidei, neque novum in Belgio tribunal, neque non summopere necessarium, ubique persancte retineantur, omnique ope a Gubernatrice, ac reliquis Provinciarum Præfectis adjuventur. Postremo quoniam Concilium Tridentinum jam Belgis imperatum erat, superest, ut ejus decretis, simulque edictis tam Imperatoriis, quam Regiis pareatur: Oro proinde Gubernatricem, ut in iis procurandis industriam, sedulitatemque, quantam potest, maximam impendat: cum nihil aut mihi gratius, aut Provinciis opportunius effici a quoquam mortalium possit.

dum humano, divinoque jure ad illos per- Sæcul. XVI.
tinet. Hæc Regis in Dei cultum, Bel- A. C. 1565.
giique commoda intendentis voluntas eſt, de qua admonitum te voluimus, ut eam ſine ulla exceptione complectaris ipſe, tuæque Provinciæ Magiſtratibus ſtatim promulges, ac ſtrenue cures, nequid in ea ſervanda ab aliquo quadecunque cauſſa prætereatur, propoſito contra violatores metu pœnarum, quas in literis edicto ſubjectis recenſemus. Ut vero hæc facilius exequaris, deliges e Senatu iſto certum hominem, cujus ſit provinciam luſtrare, ſeduloque diſpicere, an ea, quæ edicto jubentur, a Magiſtratibus, populoque recte, atque ordine fiant, tuque, delectusque a te Senator, tertio quoque menſe ad nos accurate omnia referetis, ac noſtrum erit, operam hac in re noſtram omni ope, ac ſtudio promovere.

Hoc Regis conſilium Belgio adeo pernicioſum, ac tantopere ipſimet Hiſpaniæ Regi funeſtum accelerabat novos illos tumultus, qui anno ſequenti populis ad ſeditionem commotis in apertas flammas eruperunt (*).

§. XLVII.

(*) Si ſingula edicti verba a prudenti, & Catholico Viro perpendantur, ne quidem unicum reperiet, quod rebellioni occaſionem dare potuiſſet aliis, niſi illis, qui a vera fide

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. XLVII.

Plures Theologici Tractatus a Bajo editi.

Bajana in 2. part. op. Baji Colon. an. 1695. p. 194.

Minus Belgii tumultus fedabantur fama librorum, quos Bajus exeunte anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo quarto in lucem edere cæperat: quamvis enim hic Doctor Regius esset Theologus, multosque numeraret amicos, ac celebre sibi nomen conciliasset, nihilominus palam ejus doctrina impugnabatur: scripsit equidem opera non admodum multa, atque Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo tertio nonnisi quatuor tractatus vulgavit, quorum primus agebat de libero arbitrio, alter de justitia, tertius de justificatione, ac denique postremus de Sacrificio: illo autem

deficiendi cupiditate animati suum scelus, ac perfidiam quæsito quocunque obtentu honestare nituntur; nihil enim hæreticis magis familiare, quam Regnorum tranquillitatem turbare, ac suæ seditionis causas in illos rejicere, a quorum obsequio se per summam nequitiam subtrahere intendunt: eapropter Strada loc. cit. optime hæc subjungit: *Hæc summa earum literarum, quibus omnem Belgii calamitatem Orangius, aliique acceptam referre consueverunt.*

autem abhinc anno usque ad anni mil- Sæcul. XVI.
lesimi quingentesimi sexagesimi quarti A.C. 1565.
exitum Bajus nullum edidit librum, exeunte autem hoc anno ea, quæ elucubrabat, nonnisi ad quædam rediguntur opuscula de peccato originali, de operum meritis, de primæva hominis justitia, de virtutibus impiorum, de Sacramentis in genere, ac denique de forma Baptismi.

§. XLVIII.

Baji Tractatus de peccato originali.

Bajus tractatum de peccato originali *Inter opera Baji p. 1. & seq.*
in septendecim capita divisit, atque
in primo discussit, in quo Pelagianorum errores circa hoc dogma consistant, quæve sit peccati originalis essentia, ubi decidit, quod non consistat in simplici privatione justitiæ, neque etiam, prout Theologi tradunt, sit peccatum omissionis, sed commissionis, *cap. 1.*
quæ dici nequit simplex privatio ex eo, quod vitiosus, & inordinatus, in quo nascimur, sit actus, qui in infante veluti consopitus est, reviviscit autem magis, *cap. 2.*
atque exterius magis se prodit, quo magis infans ætate crescit, quem in mala pene innumera præcipitat, nisi Dei misericordia ejus concupiscentiæ cursum cohibeat. Postea Bajus hoc *cap. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

peccatum in quatuor partes, seu totidem effectus particulares, quos in nobis producit, partitur, eorumque primum dicit esse ignorantiam in intellectu II. malitiam in voluntate. III. rebellionem partis inferioris animæ contra superiorem. IV. seditionem sensuum, qui omnes effectus duobus hisce verbis: *Peccati lege, & lege membrorum* circumscribuntur: porro inde concludit in capite quarto, quod omnes filii iræ nascamur, ac damnationis æternæ rei simus. In sequentibus capitibus plures sibimetipsi difficultates opponit, quas simul dissolvere nititur, ac primo quidem quærit, quare concupiscentia, & lex membrorum sit potius vitium in homine, quam in bestiis? porro ad hoc sibimetipsi respondet dicens, quod hominem exornet ratio, quæ, quidquid in illo agitur, dirigere debet, cum contra bruta penitus careant ratione, quæ est Creatoris donum homini unice datum, ut consone ad supremam rationem, quæ Deus est, agat, contra vero animalia præter suam naturam nihil amplius habeant. Altera ejus difficultas in eo consistit, quare concupiscentia adeo differat, etsi peccatum originale in omnibus, qui in lucem eduntur, sit æquale: ad hoc autem respondet, quod peccatum originale existat

cap. 4.

cap. 5.

cap. 6.

æquale

æquale, quatenus nos omnes æquali fato reddit inimicos Dei, & iræ filios, quantum vero ad effectus hujus peccati attinet, hi diversi sunt juxta variam hominum constitutionem, educationem ab ipsis habitam, status conditionem ab iisdem selectam, gratiasque acceptas, quas Deus, cum nemini quicquam dare teneatur, aliis juste denegat. Tertio quærit, quomodo infans cujusdam peccati, quod tamen non commisit, reus esse possit: ad hanc autem quæstionem respondet Bajus, quod quoad id necessitas tantum suadeat, ut quivis sciat, fidei articulis nobis indicari, quod omnes in peccato nascamur, hæcque maledictio in omnem Adæ posteritatem sit pronuntiata eo ipso tempore, quo in primum hominem Peccatorem lata fuit: præterea credere oporteat, quod hoc peccatum, etsi nobis non sit voluntarium, re tamen ipsa in nobis existat, certumque constet, quod in nostra anima dominetur, quamprimum hæc creatur. Eodem ferme modo dissolvit quartam difficultatem, qua inquirebat, quomodo infans, qui a parentibus suis duntaxat corpus accipit, illorum defectus, & vitia, quæ ad animam spectant, sibi acquirere queat? Id fieri, inquit Bajus, certum est, cum illud nos doceat experientia: quommodo

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

cap. 7.

cap. 8.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

do autem id fiat, ab aliis discere malo, quam ipsus edicere; vereor enim, ne temeritatis notam incurram, si ea, quæ nescio, decidere præsumo. Solutis hoc modo hisce difficultatibus paucis sequentes propositiones tanquam totidem veritates per proxima capita tradit. I. Infantes a Christianis parentibus procreati, sicut ceteri peccato originali nascuntur infecti, nec ea, quæ a Theologis vocantur habitudines, atque in nobis reperiuntur, quamvis eadem nec ipsimet sponte contra-

cap. 9. xerimus, meritoria tamen, aut demeritoria facere possumus, quale est peccatum originale in nobis existens, quin quicquam egerimus, unde hujus peccati nos reos fecimus, id tamen nos non minus reddit infensos oculis Dei,

cap. 10. qui nil nisi peccatum odisse potest, II. pravæ inclinationes nos reddunt malos etiam tunc, quando non agimus, proin etiam bonæ propensiones eundem producunt effectum, quia tam hæ, quam illæ non possunt alios proferre

cap. 11. effectus, quam sibi similes: reipsa autem isti producuntur, quando ad ipsum a-

cap. 12. ctum pervenimus. III. Ea ex ratione lex divina nobis prohibet malas habitudines æque, ac malas actiones, nihilominus veritati innititur hæc regula: *Deus nihil impossibile præcipit:* quam-

quamvis ea diverso modo juxta duplicem hominis statum, ceu ejusdem ut innocentis, & lapsi conditionem explicanda veniat. IV. De primo statu certum constat, quod homo absque omni impedimento, & difficultate omnia Dei præcepta adimplere, ejusque prohibitiones evitare potuerit. Verum post ejus lapsum, ut absque nœvo vivere valeat, non tantum, quod homo habeat operandi voluntatem, omnino sufficit, sed insuper requiritur, ut Deus sua gratia eandem voluntatem nostram adjuvet, nam ad hoc, ut soli agamus, nostræ vires nimium infirmæ sunt, semperque in vitia incurremus, absque hoc auxilio omnipotentis Dei: natura ecquidem homini deservire potuit ad id, ne in quamdam prævaricationem incideret, postquam vero eadem erat corrupta, hac potestate caret, & sola peccandi voluntas illum in lapsum adegit, adeo, ut quasi necessario peccemus, quia semel peccavimus. Bajus ut hanc suam tueretur opinionem, plures sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum textus allegat, & postea hæc subjungit: „ verissime igitur dicitur, quod „Deus homini nihil impossibile præ„ceperit, si illum juxta primam ejus in„tegritatem consideramus, & juxta vi„res, quas Deus illi in ejus creatione

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

„contulit: id vero de homine lapso di-
„ci nequit, nisi quatenus consideratur
„adjutus auxilio Dei, quo id, quod pro-
„priis hominis viribus post lapsum im-
„possibile fuit factum, non modo possi-
„bile, sed etiam Sanctis facile reddi-
„tur.„ Ceterum haud immorari ex-
cap. 13. pedit illis quæstionibus, quas Bajus in
capite decimo tertio movet, quærens
quare solum Adæ peccatum ad poste-
ros, nec æque cetera ejus vitia transie-
cap. 14. rint. In capite decimo quarto asserit
quod remisso peccato originali adhuc
tamen illius effectus in nobis experia-
cap. 15. mur: verum id omnibus aliunde sat no-
tum est: ubi autem in capite decimo
quinto affirmat, quod lex membrorum,
seu carnis libido in sanctis mala sit non
minus ex eo, quia pœna, quam etiam in-
obedientia est erga Dei legem, id majo-
rem continet difficultatem: utrumque ve-
ro Bajus in hoc capite comprobatum
reddere nititur, ibidemque demonstrat,
quod hæc membrorum lex in nobis
regnet in pœnam, qua castigatur ho-
minis inobedientia, nec non arrogatum
sibi supremum imperium, mentisque
elatio, qua ejus intellectus contra Crea-
torem suum insurgere ausus est: porro hæc
eadem conditio, ad quam per peccatum
suum redactus est, hominem insuper
incitat, ut continuo sese rebellem Deo

ex-

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

exhibeat, ejusque præceptis resistat, necnon illius justis sese subducat, ac quicquid justum, honestumque præcipitur, transgrediatur. In hoc articulo Bajus nil nisi sacræ Scripturæ, Patrumque verbis utitur, nilque aliud profert, nisi id, quod quivis homo in se experitur, qui cum Divo Paulo exclamare cogitur: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hanc contra Dei præcepta rebellionem, ac repugnantiam in omni eo, quod justum est, appellat Bajus inobedientiam erga legem, qua Deus omnium Creator petit, ut omnia ei sint subjecta, quamvis omnia in nobis contra Deum pugnent: eapropter juxta Bajum Divus Ambrosius legem membrorum appellat iniquitatem, etiam postquam peccatum remissum fuit per Baptismum, eoquod juxta hunc sanctum Doctorem injustitiam sapiat, quod caro concupiscat contra Spiritum, ex adverso justum est, quod Spiritus concupiscat contra carnem: nam tunc, concludit Bajus, si Spiritus insurgit contra carnem, obedit legi divinæ, ergo quando caro tumultuatur contra Spiritum, hæc rebellio est inobedientia erga Dei legem. Por-

Rom. 7. v. 22. & 23.

cap. 16. & 17.

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

ro idem Doctor in duobus poſtremis capitibus demonſtrat, quod hæc repugnantia legis membrorum, involuntariique cupiditatis motus, & concupiſcentiæ effectus, qui etiam nobis nolentibus fiunt, in juſtis peccata non ſint.

§. XLIX.

Tractatus de merito operum.

Tractatus de operum meritis in duos libros diviſus eſt, in quibus Bajus hæc ſe comprobaturum ſpondebat. „Sic„ut damnatio extitit æquum peccati „ſtipendium in Angelis peccantibus, „ita etiam felicitas æterna fuit juſta me„riti merces in Angelis, qui fi„deles remanſere: nec minus ob ean„dem rationem hæc felicitas non fuiſſet „gratia, ſed juſta retributio in homine, „ſi usque ad finem perſeveraſſet in bono, „in quo creatus erat: ſicut etiam homo „mundatus, ac per Chriſti ſanguinem „pro ipſo effuſum reparatus reipſa ob „merita ſua a Deo per juſtum iſtius ju„dicium accipit vitam æternam antea „amiſſam, cum hoc tamen diſcrimine, „quod pro homine innocente vita æ„terna fuiſſet nil niſi retributio merito„rum ejus, pro homine autem lapſo, „qui per mortis Chriſti applicationem „fuit reparatus, vita æterna ſit ſimul „& gratia, & meriti merces.„ Hæc

ſunt,

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

sunt, quæ Bajus se in hisce duobus libris probaturum spondebat, ac reipsa ex auctoritate, & ratione evincere nitebatur: respondet insuper quibusdam difficultatibus, quas sibi opponendas præviderat, earumque prima est, quod in sacris Paginis vita æterna appellerur Dei gratia, inde vero inferri possit, quod illa non sit merces: verum respondet Bajus: ecquidem est gratia in peccatoribus, quales nascimur omnes, in mercedem autem datur, quando hi Peccatores per suam naturam quoddam bonum opus salutis æternæ meritorium per Dei gratiam operati sunt: præterea potuissent etiam objici hæc sacræ Scripturæ verba: *cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus:* Bajus vero ita respondet: ipsis sacræ Scripturæ verbis dicimur servi, non mancipia, servus autem dignus habetur mercede sua, sumus equidem servi inutiles, quia nihil habemus in nobis, quod nos ex propriis viribus idoneos redderet ad bonum, quod per gratiam operamur: si autem Deus nos cum nostra peccaminosa natura relinqueret, penitus inutiles maneremus ad bonum: ast ejus gratia nos ad bonum reddit aptos, dum in nobis facit, ut bonum operemur. Hac ratione Bajus plures alias dissolvit contrarias rationes, atque ubique deprehendi-

Luc. 17. v. 10.

Sæcul. XVI A.C. 1565.

henditur, quod ingenii perſpicacia clarus ea, quæ ſcribit, acriter inſpiciat. Demum ad ſecundi libri calcem in hoc tractatu diſcutit, an peccata, quæ nominamus venialia, talia ſint ex natura ſua: porro ad id reſpondet, quod talia reputentur duntaxat ex Dei miſericordia, nullum autem detur peccatum, quod nos non excluderet a Regno Dei, niſi Sanguis Chriſti Domini nos ab illo mundaſſet. Inſuper in ſecundo hoc libro examinat quorumdam Theologorum opiniones, quibus diſcutitur, unde proveniat, ut quid mereri poſſimus, cum illud nonnulli, prout putat Bajus, deducant ex adoptione, ſeu participatione naturæ Divinæ, alii autem derivent ex obedientia erga præcepta; cui poſtremæ ſententiæ ipſe etiam Bajus ſuffragatur: Chriſtus enim juxta Baji opinionem, dum in Evangelio conventionem, ſeu pactum cum homine in ſuæ creationis principio initum repetit, non dixit, ſi vis ſervare mandata mea, obtinebis vitam æternam, ſed ſerva mandata mea, ſi vis ingredi vitam æternam: ubi juxta Bajum inſinuat Chriſtus, quod obtenturi ſimus vitam æternam, ſi in primævo creationis noſtræ ſtatu perſeverantes Dei præcepta fideliter ſervaverimus: ſicuti econtra factum, ut omnes morti æternæ obnoxii red-

cap. 2.

redderemur, quia pactum, quod Deus cum omnibus hominibus in Adæ persona iniit, violavimus. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

§. L.

Baji tractatus de prima hominis justitia.

In tractatu de prima hominis justitia Bajus affirmat, negari non posse, quod primus homo in rectitudine, & justitia creatus fuerit, dicente ipso Deo in capite primo Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Jam vero, infert Bajus, hæc similitudo intelligenda venit de similitudine quoad sapientiam, ceterasque Dei virtutes, quatenus hac ratione creatura accedere potest enti non creato. Postea oppositæ sententiæ adhærentes refellit, suam vero opinionem quamplurimis sacri Codicis, & Patrum testimoniis comprobare nititur, ubi quærit etiam, in quo primæ hujus rectitudinis, quæ decorabat hominem ante ejus lapsum, integritas constiterit, respondet vero, eandem non modo in eo extitisse, quod hominis intellectus per plenam, & integram legis divinæ cognitionem, ejusque voluntas per perfectam obedientiam Creatori suo uniretur, atque adhæreret, sed insuper inferiores corporis ejus partes subditæ essent superioribus

cap. 1. *Gen.* 1. *v.* 26.

cap. 3.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

ribus partibus, ejusque voluntas omnium suorum membrorum usum dirigeret, istorumque nullum resisteret. Hic status juxta Bajum non erat gratia respectu naturæ innocentis hominis, cum hæc in sua creatione non potuerit esse nuda prærogativis istis, quibus erat provisa; fuit enim hæc naturalis illius conditio: porro luculenta hujus veritatis argumenta, si Bajo fides esset adhibenda, sunt pœnæ, quæ primo homini infligebantur: postea Bajus invehitur in Philosophos, qui diversæ erant opinionis: juxta ipsius autem opinionem nunc justitia, quando homini conceditur, est supernaturalis, quia ei non debetur post peccatum, gratisque eam Deus tribuit juxta sua prudentiæ, ac providentiæ consilia, quæ semper admiranda sunt.

cap. 4. & 5.

cap. 6. & 7.

cap. 8.

cap. 10.

§. LI.

Baji tractatus de virtutibus impiorum.

Altera hujus libri pars quoad genuinam considerationem est secundus tractatus, in quo Bajus examinat quæstionem de virtutibus infidelium, aut impiorum, seu illorum, qui fidem non habent, vel juxta fidem non vivunt. Ibidem docet, quod actiones, quæ sunt bonæ ex seipsis, ac morales, seu probi homi-

cap. 3. 4.

hominis virtutes vocantur, in proprio sensu hoc nomen non promereantur in illis, in quibus aut fides deest, aut fides per charitatem viva non existit, eoquod aliqui pro suo fine nonnisi voluptatem, alii vero honores, aut divitias, vel semetipsos habeant, unde fit, ut eorum actiones non referantur ad Deum, nec tendant ad illum tanquam finem, & quidem finem unicum. His addit Bajus: hæ actiones potius sunt vitia, quæ virtutes imitantur, nec sanctus Augustinus ideo tantum, quia non merentur æternam salutem, illas esse veras virtutes negavit, sed hoc negandi etiam ratio erat, eoquod sint vera vitia, ac homo unacum hisce virtutibus damnetur, cum eædem ipsammet ad damnationem pertrahant. Hanc quæstionem Bajus adeo non ad inutiles quæstiones, quæ sæpe in scholis agitari solent, rejicit, ut etiam eam penitius inspici, plurimum Religionis interesse contendat: insuper statuit exacte dignoscendum esse, quænam sit natura harum virtutum, ac vitiis, quæ nonnisi damnanda sunt, virtutis nomen, quod laudis titulus est, attribuendum non esse ait, simulque observandum putat, quod virtutes per liberi arbitrii vires acquiri non possint, sed gratuitum sint donum divinæ bonitatis, cum libernm arbitrium absque

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

cap. 4. 4.

cap. 5.

cap. 7.

Dei

Sæcul. XVI A. C. 1565.

Dei auxilio nonnisi vires ad peccandum habeat. De cetero ea, quæ in duobus postremis capitibus profert, nonnisi ad morum regulam pertinent. *cap.* 8.

§. LII.

Baji tractatus de Sacramentis in genere.

Bajus in tractatu de Sacramentis in genere contra Calvinum probat, quod Sacramenta, quæ in Ecclesia conferuntur, non sint vacua, & inania symbola, aut alium non habentia effectum, nisi quod existant pignora divinarum promissionum, quæ nobis in sacris literis annuntiantur: ubi tamen admittit, quod omne Sacramentum a Christo Domino institutum sit cujusdam spiritualis gratiæ signum, interim addit, per Ecclesiæ fidem nos edoceri, quod Sacramenta reipsa gratiam, quam significant, conferant, si eis nullus obex per culpam opponatur: insuper asserit, quod scriptura peccatorum remissionem fidei attribuens eam Sacramentis non adimat, quando autem Christus Dominus dixerat: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, æque baptismatis receptioni, ac fidei salutem esse promissam dicebat, ac pari quoque modo intelligenda asserebat ea, quæ Christus pronuntiavit de remissione peccatorum

Marc. 16. *v.* 16.

torum, cum illa verba: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, demonſtrent, quod hæc remiſſio etiam reconciliationis Sacramento fuerit attributa. Sæcul. XVI. A. C. 1565 *Joann. 20. v. 23.*

§. LIII.

Tractatus de forma Baptiſmi.

Ceterum prior tractatus admodum brevis erat, magis tamen adhuc ſuccinctus eſt ille, quem de Baptiſmi forma conſcripſit, in quo Bajus refellit illos, qui ab Apoſtolis quandoque Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine adminiſtratum fuiſſe affirmant: unde paucis demonſtrat, quod Sanctus Ambroſius hanc ſententiam non tradiderit, eaque a ſummis Pontificibus fuerit damnata, ideo hi, ne Baptiſmus per ſolius Nominis Chriſti invocationem conferatur, admodum ſollicite prohibuerunt, atque ex adverſo præceperunt, ut nunquam niſi in nomine trium Divinarum Perſonarum adminiſtraretur.

§. LIV.

Controverſia inter Franciſcanos circa confeſſionem.

Sub idem tempus exarſerat acerrima inter Minores Belgicæ Provinciæ Fratres contentio circa contritionem, *Bajan. 2. p. operum p.* 194. & 195.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

ſuaque peccata confitendi neceſſitatem, & circa Conceptionem Beatiſſimæ Virginis: nonnulli enim ex ipſis cenſebant, quod negata ex ſuo ordine cujusdam, cui ſua peccata confiteri poſſent, Confeſſarii copia, rem divinam peragere valeant absque prævia confeſſione, etſi ebrietatis, fornicationis, aut publici etiam criminis rei eſſent, porro hanc quoque opinionem ſuam emergente caſu in uſum deducebant: inſuper etiam in pluribus ſcriptis propugnabant, quod confitendi propoſitum unacum contritione ad peccatorum ſuorum remiſſionem ſufficiat, quando a noxarum confeſſione excuſati ſunt ex rationabili cauſſa, hanc autem eſſe putabant difficultatem nanciſcendi Confeſſarium ſui Ordinis.

§. LV.

Propoſitiones ex Baji libris excerptæ, atque ab ejus adverſariis ad Hiſpaniæ Regem tranſmiſſæ.

Bajan. p. 195 Hæ opiniones cum in uſum deducerentur, indies majorem morum corruptionem inducebant, ac continua Sacramentorum profanatio inde ſequebatur: Bajus vero harum opinionum falſitatem, nec non periculoſos effectus, qui inde ſequerentur, detegebat; interim ipſe-

ipsemet acriter impugnabatur circa suas sententias, quas de Conceptione Beatissimæ Virginis divulgabat: hic enim Doctor Mariam sine labe conceptam negabat, eoquod nullum hujus opinionis vestigium, nullumque argumentum in Patrum operibus reperiri diceret: hæc autem temeritas graviter offendebat Baji adversarios, hinc ira commoti illum infectabantur, quamvis eum tam circa hanc opinionem, quam circa reliquas non pauci, imo etiam Franciscanorum nonnulli toto studio defendere niterentur: illi tamen, qui ejus sententias damnari petebant, plures propositiones ex ipsius libris decerpebant, easque ipso inscio ad Regem Catholicum transmittebant, supplices, ut illas examini subjici juberet. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

§. LVI.

Ravesteinii Epistola ad Villavicentium contra Bajum.

Die vigesima Novembris Anno priori millesimo quingentesimo sexagesimo quarto Josephus Ravesteinius Lovaniensis Doctor ad quemdam Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Religiosum nomine Laurentium Villavicentium, qui tum in Hispania morabatur, epistolam transmisit: porro hic idem Monachus olim Lovanii, cum Or-

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

dinis ſui Generalis Commiſſarius in Belgio eſſet, Doctoratus laurea decoratus ſuerat: ad hunc ergo Raveſteinius perſcripſit, queſtus, quod Joannes Heſſelius, & Michael Bajus nequaquam ſuos errores depoſuiſſent, imo & Bajus nuperrime librum edidiſſet, in quo communem opinionem de merito bonorum operum impugnaret: „ Poſt reditum, „inquiebat ille, noſtrorum Doctorum e „Sacroſancto Tridentino Concilio ite„rum recrudeſcunt contentiones in no„ſtris Scholis theologicis propter no„vas ſententias, quas illi boni viri in „Scholis, uti ante Concilium ſolebant, „invehunt, & magna fiducia repudiata „communi doctrina tuentur, quas eos „confidebamus mutaturos, & correctu„ros, poſtquam cum viris doctis in Con„cilio ſuper eis contuliſſent: ſed intel„leximus, eos tanquam ſecuros de ſua„rum opinionum veritate, de eis ne „verbum quidem apud illos feciſſe. I„taque alia ratio quærenda eſt, qua „pax, & concordia in noſtra Schola „conſervetur, & procuretur. Edito li„bro Magiſter noſter Michael receptiſſi„mam doctrinam de meritis bonorum „operum convellit, non ſine ſtomacho, „& gravi aliorum reprehenſione; quæ „habet, bona juſtorum opera non ha„bere rationem meriti de condigno vi-

„tæ

„tæ æternæ, nisi ex eo, quod justifica- Sæcul. XVI.
„torum opera non liberi arbitrii tan- A.C.1565.
„tum sint opera, sed Christi, & Spiritus
„ejus inhabitantis, justificantis, & eos
„super naturam sublimantis, sicut ma-
„nifeste Concilium Tridentinum docet
„meo quidem judicio, & hactenus o-
„mnes Doctores senserunt, & docue-
„runt. „

„In eodem libro docet opera non-
„dum justificatorum ante remissionem
„peccatorum esse vere meritoria, eoquod
„sint conformia legi divinæ, & alia ple-
„raque similia. Opinor, vestram Pater-
„nitatem vidisse censuram Parisiensium
„Theologorum ejus propositiones da-
„mnantem, quod opera nondum ju-
„stificatorum, habentium tamen fidem,
„sint meritoria de condigno vitæ æter-
„næ. „

„Item in eodem libro docet, pri-
„mum hominem, & Angelum per na-
„turam suam promeritos vitam æter-
„nam, non per Spiritus Sancti inhabi-
„tantis gratiam. „

„In altero libello novam prorsus
„disputationem habet de statu primi
„hominis, contendens beatitudinem il-
„lam, qua præditus fuit, non fuisse
„gratiæ beneficium, sed naturalem, &
„pleraque alia. „

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

„De concupiscentia quoque, de qua „olim plurimam contentionem vestra „Paternitas audivit, id adhuc docet, „quod in renatis lapsis sit proprii no„minis peccatum, quamvis in renatis „perseverantibus in justitia non sit pec„catum. Eximie Magister noster, nisi „vir aliquis strenuus remedium adferat, „videbis brevi labefactandam opinionem, „& gloriam Scholæ nostræ Theologicæ, „quæ nunc est florentissima, & celeber„rima per universi Christiani orbis re„giones. „

„Si præsenti cum præsenti commu„nicare consilia liceret, ponerem in de„liberationem, num consultissimum fo„ret, hos libellos, & propositiones o„mnes, quæ concordiam scindunt gra„viter, sincere collectas ad Regiam Ma„jestatem transmittere, illiusque singe„rissimum erga Religionem studium „implorare, ut curet in Academia sua „celeberrima Salmanticensi, vel alia „quavis, censuram fieri, & hac ratione „pacem, & concordiam hujus suæ Aca„demiæ Professoribus severe indicere. „

„Certe ego promptissimo animo „semper parebo Catholicarum Acade„miarum judicio, & censuræ abjecto „proprio sensu. Contentiosarum no„strarum disputationum conscius est „Reve-

„Reverendiſſimus Confeſſarius (*) Re- Sæcul. XVI.
„giæ Majeſtatis, & cum dolore animi A.C. 1565.
„ſui de iis abſcindendis, & ſarcienda
„concordia ſæpe mecum Bruxellæ egit:
„hujus ergo opera, ſi adhuc a Con-
„feſſionibus Regiæ Majeſtatis eſt, exi-
„ſtimarem, rem hanc poſſe feliciter con-
„ſici. Eximie Magiſter noſter cupio
„de hoc conſilio veſtram ſententiam
„intelligere, & oro, ut hujus meæ de-
„liberationis neminem conſcium facias:
„haud enim ignorat Veſtra Paternitas
„miram Tragœdiam adverſus me ex-
„citandam, ſi hæc ſollicitudo palam fie-
„ret. Chriſtus Veſtram Paternitatem
„diu ſervet incolumem ſuæ Eccleſiæ
„juvandæ. Vale.

„Datum Lovanii die vigeſima No-
„vembris anno milleſimo quingenteſi-
„mo ſexageſimo quarto.

Poſtea Raveſtenius Baji opera, ejusque propoſitiones ad Regem Catholicum tranſmittebat, ut eas ab Hiſpaniæ Univerſitatibus examinari juberet, quæ etiam poſtmodum illas cenſuris perſtringebant, ſuaque decreta in Belgium mittebant.

§. LVII.

(*) Erat is Pater Franciſcus Horantius ex Ordine Fratrum Minorum.

Sæcul. XVI. A. C. 1565

§. LVII.

Censura libri Mirabilis *a Facultate Parisiensi pronuntiata.*

Argentre Collect. Jud. de nov. error. tom. 2. p. 390.

Hoc anno die prima Februarii Facultas Theologica Parisiensis librum damnabat, cui titulus: *Liber mirabilis paucis continens florem, ac summam plurium tractatuum tam de Prophetiis, & revelationibus, quam de veteribus Chronicis.* Hoc opusculum ex Thibaldi Bessolti prælo Parisiis cum ejusdem Theologicæ Facultatis approbatione in lucem prodibat, aut saltem ita prodiisse libri titulus præseferebat, imo additum quoque legebatur, quod a pluribus hujus facultatis Doctoribus non modo hic liber perlectus, sed & correctus fuerit: verum sive demum hæc approbatio suppositicia, sive illius examen ante approbationem duntaxat fugitivo oculo fuerit institutum, interim id certum constat, quod Facultas hunc librum omnino damnandum censuerit, ac declaraverit, quod *hic liber contineat passim propositiones multas ridiculas, falsas, erroneas, scandalosas, & quasdam hæreticas, hæreticisve omnis ferme generis hujus temporis conspirantes, & ad seditionem excitantes inter Hierarchicum ordinem, & civilem.* De cetero propositiones ibidem contentæ sigillatim non recen-

recenſebantur, ſed duntaxat hunc librum eſſe ſupprimendum pronuntiabatur. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. LVIII.

Palinodia Patris Volantii Ordinis Fratrum Minorum.

Ineunte Menſe Majo cum Pater Franciſcus Volant in Fratrum Minorum ſcholis Director præſideret actui veſperiarum, inter argumentandum edixit, Parvulos in fide parentum absque baptismo ſalvari: quam propoſitionem ut veram afferere viſus fuerat poſt argumentationem, unde juſſus eſt a ſacro Ordine eandem die decima octava ejusdem Menſis revocare, quod etiam præſtitit, eſtque illius palinodia his verbis concepta: *Delatus ſum apud Dominos deputatos Sacratiſſimæ facultatis Matris meæ a viris fide dignis, quod in actu quodam veſperiarum in hac noſtra domo Franciſcanorum, in qua præſidebam, inter argumentandum contra reſpondentem, cum intenderem probare parvulos in fide parentum, ſine baptismo aquæ ſalvari, cumque poſtea multas auctoritates Doctorum ad eam rem adduxiſſem, tandem in fine argumenti mei hæc addidi,* & verum eſt, *ex quo verbo auditores juſte ſcandalizati ſunt: quaſi attentaſſem affirmare, parvulos ſine baptismo aquæ in ſola fide parentum interdum ſalvari,* *Argentre pag. 391.*

Sæcul. XVI. A.C 1565.

vari, quam propositionem affero esse scandalosam, erroneam, & hæreticam, & contrariam sacræ Scripturæ, ubi Joannis cap. III. legitur, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. *Sicuti jam antea hæc propositio per censuram ejusdem Facultatis Matris meæ jure damnata est.*

Eandem assertionem eodem anno, & mense retractabat Magister Guilielmus Senechal Parochus S. Severini in sua Ecclesia.

§. LIX.

Colloquium in Polonia inter Pinczovienses, & spurios Reformatores.

Lubienieski in hist. reform. Eccl. Pol. Sandius in Bibl. Antitr. hbi narratio compendiosa Andreæ Wissouvatii pag. 213.

Cum tempus appropinquaret præstitutum, quo in Polonia Antitrinitarios, seu Pinczovienses inter, & adulterinos Reformatores colloquium celebraretur, Cardinalis Osius funesta hujus disputationis mala pertimescens Sigismundum Augustum adibat, ut hoc colloquium præpediri eidem persuaderet: equidem Proceres Catholici, qui his comitiis intererant, eandem cum hoc Cardinale sententiam fovebant, suamque ei operam ad impediendum hoc colloquium impendebant, verum Sigismundus facultatem, quam hæreticis jamjam dederat, revocare renuebat:

bat: unde hæc disputatio præfixa die fuit celebrata. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

Itaque Pinczovienſium nomine disputabant Gregorius Pauli, & Stanislaus Luboromiski, qui Eccleſiarum in Polonia minori Paſtor, ſeu ut vocant, *ſuperintendens*, Regique a ſecretis erat. Aderant quoque ibi ejusdem frater, Nicolaus Sieniciuski, Joannes Niemoiovius, Cazanoviuski, Paracliſius, præter nonnullos alios: porro exiſtimatorum Reformatorum partes ſuſtinebant Sarnicius, Silvius, Luſius, pluresque magni inter eos nominis Theologi: præprimis autem utrinque ſancitum, quod præ ceteris primi perorarent Pinczovienſes, hosque prætenſi Reformatores exciperent, atque pro illis Caſſanovius, & pro iſtis Pluſius nominabantur, qui hujus diſputationis acta conſcriberent: inſuper ex utraque parte ſeligebantur Commiſſarii, qui huic conciliabulo juxta ordinis ſui ſeriem præeſſent. Horum primus erat Joannes Firlayus Cracovienſis Palatinus, & ſupremus Coronæ Mareſcallus Calviniſtis oppido addictus.

§. LX.

Initium diſputationi datum ab examine Myſterii SS. Trinitatis.

Joan-

Sæcul. XVI. A.C.1565.

Joannes Firlayus brevem orationem habuit, ad cuius finem utramque litigantium partem ad ſolidam in Eccleſiis pacem feliciter procurandam hortatus hæc ſubjecit: *incipiamus ergo in nomine Domini, & Sanctiſſimæ Trinitatis:* verum ad hæc verba quidam adverſæ partis Theologus, quem Gregorium Pauli fuiſſe dicunt, in hunc Præſidem inſurgens, eumque torvo vultu aſpiciens repoſuit: *nos Trinitatem non agnoſcimus, ac propterea non reſpondemus: Amen.* Præſes nihil commotus reſpondit: inchoate igitur veſtram diſputationem ab hoc myſterio, ideo Gregorius Pauli unacum Gentili, aliisque omnia coacervabat ſophismata, quibus olim veteres Ebionitæ, diſcipuli Pauli Samoſateni, atque Arriani Perſonarum Trinitatem, Filii conſubſtantialitatem, ejusque æternitatem, ceteraque divina attributa impugnare nitebantur: attamen Sarnicius, Sylvius, aliique ſpuriæ Reformationis Miniſtri, priusquam in arenam deſcendebant, unum articulum, a quo ſuæ cauſſæ ſucceſſum tuto dependere exiſtimabant, mutuo utrinque conſenſu ſtabiliri conabantur: porro hic articulus erat ſequens: an Pinczovienſes auctoritatem ex veterum Patrum traditionibus, primisque Conciliis hauſtam tanquam argumentum admit-

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

mittere velint? Ad hoc illi sic dictis Reformatoribus ita responderunt: „nos „quoque, cum Lutherus, Zwinglius, & „Calvinus traditiones, Concilia, Patres, & Ecclesias omnino rejecerint, „atque unice sacræ Scripturæ absque „glossa, & interpretatione tanquam soli „dogmatum fidei judici innixi fuerint, „eos imitari volumus, eo potissimum „nomine, quod vos Lutherani, aut „Calvinistæ, vel Sacramentarii sitis, „ideoque ab hac vestrorum Magistrorum regula discedere non possitis, nec „traditiones pro argumentis adducere „valeatis, quin Catholicis in plurimis „articulis vobiscum controversis victas „manus dare cogamini, cum vos ipsi„met fateamini, quod Catholici sua „dogmata ex traditionibus, Conciliis, „& Patribus adeo luculenter compro„bata reddant, ut illis solide respon„deri nequeat: Jam vero, prosequeban„tur Anti-trinitarii, sacræ Paginæ in „suo sensu legitimo sumptæ, ac prout „primo intuitu intellectui objiciuntur, „nullatenus asserunt, quod tres Per„sonæ in Deo dentur, aut Filius Patri „sit consubstantialis: ergo nec vos Tri„nitatem, aut consubstantialitatem ad„mittere debetis: si autem scriptum „Dei verbum per Concilia explicare ju„bemur, tunc pari, aut forte majori

„jure

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

„jure insistere possumus explicationi a „Sirmiensi, & Ariminensi Conciliis circa „hanc rem datæ, quam vos inniti po„testis decisioni Nicænæ Synodi, pri„ma enim hæc Concilia erant libera, „illud vero Nicænum sua caruit liber„tate, eoquod præsens adesset Constan„tinus, qui omnes Synodi Patres in „obsequio continebat, eosque ad fata„lem suo arbitrio obsecundandi necessi„tatem redigebat.„ Verum hæc mentiebantur Sociniani absque omni veritatis specie.

§. LXI.

Falsa verborum sancti Joannis explicatio.

Narrat. l. c. pag. 212.

Ceterum spurii Reformatores sua largumenta ad solius sacræ Scripturæ limites, exclusa omni glossa, restringere cogebantur, ac præprimis disputationi initium dabant ab illis sancti Joannis verbis: *In principio erat Verbum* Joan. 1. v. 1. Verum Pinczovienses, cum per explicationem a Lelio Socino antea eis propinatam circa hunc textum essent exercitati, prompte illum in sensu figurato explicabant, idque aliis confirmabant textibus, quos ipsimet adulterini Reformatores nonnisi in sensu figurato admittebant, quales erant sequentes: *Hoc est Corpus meum: ego sum vitis,*

vitis, & Pater meus agricola est: ego sum aqua saliens in vitam æternam &c. Nec tamen prætensis hisce Reformatis defuissent argumenta ex traditionibus, Conciliis, Patribusque deprompta, quibus novas hasce explicationes, & sophismata eluderent: verum his armis pugnare non audebant. Tandem post prolixam verborum contentionem, ac crebras calumnias ultro, citroque sparsas adulterini Reformati, cum nulla ex sacris literis argumenta proferre possent, quibus eorum adversarii non illico responderent, in pleno consessu tota vocis intentione intonabant: Gloria Deo Patri, Gloria Filio ejus unico, Gloria Spiritui sancto Paraclito nunc, & semper in sæcula sæculorum &c. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. LXII.

Pinczovienses ira commoti, ac dissoluto conciliabulo secedentes.

Equidem Pinczovienses hanc agendi rationem, qua Reformati utebantur, velut suæ ignorantiæ, ac desperatæ causæ argumentum reipsa interpretari debuissent, illi tamen longe aliter hac de re judicabant, existimantes, quod illis insultandi animo blasphemiæ contra Deum proferrentur, quapropter injuriam sibi illatam vindicari postulantes in pleno consessu palam declarabant, *Lublin. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

bant, quod tantam ignominiam Magni Dei Majeſtati inferri haud ultra permiſſuri eſſent, quibus dictis ſe ſumma ira commotos ſimulabant, ac diſſoluto conventu diſcedebant: vix autem Aulam erant egreſſi, cum illico prætenſi reformati Palatinum urgerent, ut pro pace in ſuis Eccleſiis ſtabilienda, atque reprimendis Pinczovienſium novitatibus quædam ſtatuta conderet: id quoque eorum precibus datum, moxque ſancitum, quod deinceps nullius publici colloquii copia novellis hiſce Arianis daretur, & Dei unius, triumque Perſonarum conſubſtantialium, & coæqualium dogma integra fide propugnetur, atque omnes ſpuriæ reformationis Eccleſiæ hunc articulum profiteri teneantur. Verum omnes Pinczovienſes Miniſtri, qui huic ſententiæ non intererant, vehementer eidem ſeſe opponebant, cauſſati, violata eſſe pacta ante colloquium inita, eoquod Gregorius Paulinus, ejusque ſocii cauſſa indicta damnati fuiſſent: aſt inſuperhabita eorum repugnantia, Antitrinitariorum ſecta tam lingua, quam calamo acriter impugnabatur, præcipue a Philoppovio, & Laſſicio, qui inſuper petebant, ut Pinczovienſes eodem ſupplicio, quo Servetus Genevæ, in Polonia afficerentur.

§. LXIII.

§. LXIII.

Sæcul. XVI. A.C 1565.

Actum de parvulorum baptismo.

Sub idem ferme tempus quæstio de parvulorum baptismo ingenti animorum contentione utrinque agitabatur; hunc enim Pinczovienses rejiciebant, affirmantes, quod sacræ literæ in ipsorum sensu explicatæ hac de re nullam mentionem facerent: econtrario adulterini reformati hunc baptismum esse necessarium contendebant, eoquod id per traditionem ab Apostolorum ævo usque ad nostra tempora continuatam confirmetur, nec sacris literis adversum esse probetur. Ceterum primi, qui Baptisma parvulorum impugnabant, erant Cuiavienses, & Brestienses Ariani, pluresque in Lithuania Ecclesiæ: priusquam tamen adversus hunc fidei articulum universalis excitata fuerat seditio, jamjam Farnovius, & Visnovius adultos, qui in sua infantia sacro fonte tincti erant rursus baptizare incæperant: porro hæc innovatio attribuebatur Gonesio, qui anno abhinc millesimo quingentesimo sexagesimo secundo librum contra infantum Baptisma ediderat: insuper eadem sententia imputabatur Petro Pulchranio Germano Biehanensis Collegii in Lublinensi Provincia Rectori, & Pac-

Sæcul. XVI. A.C.1565.

lesio, Matthiæ Albino Iranovienſi Miniſtro, Hieronymo Pirckarſio, & Martino Czechovio, qui poſtremus adeo dextre Cuiavienſes ad ſua ſtudia inflectebat, ut hi nonniſi adultis Baptisma conferri permitterent.

§. LXIV.

Bresvicenſis, & Wengrovienſis Synodus circa eandem quæſtionem.

Lublenieſ. l. c.

Jamjam anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono Simon Zacius Proſſevicius Vilnenſis Eccleſiæ Senior fidei formulam vulgabat adverſus Baptismum parvulorum: inde vero accerrimæ oriebantur altercationes inter Czechovium, Nicolaum Wandrogovium & Paulum Lithuanicarum Eccleſiarum Superintendentem; hic enim infantum Baptisma propugnabat, primi autem duo eidem adverſabantur: ut ergo inter eos concordia redderetur, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto Bresvicii Synodus indicebatur, ad quam triginta duo Miniſtelli confluxerant, irrito tamen ſucceſſu; quippe a copioſo horum numero nec litigantibus ſilentium imponi, nec duorum Anabaptiſtarum petulantia reprimi potuit: quapropter hoc negotium ad aliam Synodum remittebatur, quæ etiam die vigeſima quinta Decem-

Sæcul. XVI, A.C 1565.

Decembris hoc anno Wengroviæ in quadam Podoliæ urbe habita est, ad quam ut Vilnenses etiam accederent Ecclesiæ, Luthoromiskius missis ad eas literis sollicitabat: convenerant ergo ibi quadraginta septem Ministri, sexdecim Proceres, ac quamplurimi Lithuani, qui omnes parvulorum Baptisma rejiciebant. Præerat huic conciliabulo Philoppovius consentiente universo ceterorum consessu, ac præprimis Kiscianæ, & Annæ de Radzivilla Palatinarum literæ prælegebantur: quibus perceptis examinabantur epistolæ Lublinensis, Sidloviensis, Briescensis, aliarumque Ecclesiarum, quæ unaomnes petebant, ut circa materiam de parvulorum Baptismo nihil nisi ex sacris literis decideretur, totoque studio tumultus, quibus Ecclesiæ inter se scinderentur, tandem sedarentur: verum jam sexta dies inter accerrimas contentiones effluxerat, ac Baptisma infantium hinc impugnabatur, atque illinc non minori, quam antea in aliis Synodis contra Sanctissimæ Trinitatis Mysterium, & pro eodem dimicabatur, litigantium ardore defendebatur: verum rursus nihil omnino decisum est: nihilominus Lithuani Ministri ad suas Ecclesias reversi petulanter spargebant, quod Synodus damnato parvulorum

Sæcul. XVI. A.C.1565. baptismate declararit, illos, qui Baptismum recipere volunt, prius in fide instruendos esse; nonnulli autem Vilnenses Ministri, qui Baptismi necessitatem propugnabant, contra falsum hunc rumorem reclamarunt, ac mordaci, lividoque calamo Briescienſibus exprobarunt, quod pernicioſam fidelium infantes a Baptismo arcendi consuetudinem in Ecclesias introducere non abhorrerent. „Hi nullius frugis homines, in„quiebant Vilnenses in sua epistola, „præprimis ut suæ conscientiæ tran„quillitati consulerent, nonnisi adultos „Baptizari petebant, postquam vero suæ „nequitiæ abyssus abyssum invocaverat, „etiam in dubium vocabant, an ipsorum „Baptismus valeret, ubi palam profite„bantur, quod reipsa sacro fonte abluti „non essent: veniet autem tempus, in „quo divulgabunt, nec adultos esse „Baptizandos, eoquod omnes sint pe„nitus spirituales „ Præmissis hisce querelis in eadem epistola hortabantur Ministros Briescienses, ut infausta hæc Anabaptistarum deliria fugerent, & veræ Baptismi institutioni, atque Evangelio insisterent: demum eis pollicebantur, quod ipsos ab inquietis, & turbidis hisce viris liberare velint. Data est hæc epistola Vilnæ Anno Incarnationis Domi-

Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto. Sæcul. XVI. A.C 1565.

Brieſcienſes Miniſtri hiſce literis admodum offenſi eadem verborum acerbitate reſpondebant, ita eos alloquentes: „dicitis, quod doctrina infantum Baptismo contraria ſit peſtis, ac Reipublicæ „ruina, necnon Eccleſiarum Dei exitium: nos vero hoc dogma appellamus Apoſtolorum præceptum, & doctrinam, quam etiam ſequimur.„ Itaque hi finitis hiſce altercationibus adhuc magis pertinaciter ſuis inſiſtebant erroribus, ſuasque proles ſalutari unda ablui non permittebant: aliæ vero quædam Eccleſiæ, præcipue in Ruſſia, & Tranſylvania de errore circa parvulorum baptisma haud contenti inſuper etiam hoc Sacramentum appellabant idolum, illudque cum ſerpente æneo conferebant, addentes, quod hujus Baptismi neceſſitatem propugnantes imitentur illos, qui arcam Noe, Jeremiæ jugum, & joæ ſagittas quærunt: præterea ajebant, quod hic Baptismus, etſi in Eccleſiæ exordio neceſſarius, nunc tamen nullius ſit frugis, eoquod fidelium infantes ab Apoſtolis vocentur ſancti, & illis cum reipſa exiſterent ſancti, non ſine errore peccatum originale imputari poſſit: exinde autem inferebant, Baptismo illis collato

Sæcul. XVI. A. C. 1565.

nullam utilitatem afferri, eo vel maxime, cum illis, quibus in prima Ecclesia dabatur Baptismus, duntaxat ob peccatum originale fuerit collatus, eo fine, ut sancti fierent, & Dei, ac Christi Domini ejus Filii familiam augerent. His innixi principiis veterem Ecclesiæ usum circa Catechumenos observatum redintegrare nitebantur, ac sedulo illos, quos Baptismo abluere volebant, mysteriis fidei imbuebant, ita tamen, ut ipsi quicquid ratio, conscientia, ac propria utilitas inspiraret, agendi libertatem privatis relinquerent, hacque dissimulatione judicum inquisitionem fallere valerent, a quibus castigabantur, si eorum conversandi modus istis innotesceret.

§. LXV.

Valentini Gentilis historia continuata.

Hoc item anno iidem Anabaptistæ duos primarios suæ sectæ viros amittebant; præprimis enim periit Valentinus Gentilis, cujus supra meminimus. Hic in Synodo Pinczoviæ in Polonia Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo celebrata totam Arii doctrinam publice divulgabat: verum Regno excedere jubebatur juxta edictum Sigismundi Augusti, qui e Polonia

Melch. Adam in vita Calvini Sand in Bibl. Antitrin. p. 26.

lonia omnes exteros ſanctiſſimæ Trinitatis dogma impugnantes expulit: itaque Valentinus Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto Polonia relicta in Moraviam venit, ubi haud diu morabatur, inde vero in Auſtriam delatus ibidem comperto Calvini obitu in Sabaudiam contendit, ibique ſuos ſpargens errores toties diſputationem inſtituit, quoties offenderat aliquos, qui cum eo in arenam deſcendere audebant. Tandem ad Geſiarum ditionem perveniens a Prætore capiebatur, omnibus ſuis ſcriptis, ac ſuppellectili, aliisque rebus ſpoliatus; hac enim ſeveritate idem Prætor a ſe amoliri nitebatur ſiniſtram opinionem, qua ejus fidei integritas circa Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium, vel nimia illius cum Gentili familiaritas apud Bernenſes ſuſpecta habebatur. De cetero inter reliquos Gentilis libros reperiebatur ſcriptum quoddam, in quo totam concipiebat ſeriem cuiusdam diſputationis publicæ, quam vel a Bernenſi, vel a Geſiano Magiſtratu petere intenderat, atque unice eo intentus erat, ut tum omnes Miniſtros, necnon Eccleſiaſticos Helvetiarum Tribuum Calvini doctrinæ addictarum Senatus ignominia repleret, ea conditione, ut ille, qui ſententiam ſuam ex puro Dei Verbo demonſtrare

Sæc. XVI. A.C. 1565.

Sæcul XVI. A.C 1565.

non posset, mortis pœna plecteretur tanquam Impostor, falsæque Religionis Defensor: si vero quispiam hanc provocationem acceptare renueret, tum Prætor, urbisque Senatus pronuntiaret, quod Valentinus pie, & orthodoxe de Deo altissimo, ejusque Filio Christo Domino sentiret.

§. LXVI.

Valentinus instructis judicii actis capite plexus.

Sand. l. c pag. 27. Aretius hist. de la condemn. de Gentilis.

Hoc ipsum ejusmodi disputationis consilium tenebat præcipuum locum inter accusationum capita adversus Valentinum instructa: quippe ab illo temporis momento passim credebatur, quod infelix hic homo insuperhabita juramenti Religione, ac tot ærumnis ob errorum suorum defensionem toleratis, nihilominus a Catholica Religione plurimum alienus sit: itaque ejus caussa ad Bernensem Senatum devolvitur, ubi comparet Valentinus, atque ex propria oris confessione comprobatur, quod pertinaciter violato priori suo juramento Sanctissimæ Triadis Mysterium impugnaverit: ergo tanquam impius, & perjurus condemnatur, ut abscisso capite debitas perfidiæ suæ pœnas lueret. Hæc etiam sententia die nona Septembris Anno

Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, vel juxta Sandium sexto executioni mandatur: cum vero ad supplicii locum traheretur, incredibili cum impietate jactitare audiebatur, quod Apostoli, sanctique Martyres duntaxat pro gloria Christi, qui nonnisi filius adoptivus Patris æterni erat, mortem subierint, ipse vero primus esset, qui pro honore Patris sanguinem suum profunderet. Sæcul XVI. A.C. 1565.

§. LXVII.
Hujus Hæretici opera.

Pauca scripsit Gentilis, exstat tamen. *Sandius* I. Ejus confessio Genevensibus Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo tradita, necnon alia eodem anno ab eodem directa, quarum utraque in actis Valentini Gentilis Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo septimo in forma minori impressis habetur. II. Ejusdem confessio circa SS. Trinitatem, cui addita est præfatio sub nomine Theophili Typographi Ecclesiæ Filiis inscripta, porro hic liber prodiit Lugduni, quamvis titulus Antverpiam præsefe-rat. III. Illius Antidota nondum typis impressa. IV. Liber proprio Gentilis chirographo exarratus, ac Sigismundo Augusto Poloniæ Regi nuncupatus unacum prolixa admodum præfatione ad *p.* 26. & 27.

Sæcul. XVI. A. C. 1564

eundem: in quo opere tota hujus hæretici doctrina continetur, fatetur tamen, quod Blandratus illam magis sigillatim expoſuerit: inſuper poſt Præfationem recenſet ſuas fidei confeſſiones Genevenſibus porrectas: cum autem hi poſtremam hanc confeſſionem confutaſſent, Gentilis horum elucubrationi antidotorum libellum oppoſuit, quem Lugduni conſcribebat, atque in eo caput tertium primi libri de inſtitutionibus Calvini refellebat, jactabunde gloriatus, quod omnium Chriſtianorum opiniones circa Trinitatem penitus everterit. Huic libello addidit propoſitiones ex quindecim ſancti Auguſtini libris de Trinitate deſumptas, ubi contra eundem ſanctum Doctorem in millena convitia effunditur. Ibidem quoque reperiuntur ejusdem collectiones in ſacras literas, Patres, & Alcoranum, ex quibus ſuam ſententiam ſtabilire nititur: ad calcem vero hujus libri appoſuit adnotationes ſuas in ſanctum Athanaſium; inſuper ſcripſit Gentilis carmina contra Trinitatem, præter libellum quemdam Italo ſermone conſcriptum, qui haud abſimilis eſt alteri cuidam opuſculo latino de Incarnatione Chriſti Domini confecto.

§. LXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1565.

§. LXVIII.

Historia Matthæi Gribaldi alterius Anabaptistæ.

Alter celebris Antitrinitariorum fautor erat Matthæus Gribaldus Servetо, & Valentino Gentili arctæ amicitiæ vinculo junctus, cujus obitus ad hunc annum, aut saltem ad sequentem revocatur. Hic Papiæ natus ibidem doctrinæ laude inclaruit, atque inter celebriores ævi sui Jurisconsultos numerabatur: verum abjurata Religione Catholica novis erroribus infectus ex illis quadraginta unus erat, qui Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo sexto Vicentiæ Mysterium Sanctissimæ Triadis impugnabant: cum autem eorum conventicula prohiberentur, relicta Italia Genevam secessit, ubi quosdam Italos eo profugos, quibus jam olim jurisprudentiam tradiderat, ibidem reperit. Hi summa lætitia affecti, quod ipsorum Magister jam publice adulterinam reformationem profiteretur, eundem ad Calvinum deducebant, ut is hunc transfugam recipere velit: cum autem Calvino jam antea compertum esset, quod Gribaldus Vicentino conciliabulo interfuisset hinc illum ad suam sectam admittere renuit, nisi prius ex propria ejus confessio-

Beza in vita Calvini Sandius pag 17.

Sæcul. XVI A. C. 1565

fessione certus esset, quod ipse Deum in Personis trinum profiteretur. Id quoque pollicitus est Gribaldus: ast inita societate cum Blandrato, Alciato, Gentili, aliisque nonnullis ejusdem furfuris hominibus, Antitrinitariorum hæresin eodem cum Serveto, Ockino, & Lælio Socino ardore propugnabat: quamprimum vero Calvinus, qui Gribaldum plurimi habebat, rem comperat, mox toto studio illum ab hac secta avertere nitebatur, sed oleum, operamque perdidit; Gribaldus enim pertinaciter suis erroribus insistebat: cum autem in carceres conjici pertimesceret, Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo secundo relicta Geneva Blandratum, Alciatum, & Gentilem in Polonia convenit, sed nec ibi diu moratus inde recessit, ac Tubingam venit, ubi Pauli Vergerii potentia, & artibus suffultus jurisprudentiam publice tradidit, suas tamen opiniones data opportunitate disseminavit: postquam tamen Calvinum hæc rescivisse intellexerat, veritus, ne in eum judicii acta intentarentur, relicta Tubingana Schola Bernam contendit, ubi tamen comprehensus custodiæ mandabatur; simulata autem errorum suorum palinodia e carcere dimissus est, ubi paulopost rursus suas blasphemias spargere

gere incipiebat, atque illis, qui in omnem impietatem effusi erant, palam favit: unde Calvinus tanto furore accendebatur, ut eum pari mortis sententia, ac olim Servetum, e medio tollere decerneret: verum ipsemet morte præventus suum consilium exequi præpediebatur: exiguo tamen tempore Gribaldus post hujus hæresiarchæ obitum vita superstes fuit. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

§. LXIX.

Gribaldi errores, & opera.

Accusabatur Gribaldus, quod sequentes tradiderit errores. I. Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus inter se tam perfecte sunt subordinati, ut Pater sit solus magnus Deus, omniumque rerum Auctor. II. Tota notio Divinitatis, necnon Filii, & Spiritus sancti, ac cujuscunque alterius Spiritus cæleſtis in Patre reperitur, ac refertur ad hunc unicum Deum Patrem, qui originem non habet, ac per semetipsum Deus est, quem ceteri veluti unicum fontem suum, & totius essentiæ, ac divinitatis suæ caput respiciunt. III. Dantur tres Spiritus cœlestes, atque æterni, nec invicem confusi, sed numero, & dignitate distincti. IV. Magnus ille Deus nullam habet personalitatem, & sicut animal non potest appellari Per- *Sandius Bibl. Antitrin. p. 18.*

Sæcul. XVI A. C. 1565.

Persona, ita nec Deus nominari valet Persona. V. Trinitas, qualis creditur in Ecclesia Romana, merum figmentum est. VI. Ecclesia semper Deum Patrem, verumque Deum per Christum Dominum, nunquam vero Christum tanquam Deum invocavit. Præter hosce errores adhuc plurimi passim reperiuntur in ejus libris, qui sunt sequentes. I. Tres libri *de Methodo, & ratione studendi in jure*, Lugduni Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, & quinquagesimo sexto editi. II. Commentarii in Pandectas Juris itidem Lugduni impressi III. *Commentarius in legem de rerum mistura, & jure fisci* in Italia vulgatus. IV. Historia Franciſci Spinæ juxta res a se visas, & auditas concinata, ac Basileensibus literis Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo excusa: porro hic idem Gribaldus inter ejusdem Franciſci domesticos numerabatur anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo octavo. V. *Jurisconsulti hodierni in quolibet Disticho comprehensi*, qui liber Basileæ quadrantibus foliis editus est. VI. Commentarii in quasdam præcipuas Digestorum, & Codicis Justiniani leges Francofordiæ sumptibus Conradi Offenbachi unacum ejusdem adnotationibus

in

in forma majori impreſſi. VII. Scriptum quoddam, in quo Gribaldus affirmat, quod tres Spiritus æternos non confuſos, ſed gradu, & numero diſtinctos pie credat, ac taliter Deum Filium, & Deum Spiritum ſanctum uni ſupremo Deo Patri, omniumque eorum Auctori ſubjiciat, ut tota Divinitatis, & Filii, ac Spiritus ſancti, aliorumque ſpirituum cæleſtium ratio omni jure referatur ad hunc ſolum, & unicum Deum, tanquam ad unicam originem, & totius eſſentiæ, ac Divinitatis caput. Sæcul. XVI. A. C. 1565.

§. LXX.

Hiſtoria vitæ Pii V. ante ejus Pontificatum.

Jam antea recenſuimus electionem Pii IV., qui Michael Ghislerius dictus Pauli Ghislerii, & Dominicæ Augeriæ filius Boſchi, ſeu Boſci, quod exiguum Liguriæ, ſeu Genuenſis ditionis oppidum Alexandria Statellorum nonniſi duobus leucis diſſitum eſt, Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quarto die decima ſeptima Januarii primam lucem aſpexit: cum autem Parentes ejus exiguis facultatibus prædıti eſſent, filium ſuum opificio, unde victum ſibi quæreret, addicere meditabantur: verum longe aliud erat Divinæ mentis conſilium, quo decretum, ut incæpto ſtudiorum

Ducheſne hiſt. des Papes p. 425. & ſuiv. Papyr. Maſſ. vita Pii V. Gazzec & Louvet de Viris Illuſtr. Ordin. Prædic.

Sæcul XVI A.C. 1565.

diorum curriculo Ordinem ſancti Dominici ingrederetur nondum expleto decimo quinto ætatis ſuæ anno: itaque apud ſtrictioris obſervantiæ Dominicanos in vico Ireæ, quæ hodie Vogeria dicitur, ſolemni ſponſione ſeſe Deo ſacrabat, ac brevi meritorum ſuffragio ad prima Ordinis ſui ſubſellia evehebatur: inſuper cum præceteris tam in inſtituti ſui exercitiis quam Divino obſequio aſſiduus eſſet, & tam ſolitudinis amore, quam ſilentio, paupertate, & mortificatione, necnon ſincera humilitate, ac ferventi Religionis ſtudio contra ævi ſui hæreticos plurimum ſe commendaret, pro Novocomienſi, Mediolanenſi, & Longobardica ditione fidei Inquiſitor nominabatur: cum autem in hiſce Provinciis ſacræ Inquiſitionis tribunal pluribus valde exoſum eſſet, hinc gravibus obnoxius vexationibus non raro vitæ ſuæ periculum ſubibat, ac ſæpius cum præfatæ urbis Religioſis, qui Gonzagæ Mediolanenſis Gubernatoris patrocinio ſuffulti erant, conflictari cogebatur: nihilominus ſuo Religionis Zelo, ac ſermonum efficacia uberrimos fructus præcipue Vallis-Telinæ, & in Clavennanenſi Comitatu reportabat, ubi Helvetii magis vicinii hæreſis ſuæ venenum propagare nitebantur. Porro cum nominis ejus

ejus fama longe, lateque sese diffunderet, Bergamum Venetæ ditionis Urbem mittebatur, ubi in Georgium Medolacum, qui antea Inquisitioni præerat, inquirere jussus Victorem Soranzum ejusdem Urbis Episcopum in jus vocabat, quamvis Nicolaus de Ponte tum hujus civitatis Gubernator, ac postea Venetus Dux nomine Senatus hanc jurisdictionem eluderet, ac Ghislerium urbe excedere juberet. Sæcul. XVI. A.C. 1565.

Postea ob copiosos, quos collegerat, fidei fructus Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Commissarius Generalis sacræ Inquisitionis, & quarto post anno Vicarius Inquisitoris Generalis creabatur: demum vero Cardinalis Caraffa postea sub Pauli IV. nomine summus Pontifex, cui Ghislerii merita satis perspecta erant, eundem invitum licet, Nepesinum, & Sutrinum in Etruria Episcopum, quæ ambæ Sedes erant unitæ, renuntiabat, sexto autem post Mense Ghislerius creabatur Cardinalis, ac per universum Christianum Orbem Generalis Inquisitoris munere auctus titulum Cardinalis Alexandrini assumere cogebatur, eoquod in Alexandrina Statellorum ditione natus esset, equidem ad illa usque tempora supremi Inquisitoris munus per Universam Ec-

Sæcul. XVI. A. C. 1566

clesiam summi Pontifices sibi reservaverant, Paulus tamen quartus Papa cognito hujus Cardinalis merito hanc dignitatem eidem in pleno Purpuratorum Senatu cum ingenti solemnitate contulit, eique omnes ceteros Inquisitores, eorumque Delegatos subjecit, nequidem exceptis iis Episcopis, quibus idem munus erat demandatum; ad id vero Pontifex adigebatur, eo quod potestas, quam in variæ conditionis homines exercere oportuit, per Inquisitorum numerum vehementer labefactata esset, ac ipsemet propriæ experientiæ testimonio compertum haberet, quod non raro cuncta ab aliis prudenter, & severe præstita nonnulli sub intempestivæ lenitatis obtentu everterint: verum Pontifices Pauli IV. Successores, cum tam amplæ dignitatis potestatem ab auctoritate Pontificia sejunctam pertimescerent, eandem sicut antea, sibi solis reservabant, atque Inquisitionis curam committebant cuidam Cardinalium Congregationi, quæ hanc in rem erigebatur juxta statuta a Paulo III. olim desuper stabilita. Ceterum Ghislerius a Pio IV. Pauli IV. Successore, a quo plurimi habitus est, præprimis in generalis Inquisitoris munere confirmatus & a suo Episcopatu ad Montis Regalis in Pedemontana Provincia Eccle-

Ecclesiam transferebatur, ubi plurimos labores ob tumultus tam per bella, quam hæreses in hac Diæcesi suscitatos in se suscipere cogebatur: anno autem Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo tertio Romam redire jussus ibidem sancti Officii Congregationibus præerat: ubi eadem uti volebat severitate, quam sub Paulo IV. qui Inquisitioni favebat, adhibuit: verum Pius IV. cum hanc agendi rationem nimis austeram crederet, Ghislerium ex ædibus Vaticanis dimisit, ac nonnihil auctoritatem huic muneri annexam imminuit, Ghislerius cum aliquando a nonnullis moneretur, quod tunc, si tam diversos & alienos de Pontifice sensus conciperet, sibi caveret, ne Hadrianæ molis arci includeretur, istis ipse reposuit; *mihi*, inquit, *locus nunquam deerit, in sacrum ordinem meum redeundi, quoties ob testificationem veritatis in hoc sacro Collegio permanere, ac præ justitiæ defensione palam mentem meam promere non potero.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. LXXI.

Caraffæ ab eodem pristinis honoribus, ac dignitatibus restituti.

Denique Ghislerius, postquam in summum Pontificem electus, atque inauguratus erat, primas eo curas intendit,

Thuan. l. 39. hoc ann. Ciacon. t. 3. pag. 992.

Sæcul. XVI. A C. 1566.

dit, ut Cardinalis Caroli Caraffæ, ejusque Fratris Palliani Ducis cauſſa rurſus examinaretur, atque hujus ſententiæ æquitas diſcuteretur, nec inanis erat hæc ſollicitudo; plures enim illorum, qui huic judicio intererant, ac contra eos pronuntiaverant, hanc ſententiam in gratiam prioris Papæ ſe tuliſſe dixerunt, eamque retractarunt, profeſſi, juſtitiæ leges minus obſervatas, hinc Pius V. illorum teſtimonio fretus Caraffas famæ, titulis, & dignitatibus reſtitui voluit.

Spond. hoc ann. n. 4.

§. LXXII.

Pontificis ſtudium in hæreticis inquirendis, ac plectendis.

Thu. l. 39. Spond. n. 4.

Illud ipſum æquitatis ſtudium, quod neo-electus hic Pontifex hac in occaſione exerebat, haud minori erga Religionem zelo teſtatum reddidit, dum in eos, qui opiniones de fide ſuſpectas fovebant, ſedulo inquiri, ac quotquot poterat, ad ſe Romam tranſmitti juberet: præprimis vero Julium Zannetum, qui Patavii domicilium contraxerat, ob eam cauſſam a Senatu Veneto tradi impetrabat, qui etiam Romæ damnatus ignis ſupplicio affectus eſt. Eodem tempore Magiſtrum ſacri palatii Florentiam miſit, qui Petrum Carneſecum arctiſſima cum Medicæis neceſſitudine con-

conjunctum, & Margaritæ Sabaudiæ Ducis uxori diu familiarem sibi consignari postularet. Magister hic, cum Pontificis literas Cosmæ Duci porrigeret, Petrum istius mensæ assidentem invenit, nihilominus Cosmas, qui gratiam Pontificis obvio obsequio, & quavis alia ratione demereri in animum induxerat, ac Pii V. severiorem indolem reformidabat, neglecto amici periculo, eum sine ulla cunctatione tradidit, qui Romam perductus, atque accusante eum Achille Statio Lusitano convictus est, quod cum sectariis in Germania, & in Italia cum Victoria Columna Marchionis Piscarii vidua, necnon cum Julia Gonzaga nobilissimis feminis, sed de pravitate sectaria suspectis amicitiam coluisset, ideo tandem ad ignem damnatus est, nec minus postea Aonius Palcarius, cujus eruditionem singularem scripta ipsius testantur, eadem pœna affectus est Romæ, cum convictus esset, quod Inquisitionem esse sicam in literatos districtam dixisset, atque indignum in modum contra sacrum hoc tribunal declamasset. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. LXXIII.

Ejusdem Constitutiones contra lupanaria Romana.

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Pariter idem Pontifex plures, easque admodum severas leges promulgabat contra lupanaria, ac meretrices, quas ex urbe quamprimum excedere, aut nubere, & si non parerent, publice flagellis cædi jussit: cum vero moneretur a nonnullis Proceribus, quod majoris mali periculum esset pertimescendum, præcepit, ut hæ mulieres lupanari includerentur, nec, ut prius, libere per totam urbem interdiu, noctuve vagari permitterentur. Hoc edicto sperabat, fore, ut pudore utrinque incusso, & illæ mulieres sceleratæ vitæ renuntiaturæ, & viri infamiam veriti ad ea prostibula non ituri essent. Insuper statuit Pontifex, ut illæ, quæ in meretricia professione morerentur, in sterquilinio defossæ Sacramentis, ac sepultura Ecclesiastica privarentur: equidem interceſſit ab initio urbis Senatus a sacro Ordine, qui palam non audebat, clam instigatus, qui hoc decreto hospitiorum pretia vilescere, & ad nihilum redigi, libertatemque antiquam tolli caussabatur: nihilominus in proposito mansit Pontifex, cum autem rursus instaret Senatus, subirato vultu interminatus est, nisi castigationem admitterent, se Urbe migraturum, & alibi Sedem Romanam translaturum.

§. LXXIV.

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

§. LXXIV.

Alia decreta pro Pontificio Palatio, & Cardinalibus.

Insuper rem domesticam ita instruebat Pontifex, ut magis vitæ ad prudentiæ, & sanctitatis regulas compositæ rationem haberet, magisque suorum Ministrorum probitatem, quam numerum, & mundanam eorum astutiam respiceret: unde, ut eorum quivis suum nomen, munus, & beneficia indicaret, petiit, & Sacerdotibus injunxit, ut quilibet saltem tribus in hebdomade vicibus sacris operaretur, ceteri autem Diaconi, vel Subdiaconi singulis quindecim diebus sacra Synaxi se reficerent: abs dubio enim Pontifex in illis eam animæ puritatem, ac pietatem supponebat, quam ad tantum Sacramentum digne recipiendum præmittere oportet: insuper illis, qui in Ecclesia quadam dignitate fulgebant, aut beneficia Ecclesiastica possidebant, præcepit, ut Tonsura initiati sint, atque a sericis vestibus abstineant: præterea eos ad assiduam Sanctorum Patrum lectionem hortabatur, hancque in rem pro Clericis qualibet septimana Theologiam tribus vicibus tradi mandavit, atque illi, cui hanc curam imponebat, injunxit, ut hoc decretum exacte in usum

Ciacon. l. c. Gabatius in vita Pii V. l. 1. c. 1.

Sæcul. XVI. A.C 1566.

deduci sedulo curaret. Pontifex hanc reformationem in suo Palatio inchoasse haud contentus insuper Cardinales monuit, ut restricto famulorum numero ab omni fastu abhorrerent, vitamque sobriam, ac frugalem ducerent: ideo abrogabat etiam consuetudinem tubis insonandi, quoties Papa, & Cardinales sacrum Senatum ingrederentur: ad hæc suos consanguineos Roma excedere jussit, exceptis duobus suis Nepotibus, quorum unus in Collegio Germanico studiis vacabat, alter vero penes ipsum erat ad Cardinalatum promovendus: præterea permittebat, ut Cardinales, qui æs alienum solvere renuerent, ad id sicut ceteri legum severitate compellerentur, proscriptis etiam eorum bonis, ac suppellectili.

§. LXXV.

Variæ ejusdem Pontificis Constitutiones.

Denique innovabat legem, qua Innocentius III. Medicis præcepit, ut ægrotos post diem tertium non inviserent, nisi hi Christiano more conscientiam expiassent: præterea quibuscunque Presbyteris, tam græcis, præcipue conjugatis, quam latinis prohibuit, ne ritu alieno sacra vel alia Officia divina per-

peragerent, sed latinus Ecclesiæ latinæ ritibus, græcus vero græcis ceremoniis uteretur. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Id tamen nonnisi de Missis solemnioribus intelligendum censemus. Idem quoque Pontifex pro imbuenda juventute Catechismum latino, Gallico, Germanico,, & Polonico idiomate edidit, simulque typis imprimi jussit Breviaria, & Missalia ingenti solertia, & sumptibus correcta: prohibuit pariter Taurorum spectacula tanquam Christianæ pietati aliena: disciplinam vero monasticam, cujus in multis monasteriis vix ullum vestigium supererat, restaurare toto studio nitebatur, ac Monachos apostatas, & vagabundos anathemate plectebat, Ordinum Generalibus injungens, ut sedulo in dyscolos inquirerent, eosque, si possent, ad salutis semitam reducerent: ablegabat insuper per universam Italiam quosdam Visitatores, qui indagarent, an Episcopatus, Collegia, & Monasteria rite administrarentur, ac desuper hi id Papæ referre jubebantur, quamvis enim Papa ætate multum profectus esset, nihilominus ipsemet omnia, quæ bonum regimen, & disciplinæ restaurationem concernebant, percipere, videre, ac cognoscere voluit. *Pii V. Const. 3. Bull. rec. edit. Const. 12 Ciacon. l. c. Part. 2. Bull. 8. Mart. 1566.*

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

§. LXXVI.

Diversum Romæ judicium de hisce sanctionibus.

Thuan. l. 39. Verum non æque omnibus Romanis tot Constitutiones arridebant; eorum equidem nonnulli Papæ studium deprædicabant, alii vero eundem immoderati zeli arguebant: nec deerant nonnulli, qui hasce leges Pastorali officio, aut saltem Principis dignitati supremo Pontificatui annexæ contrarias esse spargerent, perinde acsi virtus, recta status administratio, atque ordinata disciplina non quamlibet hominum conditionem deceret, vel cum humanis dignitatibus conjungi haud posset: equidem Pontifex Pius V. de hisce variis sermonibus edocebatur, nihil tamen de suo zelo remittens respondit: *Fidamus in Deo, quo auctore, ita nos geramus, ut gravior Romanis nostræ mortis, quam electionis sit mæror.*

§. LXXVII.

Quidam Judæus a Pio V. ad Christi fidem conversus.

Prateolus in Annal Eccl. Victor II. apud Ciac. tom. 3. p. 997. Hoc item anno feria tertia Pentecostes Pontifex Judæum oppido divitem nomine Eliam, antea Rabbinum, seu sectæ suæ Doctorem sacro lavacro abluit. Ferunt, quod Pius V. adhuc Cardi-

Cardinalis sæpius eundem ad amplectendam veram Religionem hortatus fuerit, Judæus vero sæpius repoſuerit, ſe Judaicam ſuperſtitionem abjuraturum, ſi Michael Ghislerius ad ſupremum Pontificatum ſit evehendus: poſtquam igitur hic idem ſub Pii V. nomine Sancti Petri cathedram conſcenderat, Judæum ad datæ fidei ſuæ executionem provocabat, cum ergo ipſamet Dei gratia Eliæ cor penetraret, ideo id, quod ore promiſit, opere executus eſt, moxque ſacro fonte tingi petens præſentibus Cardinalibus, ac pene innumera populi multitudine Baptiſmum recepit, imo unacum eo ipſius quoque uxor, tresque ejus liberi, ac ſuorum Nepotum unus pariter luſtrali aqua Chriſtiano gregi fuere aggregati: porro Eliæ dabatur nomen Michaelis, ipſe autem Deus hujus Rabbini exemplo ad plures alios ad veram fidem adducendos utebatur, inter quos etiam hujus ſectæ doctiſſimi unacum illo abjurata judaicæ ſuperſtitionis falſitate ſeſe jugo Chriſti Domini mancipabant: Pius vero Pontifex hujus Neophyti familiam amplis privilegiis auxit, atque ex ejusdem prolibus unam adoptavit, inſuper ut ceterorum Judæorum converſio facilior redderetur, domum erexit, in qua illi

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Sæcul XVI. A.C. 1566.

illi fidei rudimentis imbui, ac Catechumeni enutriri possent.

§. LXXVIII.

Chios, seu Scio Insula a Turcis occupata.

Chalcond. hist des Turcs tom. 1. l. 14. p 66. Thu. l. 39. Bosius hist. Jerosol. l. 36.

Die decima quarta Aprilis Turcæ Chios insulam occuparunt, quæ ab anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo sexto sub Genuensium ditione erat: equidem victores nonnisi præcipuam deprædabantur Ecclesiam Deo sacratam sub invocatione Sancti Petri, imo cuilibet vitæ gratiam fecerunt, eoquod nullus eorum furori resisteret, multas tamen alias impietates perpetrabant, ac præprimis cum Templum Divi Petri spoliarent, Turcarum quidam *ciborium*, ut vocant, in quo plures SS. Hostiæ reconditæ erant, profanis manibus contrectabat, & Præsulem loci rogabat, num hic Christianorum Deus, & illa suæ fidei mysteria essent, id cum Episcopus affirmaret, mox Turca ciborium in terram cum summo furore projicit, ad quam impietatem præsul incredibili dolore perculsus, statim flexis genibus projecta colligebat, inquiens: me prius, oro interfice, quam hæc SS. Mysteria pedibus conculcari videam, unde commotus est vehementi Præsulis affectu barbarus,

barus, & ultro ab injuria abſtinuit, eo- Sæcul. XVI.
que abeunte Sacerdos flexis genibus A.C.1566.
minimas etiam particulas, quas reperire poterat, ſedulo collegit: Eccleſia vero Divi Petri penitus fuit diruta, necnon cetera omnia templa ſolo æquata fuere, excepta Sancti Dominici Eccleſia, quam Turcæ ſuis ritibus initiabantur: inſuper abrogato Chienſi Senatu omnem auctoritatem in quemdam Judicem Turcicum transferebant, ac poſtea ex Juſtiniani familia unum, aliosque viginti pueros, circiter decennes ex alacrioribus, & magis vividis Conſtantinopolim abduxerunt, atque inter Solimanni ephebos enutriendos retinuerunt, & vi circumciderunt, nullus tamen eorum in tenera illa ætate induci potuit ad fidem abnegandam: unde virgis diriſſime cæſi, pene omnes tormentorum vi interierunt. Denique ipſius Præſidis, ac duodecim Senatorum familiæ cum aliis primariis Conſtantinopolim quinque navigiis mittebantur & inde in varias regiones deportabantur.

§. LXXIX.

Comitia a Cæſare Auguſtæ celebrata.

Imperator hiſce Turcarum progreſſibus perterritus die vigeſima ſexta Martii ordinum Imperii comitia Auguſtæ *Thu. l. c. Heiſſ. hiſt. de l' Emp. t. 1. p. 416. & ſuiv.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

ſtæ celebranda indicit, ubi ad propulſandos communis hoſtis impetus conſultaretur: ideo etiam illinc ablegabat Pius V. Cardinalem Commendonum, cui diſertis verbis injunctum, ut is, ſi Religionis negotium in comitiis diſcuteretur, Pontificis nomine publice reclamaret, & Pontificem in cunctos, qui aderant, tam ſæculares, quam eccleſiaſticos Principes divinæ cenſuræ gladium diſtricturum interminaretur, in Cæſarem inprimis, quem & imperio, ac regnis, & ditionibus, ſucceſſionibus, & juribus, quæ in Hiſpaniæ regnis ei competebant, privaturus eſſet.

§. LXXX.

Commendonus Cardinalis ad comitia Auguſtana delatus.

Gratiani in vita Commend. l. 3. c. 2.

Poſtquam Commendonus Auguſtam pervenerat, mox ab Othone Truchſeſio Epiſcopo Auguſtano rubrum galerum ei a Papa ſubmiſſum recepit. Celebrabatur hæc ſolemnitas ſub ſacro, cui Bavariæ Dux, ejusque conjux Duciſſa, necnon plures alii Proceres intererant. Poſtea Legatus exploratis Principum animis, quamvis Pontificis juſſa juxta opinionem ſuam nimis ſevera exequi haud intenderet, quoddam tamen medium invenire ſtatuit, cujus beneficio Religionis negotia in comitiis diſcuti

cuti præpediret: cum vero aliquamdiu secum deliberasset, nil magis opportunum ei occurrebat, nisi ut omnes Catholicos, qui Augustam confluxerant, ad suas ædes convocaret: itaque Princípes, ac Cardinalis Otho Truchsesius Augustanus Antistes, & Marcus Althempsius Episcopus Constantiensis, tres Archiepiscopi Electores, Albertus Bavariæ Dux, Guilielmus Cleviensis, & Henricus Brunsvicensis Dux, unacum pluribus urbium Imperialium, necnon absentium Episcoporum Deputatis conveniunt, quos unaomnes Legatus hortabatur, ut conservata inter se unione, ac pace Religionis honorem tuerentur, atque hæreticorum violentiis resisterent His dictis de Tridentina Synodo mentionem inspergebat, demonstrans, quod hoc concilio fidei nostræ mysteria non modo solide fuerint stabilita, sed etiam disciplinæ, morumque leges admodum clare, ac perspicue explicatæ, necnon exacte in articulos redactæ, atque ab omni cavillatione immunes propositæ fuerint; inde vero omni, quo poterat fervore, illos admonuit, ut hujus Synodi decreta reciperent, suosque mores juxta illius decisiones componerent, necnon hæreticos suæ rebellioni, ac discordiæ relinquerent, donec tandem assidua de secta

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

cta in sectam migrandi libidine fessi divinæ ultioni promeritas pertinaciæ suæ pœnas daturi essent.

§. LXXXI.

Archiepiscopi Moguntini responsum ad Legatum circa Synodum Tridentinam.

Gratian. l. c. Moguntinus Archiepiscopus omnium nomine respondens summo Pontifici, ac Legato ob utriusque sollicitudinem erga Germaniæ salutem gratias egit, simulque Commendono ita respondit: „Nos omnes cunctas Synodi „decisiones fidem, ac mysteriorum do„ctrinam concernentes absque ulla re„strictione recepturos interposita etiam „juramenti Religione pollicemur; cum „autem quædam disciplinæ capita, a „quibus eximi peroptamus, ibidem re„periantur, atque aliunde quædam sta„bilitæ sint consuetudines, quas abole„re prævalente morum licentia, ac dis„cordia neque tutum, nec consultum „est, hinc aliam temporis vicissitudinem „magis opportunam esse exspectandam „censemus, præcipue, cum Germaniæ „status, ususque tibimetipsi adeo probe „perspecti sint, ut nostras proposi„tiones a te benigne excipi speremus, „insuper rogamus, ut nostras rationes,

„apud

apud summum Pontificem tum quoque auctoritate fulcire coneris. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. LXXXI.

Pontificis mandata Legato tradita, ac Cæsari significanda.

Attamen Commendonus erat intentus exequi Pii V. mandata, quibus jubebatur Cæsarem monere, ne exemplum imitaretur Caroli V., qui dum se negotiis sacris immiscuit, confessionem Augustanam a Philippo Melanchtone conscriptam in comitiis proponi indulserat: præterea Commendonus tenebatur Cæsarem hortari, quatenus hic præprimis curet, ut Concilium nuper Tridenti celebratum ubique in Germania publicetur, ac recipiatur: si vero id in universæ Germaniæ Provinciis fieri non posset, saltem in civitatibus, quæ Majorum suorum Religionem retinent, promulgetur, præcipue Salisburgi, Constantiæ, Aichstadii, Augustæ, Frisingæ, Passavii, Brixiæ, ac Tridenti: cum vero Episcopi, quo minus Diœcesanas Synodos celebrare possent, exinde impedirentur, quod Metropolitani, a quibus initium fieri debuisset, nondum suas celebraverint Synodos, hinc Papa volebat agi cum Moguntino, ac ceteris Archiepiscopis, ut Concilium Tridentinum in Synodis suis recipiant, qua- *Tiu. l. 3. n. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

quatenus sic eorum exemplo Suffraganei in Diœcesi quisque sua illud recipiendum curent: insuper Papa jubebat moneri Colonienſem Archiepiſcopum, ut confeſſioni fidei juxta Concilium Tridentinum promulgatæ, in cujus verba per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Sarmatiam, Hungariam paſſim Epiſcopi, etiam in Germania plerique Antiſtites juraverunt, & ipſe ſubſcribat: ſi vero id facere detrectaret, cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjiciatur, & Septemvirali etiam dignitate ſpolietur: inſuper Papa præcipiebat, ut Cæſar provideret, ne Septemvir Saxo, quandocunque contigerit Magdeburgicum Archiepiſcopum nuper electum ſatis concedere, in eam totius Germaniæ Metropolim, ſedisque Primatum, uti jam in tres vicinos Epiſcopatus fecerat, manus injiciat. Eandem quoque de Argentinenſi epiſcopatu ſollicitudinem impendere monebatur Imperator, cui etiam injunctum, ut ſectariorum libros, quantum fieri poſſet, prohibere ſtudeat, cum eorum lectio ſemper fidelibus ſit ſumme pernicioſa, ex adverſo pios libellos a catholicis Scriptoribus elucubratos per omnes Provincias diſſeminari, ac præmia viris doctis a Præſulibus opulentis proponi, & ſeminaria ubique in civitatibus Epiſcopalibus juxta Concilii Tri-

Tridentini præceptum inſtitui ſatagat. Poſtremo Commendonus accepit in mandatis, ut cum Cæſare, ac reliquis Imperii Principibus ageret, quatenus Palatini Electoris audacia, cum aliam a confeſſione in comitiis recepta amplectatur, & non modo vicinos, ſed amplos ditionis ſuæ Præſules ubique diverſis vexationibus oppugnet, auctoritate Imperiali quantocius coerceatur. Saecul XVI. A C. 1566

§. LXXXIII.

Conventus Auguſtani exitus.

Ex hiſce mandatis id unice effectui dabatur, quo prohibitum, ne in comitiis de Religionis negotiis ſermo fieret: poſtquam enim Maximilianus cuncta negotia Imperium concernentia decidi procuraverat, Imperii Ordines ſollicitabat, ut exteris neceſſitatibus proſpicerent, ac ſpecialiter Turcis Hungariæ excidium minitantibus ſeſe opponendi mediis intenti eſſent: hinc Ordines Cæſari pollicebantur, quod ad quadraginta peditum, ac octo equitum millia per octo menſes alenda ſuppetias conferre vellent: cum autem in mora periculum eſſet, ideo Maximilianus congregatos dimiſit, ut adverſus communem hoſtem arma pararet, præcipue cum aliunde probe cognoſceret, quod reliqua negotia in comitiis diſcutienda

Sæcul XVI. A.C.1566.

tam levis essent momenti, ut copias conducere, armisque prompte instruere longe magis operæ pretium foret: igitur proxima die vigesima octava Novembris Viennæ Ordinum comitia habebantur, in quibus Cæsar Deputatis significabat, quod eis nil reliquum esset, nisi ut omni suppellectili vendita ex Imperii ditionibus emigrarent; satis enim compertum habebat Imperator, quod insuperhabitis suis sollicitationibus eorum, quæ petebat, nihil ab illis impetrare posset, nisi prius Augustanam confessionem profitendi libertatem eis indulgeret.

His peractis Viennensis conventus solvebatur, moxque Imperator in Bohemiam, & Hungariam ibidem suppetias contra Turcas collecturus contendit, ubi etiam admodum valida ex utroque regno auxilia contrahens, ardenter populos hortabatur, ne ab avita Religione discederent, sed potius Deo tanquam supremo suo Domino immota fide deservirent.

§. LXXXIV.

Pontificis Liberalitas erga Equites Melitenses.

Thu l. 39. Verthot hist. de Malthe. t. 4. p. 89. l. 13.

Supremus Melitensium equitum Magister Joannes de Valeta, cum in illa insulæ parte, ubi sancti Elmi, seu Hermetis

metis propugnaculum in nupera obsi- Sæcul. XVI.
dione a Turcis captum exurgebat, no- A. C. 1566.
vam urbem construere statuisset, ad summum Pontificem, Franciæ, Hispaniæ, & Lusitaniæ Reges, aliosque Italiæ Principes literas dedit, quibus exposuit, quod quidem Melitensem Insulam a Turcarum insultibus liberarit, necessitas tamen deposcat, ut iteratis eorumdem aggressionibus resistendo parem se redderet, si forte Barbari rursus Insulam aggredi tentarent: eapropter ad omnes hosce Principes novæ urbis delineationem a se factam transmisit. Commendabant omnes Magni Magistri fervorem, eidemque læto prorsus animo suppetias ferebant, ac quidem Pius V. Pontifex singulis mensibus mille aureos assignabat, donec propugnaculi ædificium ad certam altitudinem ascenderet, atque infidelium impetus sustinendo par esset. His suppetiis fretus Magister novæ urbis fundamenta jacere cæperat, hoc labore per duos ferme annos continuato, quo toto tempore Magister suis semper operariis assistebat, ac medius inter fabros lignarios, & Murarios prandium sumere, imo non raro Legatos excipere, jussaque dare cernebatur: porro hæc urbs ab ipsius Magistri nomine Vallettana civitas vocabatur Monti-Scabaræ im-

Sæcul XVI. A. C. 1566.

posita, eaque in suo ambitu Palatium, armamentarium, valetudinarium, Ecclesiam Prioratus ad Sanctum Joannem, necnon hospitia, seu Nationum diversoria complectitur præter propugnaculum sancti Elmi, quod in extima hujus urbis parte constructum ad mare protenditur, atque utriusque portus aditum tuetur.

§. LXXXV.

Confessio Augustana Magdeburgi acceptata.

Thuan. l. 38. n. 8.

Quantumvis summus Pontifex veram religionem conservare immoto studio niteretur, non tamen errorum progressus in Germania, minus in Saxonia Episcoporum opera sisti poterat, quippe Sigismundus quoque Brandeburgicus Joachimi II. Electoris Filius, postquam per quatuordecim annos Magdeburgensi Ecclesiæ Archiepiscopus præerat, Protestantium sectæ nomen dabat: morte tamen plectebatur eodem tempore, quo novos Ecclesiasticæ disciplinæ ritus invehere meditabatur: eo autem defuncto, cum Canonici pariter novitatum studiosi essent, electione facta subrogarunt Joachimum Fridericum tum unicum Joannis Georgii Brandeburgici Electoris Filium, qui recens electus Archiepiscopus ex Canonicorum consilio inchoatam a Patruo suo doctri-

næ,

næ, ac disciplinæ mutationem ad exitum perduxit, & Magdeburgi in primario civitatis templo primum pastorem Augustanæ Confessionis Sigifridum Northusanum instituit. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Postea Rottemburgum exigua inferioris Saxoniæ Urbs pariter ejurata Pontificis obedientia Augustanam confessionem adoptabat, & Christophorus Megalopolitanus, Halberstadiensis Episcopus, cujus imperio subditi erant Rottemburgenses, ibidem instituit Georgium Uselerum, qui Lutheri sectam ibidem disseminaret: equidem huic temeritati sese opponebant Halberstadienses, qui etiam, ut avitam Religionem sartam servarent, Henricum Julium Henrici Brunsvicensis Ducis Nepotem nonnisi biennem elegerunt, qui tamen ipsemet progressu temporis Protestantium hæresin amplectebatur.

§. LXXXVI.

Monasterienſis Episcopus Canonicis ob concubinarum ejectionem exosus.

Sub idem ferme tempus Bernardus Rasfeldius Monasterienſis Episcopus, cum a summo Pontifice mandatum de concubinis removendis accepisset, illudque in Diæcesis suæ Synodo promul- *Thuan. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

mulgari jussisset, ferme omnes Canonicos, qui hæc prostibula palam tuebantur, in se vehementer concitabat: cum autem Præsul esset prudentia, ac morum integritate celeberrimus, vitamque suam semper in summa probitate transegisset, hinc licentiosam suorum vitam pertœsus ultro die vigesima quinta Octobris hoc anno Episcopatu suo cessit, maluitque vitam in securitate privatam, atque obscuram, quam cum salutis periculo splendidam ducere: porro eidem subrogabatur Joannes Hoja jam olim Episcopus Osnabrugensis, & antea Cameræ Imperialis Præses, vir illustri generis splendore, morum comitate, eruditione, ac munificentia cum paucis comparandus, qui omni denique commendatione dignus fuisset, nisi ex contagiosa Sodalium societate intermissis prioris vitæ exercitiis statum mutasset, & pristinam famam, ac præclaras animi dotes dispari vitæ exitu obscurasset.

§. LXXXVII.

Franciæ Rex Mulinum profectus.

Thuan. l. 38. & 39. Bec car. comm. l. 30. n. 35. hoc ann.

Interea Carolus IX. Galliarum Rex, postquam aliquamdiu Blæsis hiemasset, Bajonam reversus Mense Januario Mulinum Borbonici agri urbem contendit. Advenerant etiam juxta Regis manda-

mandata die eis præstituta Parisiensis, Tolosani, Burdigalensis, Gratianopolitani, Divionensis, & Aquensis Senatus primi Præsides: nec minus ibi aderant Henricus Andegavensis Dux, Carolus Borbonius Cardinalis, Ludovicus Condæus princeps, Montpensierius Dux, Delphinus ejus frater, Carolus, & Ludovicus Lotharingii, & Guisii Cardinales, Nemorsii, Longavillæ, & Nivernii Duces, Annas Montmorentius Connestabilis, & cum eo Odetus Castillionæus Cardinalis, ac Caspar maris præfectus Colinii fratres, pluresque alii, iique Nobilissimi Proceres, ac Torquati equites præter Joannem Morvillerium Aureliæ, Joannem Monlucium Vatiæ, & Sebastianum Albaspineum Lemovicum Episcopum. Sæcul. XVI. A. C. 1566.

His omnibus congregatis Rex præsente Regina Matre sua, ita inquiebat: „Integras ditiones meas primis regni au„spiciis peragravi, ut subditorum meo„rum præteritis annis, & postremis ci„vilibus bellis diverso pestis genere ve„xatorum querelas audirem, iisque o„ptima ratione prospicerem: ideo etiam „vos in tam celebri consessu congre„gavi, ac rogavi, imo & auctoritate „Regia præcepi, ut in eam rem sum„ma vigilantia, ac cura incumbatis, sic„uti de vestro egregio erga me, ac

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

„Rempublicam ſtudio plane confido, „ut Dei voluntati pareatur, conſcien„tia mea exoneretur, plebs ſublevetur, „& juſtitia priſtinæ dignitati, ac puri„tati reſtituatur: hanc ergo in rem „mihi opportuna ſuggerite media, & „conſilia.„

§. LXXXVIII.

Cancellarii oratio in Mulinenſibus comitiis habita.

Thuan. l. c. Belc. n. 17.

Poſtea Regis Cancellarius perorare juſſus in enarrandas Regni calamitates fuſius excurrens ita concluſit: „cenſeo hæc mala ab impunitate, ac „perverſa juſtitiæ adminiſtratione, nec„non ab iniquo Magiſtratuum Regimine „ali, non enim temporum iniquitas „incuſetur, nec ea maliguitati homi„num adſcribantur, nam nullis tempo„ribus Judex ab adminiſtranda debito „modo juſtitia, aut Theologus a ſacris „Scripturis bona fide interpretandis, vel „Belli-Dux a re bellica bene ge„renda impediri poteſt. Ideo errata „hominum caſtigentur, atque hi ad of„ficium reducantur potius, nec tem„pora, quæ fere hominum mores ſe„quuntur, inculpentur: itaque optimum „factu videtur, ut bonæ, ac ſanctæ le„ges Regia auctoritate ex optimorum, „ac prudentiſſimorum ſententia condan„tur,

Sæcul XVI. A. C. 1566.

„tur, quæ religioſe, & inviolabiliter „in poſterum ſerventur: nec inficias eo, „quod vulgo jactatur, abunde legum in „Galliis eſſe, atque ex ea multitudine, „ſicuti ex nimio judicum numero, li„tium copiam abundare in Galliis: ſed „& hoc verum eſt, quod novis malis „exorientibus ad ea comprimenda no„vis remediis opus ſit, & abolitis de„ſuetudine, aut licentia antiquis legi„bus, novæ, quibus præſentia mala „curentur, & miſeriæ publicæ proſpi„ciatur, condi debeant: ita novis ſe„ctis paſſim naſcentibus, ac graſſanti„bus ad eas prohibendas, & extirpan„das novis Theodoſii, Valentiniani, & „aliorum Imperatorum conſtitutionibus „opus fuit, & nunc quoque e Republica „eſſe videtur, ut novæ leges condantur, „quæ niſi ſerventur, cum id nonniſi „miniſtrorum ipſorum culpa, & avari„tia accidere poſſit, illi graviter, ac „ſevere puniantur, & ex inferioribus „ſubſelliis, ac minoribus Regni Curiis „hujusmodi peſtes, & miſeræ plebis „Sanguiſugæ exterminentur, ſupervacui„que judices omnino reſecentur, qui „plebis ſanguine, & litium procrea„tione tantum aluntur: præſidiales au„tem Curiæ in inferioribus tribunali„bus aut omnino, aut ex parte tollan„tur, iisque de publico augeantur ſti„pendia,

Sæcul. XVI. A. C. 1566

„pendia, ſublatis honorariis, quæ vulgo „a partibus erogantur, nam damno „magnopere publicum juſtitiæ merci„monium. His dictis Cancellarius in „potentiam regiam, ejusque jura ex„currens, ita proſequebatur: Rex ferre „nequit, ut ii, qui legum promulgan„darum jus tantum habent, illas inter„pretandi poteſtatem ſibi arrogent: id „enim ad ſolius legum conditoris, ſeu „Principis auctoritatem ſpectat: neque „itidem permittit, ut Magiſtratus ju„ridici ſuis officiis cedant, niſi forte a „parentibus jam emeritis in filiorum „gratiam, ſi quidem illi idonei, & ca„paces reperiantur, ea abdicatio fiat: „itaque in nominationibus, quæ a ſu„premis curiis fiunt, prenſationes, & „pravum, qui inolevit, morem tollen„dum cenſeo.„ Poſtea prolixius de Curiarum Regni origine, auctoritate, ac ordinatione differens, de ſuperfluo Camerarum numero reſtringendo, ac minuendo, & ad primam inſtitutionem reducendo egit, ac diu examinavit, an expediret, ut potius officia, nonniſi unico anno, vel triennio durent, quam ut ſint omnino perpetua. His adjecit, penitus abolendam eſſe illam, quæ fit a partibus, honorariam pecuniæ erogationem, & ita omnem munerum ſordide captandorum occaſionem fore præſcinden-

dendam, deinceps vero honesta & congrua judicibus stipendia esse assignanda. Ex his rationibus subinde colligebat, judices potius biennales, & triennales, quam perpetuos constituendos esse. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. LXXXIX.

Edictum Mulinense circa Ecclesiæ res.

Circa hasce propositiones prolixius excurrebat Cancellarius, pluresque desuper instituebantur deliberationes, tandem vero Mense Februario celebre Mulinense edictum condebatur, quod octoginta sex capita complectitur, inter quæ multa ad sublevandos populos, ac resecandas lites perutilia sanciebantur, & quidem in articulo nono Ecclesiasticis sua privilegia asserebantur, quin eis quovis pacto derogetur. In quinquagesimo octavo agebatur de modo, quo judicii acta in causis criminalibus circa Ecclesiasticos instituenda, ac dijudicanda sint. Articulus quinquagesimus quintus præcipit, ut tonsuræ, & monasticæ Professionis testimonium per literas, & non per testes probetur. In trigesimo nono mandatur, ut in delictis, casibusque exemptis judicii acta contra Ecclesiasticos coram Regiis judicibus instituantur, ac definiantur. Septuagesimus quartus reipsa

Ord. des Rois de France par Fontanon. Mem. du Clerge t. 1. 2. c. 91. n. 12. pag. 4.

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

reipsa executioni dari vult edicta, quibus Sodalitates, conventus, & consueta convivia tanquam tumultuum, commessationum, rixarum, & monopoliorum occasiones interdicuntur. In septuagesimo tertio Regiis Ministris injungitur, ut edicta de Nosocomiis edita in usum deduci curent, quatenus hac ratione reditus ad pauperum levamen legitime distribuantur: insuper ibidem præcipitur, ut omnes cujuscunque Urbis, pagi, aut villæ pauperes ab incolis alantur, & sustententur, quin alibi, quam in domicilii sui locis, Eleemosynam petere valeant. Articulus septuagesimus quintus Episcopis permittit, ut cunctos ad gradum promotos examinare, ac de eorum habilitate testimonium dare possint, si quod beneficium obtinere velint. In septuagesimo septimo cunctis inhibetur, ne quicunque libros, opuscula, famososque libellos, aut scripturas contra honorem, vel cujuscunque famam compositos sub quocunque demum prætextu scribant, typis edant, aut vœnum exponant, indictis singularibus pœnis: insuper in articulo septuagesimo octavo omnibus prohibetur, ne quoscunque libros, vel tractatus absque Regis permissu, & privilegii diplomate imprimant, vel imprimi curent: præterea injungitur typogra-

pographo, ut in hoc eventu ſuum nomen, domicilii locum, necnon ipſummet domicilium apponat, atque inſerat, ſub omnium bonorum proſcriptione, ac caſtigationis pœna. Denique in articulo octogeſimo ſexto omnes blasphemiæ, & juramenta in Dei nomen vetantur, ſimulque mandatur, ut jurantes, & Blasphemi non modo pecuniarum mulcta, ſed etiam corporis pœna coerceantur, hacque re judicum honor, ac conſcientia onerata cenſeatur. Sæcul. XVI. A C. 1566.

§. XC.

Hoc edictum in Senatu confirmatum.

Hoc edicto ad Senatum transmiſſo, reque maturius perpenſa quorumdam opinio eo abibat, ut quibusdam hujus edicti articulis obluctandum eſſet: verum Rex Pariſios reverſus die decima Julii novas miſit literas, quibus ad propoſitas difficultates reſpondit: recitatis itaque hiſce literis edictum die vigeſima tertia Julii fuit approbatum, addita tamen licentia, vi cujus circa haſce difficultates amplius apud Regem intercedere liceret.

§. XCI.

Colinii cum Guiſiis reconciliati.

Priusquam Rex cum Aula ſua Mulinum proficiſcebatur, ejus juſſu Colinii *Thuan. l. 39.*

Sæcul. XVI A C. 1566.

linii cum Guisiis specietenus fuere reconciliati: porro hæc concordia inter Annam Atestinam Guisiani defuncti Ducis viduam, & Carolum Lotharingium Cardinalem fratrem una ex parte, necnon inter Colinios ex altera fuerat inita, ideo etiam, ut hæc conciliatio fieret, præcipue Mulinensis conventus celebrabatur. Ibidem Colinius maris Præfectus solemniter jurabat, quod in Guisii Ducis necem nunquam consenserit, nec illius author exstiterit: postquam igitur Rex inter eos pristinam amicitiam restaurari, ac solidam pacem coli jusserat, hi in mutuos amplexus præsente Rege ruebant, ac vicissim plenam præteritorum oblivionem spondebant.

§. XCII.

Parisiense colloquium inter Catholicos, & Protestantes.

Thuan. l. c. Belleforet l. 6. cap. 103.

Rex Parisios redux decrevit gratiarum actionem instructo supplicum ordine, qui a sanctæ Genovefæ Ecclesia usque ad Cathedralem procedebat, eique ipsemet Rex unacum tota Aula sua intererat: sequenti autem Mense Julio Parisiis in ædibus Nivernianis inter Catholicos, & Protestantes disputatio instituta est, sollicitante Ludovico Borbonio Montpensierio Duce Regii Sanguinis

Sæcul. XVI. A C. 1566.

guinis Principe, qui Franciscam Borboniam Filiam suam ex primis nuptiis susceptam, necnon Robertum Marcianum Bullionii Ducem illius Maritum Calvini secta infectos ad Catholicam fidem reducere satagebat. Intererant huic Colloquio ex Catholicis Simon Vigorius, postea Narbonnensis Archiepiscopus, & Claudius Sanctius demum Ebroicensis Episcopus: Protestantium autem nomine disputabant duo Præcones Joannes Spina fidei desertor ex Ordine S. Dominici, & Hugo Sorellus Rozerius, qui ob id e custodia dimissus est, cum in carcerem conjectus fuisset ob libellum a se compositum, in quo inter ceteras propositiones omnino seditiosas detestandam hanc doctrinam tradebat, quod Regem, aut Principem Religionis hostem occidere liceat: Ceterum huic colloquio duo etiam intererant Notarii, totiusque disputationis acta Gallico idiomate typis vulgata fuere: verum Montpensierius Dux optatum hujus colloquii successum non obtinuit; cum ejus Filia a suis erroribus propterea non resipuisset, licet post diuturnam altercationem, ac vehementem animorum contentionem hæretici Præcones ad eas redacti fuerint angustias, ut omnipotentiam Dei negare, aut illam saltem plurimum restringere mallent,

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

quam realem Corporis Christi Domini præsentiam in sacra Eucharistia adstruere, unde re infecta utrinque discessum.

§. XCIII.

Apamiensis conflictus inter Catholicos, & Protestantes.

Thuan. l. 39. Paulo ante hoc colloquium Robertus Pelleveus Apamiensis Episcopus, cum juxta Regis mandata Protestantibus conventicula agendi licentiam interdicere vellet, adversus eos literas ad Curiam dabat, eosque tanquam Regii edicti transgressores accusabat. Hac delatione facta Rex acceptis illorum nominibus, qui ex Magistratibus ad regenda oppida eligebantur, nonnisi Catholicos selegit, rejectis hæreticis, simulque in Apamiensi Provincia cujuscunque alterius Religionis usum præter Catholicam interdixit, ac denique Damvillæ Occidaniæ Gubernatori injunxit, ut regium decretum executioni mandari curaret. Huic Regis mandato rursus Protestantes, incassum licet, obluctabantur, cum vero id revocari desperarent, saltem illud libere transgredi statuerunt; itaque suos conventus licet non publicos, secretos tamen in privatis ædibus cogunt: porro re comperta Catholici, quantum valebant,

bant, ſeſe illis opponunt: mox vero tumultus, ac rixæ ſuſcitantur, ac tandem die decima nona Maji manus conferuntur, ubi ſeditione ſequentibus diebus aucta plures vulnerantur, atque occiduntur, præprimis enim Proteſtantes facto in Bruſſii ædes impetu, illas diripiunt, injectoque igne comburunt, ipſum vero Bruſſium die decima quinta Junii crudeliter trucidant, aliosque plures graviter ſauciant, ac nondum ſatiato furore Carmelitarum Conventum, interfectis aliquibus Religioſis deprædantur, nec minus poſtea Auguſtinianorum cœnobium aggrediuntur, ibidemque ſacras imagines evertunt, ſimulque in Eccleſiam ſancti Franciſci, urbisque noſocomium ſacrilegas manus injiciunt: decima ſexta autem ejusdem Menſis die Dominicanorum Eccleſiam invadunt, eamque pariter exſpoliant. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. XCIV.

Jouſa Comes a Proteſtantibus Urbis ingreſſu prohibitus.

Poſtmodum Jouſa Comes Regius Provinciæ Prætor Joannem Nogarettum Valetam Apamæas ablegabat, qui ſeditionem extincturus Proteſtantibus ſequentes proponebat conditiones. I. Captivi Apamæis, & Fuxii utrinque liberentur. II. Externi milites utrobi-

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

que introducti dimittantur. III. Arma privatis adempta in ædes publicas deponantur. IV. Cetera Regis, a quo propediem mandata expectabantur, voluntati permittantur. His quidem legibus obtemperabant Proteſtantes: aſt cum interea Jouſa Comes adventans cum tribus peditum ſignis hoſpitium in urbe ſibi parari peteret, Proteſtantes hoſtilem vim ſibi inferri cauſſantes Comitem recipere detrectarunt: cum ergo hic miſſo ad Regem nuntio de hac injuria quereretur, mox incolæ pariter ad Regis aulam ſuos ablegarunt, ut funeſtos hujus repulſæ ſucceſſus præpedirent, quinimo Calviniſtæ quoque ſuos decreverunt, qui ipſorum temeritatem excuſarent.

Attamen Rex quantocius eo mittebat Jacobum Angeneum Rambulietum, quem mox Rabbatus, & Caumontius Vicecomites Calviniſtis addicti convenerant, eorumque opera induciæ fuerunt ſancitæ: hinc die vigeſima tertia Aprilis omnes præſidiarii milites numero ſexcenti ſclopetarii urbe dimittuntur, ac unacum illis latrociniorum conſcii pariter urbe excedunt. Altera die Angeneus cum militari, quam ducebat, manu, explicatisque ſignis, & pulſatis tympanis urbem ingreditur, ſine oppidanorum injuria: inde autem digreſ-

digreſſus Fuxium proficiſcitur: mox vero ipſe etiam Jouſa cum ſuis equitibus honorifice, & obſequioſe ſpecietenus exceptus Apamæas venit, quem poſtea Joannes Dafius Senatus Toloſani præſes cum ſex conſiliariis delegatis, qui de cauſſa cognoſcerent, ſecuti ſunt. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. XCV.

Reorum nonnulli ob contumaciam damnati.

Poſtmodum auditis teſtibus, & rebus pro tempore conſtitutis, factaque ſpe, ex æquo jus utrique parti dictum iri, Præſes cum ſuis conſiliariis diſceſſit: nihilominus Menſe Septembri octodecim ſeditioſi capti ſub cuſtodia Toloſam ducebantur, qui tamen ferme omnes carcere elapſi ſunt: inſuper Calviniſtæ eoquod vel Senatum Toloſanum ſibi ſuſpectum haberent, ſive innocentiæ ſuæ haud ſatis fiderent, propoſitis apud Regem ſuſpicionum cauſſis impetraverunt, ut cognitio ad alios judices remitteretur, & de cauſſa Senatus Pariſienſis cognoſceret. Quinimo Rex hac ſuper re jamjam literas expedire juſſerat, verum mox Guiſii Cardinalis ſollicitatione decretum regium ſuper ea re factum revocatur, & cognitio rurſus Senatui Toloſano committitur, *Thuan. l. c.*

Sæcul XVI. A.C. 1566.

ubi tandem in fugitivos, ac contumaces tanquam læſæ Majeſtatis reos fertur ſententia, qua ipſi ad patibulum damnantur, & bona ærario publico addicuntur, detractis in templorum, quæ everterunt, inſtaurationem quadraginta librarum millibus.

§. XCVI.

Tumultus in Belgio continuati.

Strada l. 5. Belcar. comm. l. 30. & 43. Grot. Annal. Belg. l. 1. p. 20.

Cum in Belgio omnes etiam pœnarum ſeveritate compellerentur, ut cuncta decreta, & deciſiones a Synodo Tridentina etiam circa diſciplinam factæ in uſum deducerentur, inde hoc anno tumultus augeri cæperant, adeo ut etiam hæretici contra Gubernatricem ſeditionem conflarent, cui quoque Nobiles nomen dabant: præprimis vero contra hanc Principem libellos mordaci calamo ſcriptos, ac non minus Deo, quam Principibus a Deo inſtitutis injurioſos ſpargunt: ubi tamen hæc conſpiratio fuerat detecta, Gubernatrix ſuas copias ad ultionem paratas tenebat, & quidem primo luſtratis arcibus, ſuisque propugnaculis Magiſtratum ad officii ſui partes fideliter explendas hortabatur, ſimulque de conjuratione, quam pertimeſcebat, ſuos Oratores, quos apud Cæſarem, Galliarum Regem, & Angliæ Reginam habebat, certiores reddidit:

didit: verum ipsimet hujus seditionis Auctores vehementius de prospero perversi sui consilii successu dubitare cæperant, unde conjuratio ferme tota evanuit, ac nonnisi circiter quingenti supererant, qui ductore Brederodo, & Ludovico Nassavio contra Inquisitionem, & Cæsaris mandata huic tribunali propitia libellum supplicem per semetipsos Gubernatrici porrigere decreverunt: die igitur exequendo huic proposito præfixa conjurati bini, ac bini recto ordine totam urbem pervagantur, tandemque ad Gubernatricis Palatium contendunt, comitantibus eos Bederodio, Nassavio & Culemburgo Comitibus. Hi omnes vestibus e panno cinericei coloris induti erant, ac alii ligneas lagunculas, scutellasque, & caliculos, quæ omnia pauperum suppellex esse solet, pileis suis affigunt: insuper plerique nummum primo e cera, vel e ligno exsculptum, postea autem cusum ex auro, argentove instar bullæ suspendunt e collo, in cujus altera parte Philippi Regis cælata erat effigies, hisce verbis gallice circumscriptis, *fideles Regi:* in altera visebatur mantica duarum complexu manuum intercepta, circumque hæc verba legebantur, *usque ad Manticam.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Sæcul. XVI. A.C. 1566

§. XCVII.

Libellus ſupplex a conjuratis Gubernatrici porrectus.

Grotius & Strada l. c. Thuan. l. 40.

Conjurati hac ſuppellectili inſtructi ad Gubernatricem admittuntur, quam Brederodius poſt officia, veneratione-que factas hunc in modum allocutus eſt: „Nobiles Belgæ, quos hic coram celſi-„tudo tua videt, aliique ejusdem Ordi-„nis, qui propediem aderunt ſane com-„plures, ideo mecum una convenere, „ut tu, quanto ſtudio a te aliqua pe-„tant, ex hac ipſa celebritate cogno-„ſcas. Hæc porro quæ ſint, dum ſup-„plici hoc libello perleges, ego te om-„nium nomine oro, ne in animum in-„ducas tuum, nihil aliud honeſtis hiſce „viris propoſitum fuiſſe, niſi Regis ob-„ſequium, amplitudinemque, ac pa-„triæ ſalutem.„ Hæc effatus libellum obtulit ſupplicem iſta addens: „ha-„beo præterea nonnulla, quæ cum tua „Celſitudine conferre cupio, idque eo-„rundem ſociorum nomine, ne tamen „a propoſita mihi ſententia forte aber-„rem, libenter illa e ſcripto, niſi one-„roſum Celſitudini veſtræ ſit, in præ-„ſentia recitare volo.„ Annuente Mar-garita, ſcriptum ſuum prælegit, cujus ſumma hæc erat: „plurimum dolemus „nos Nobiles quod Celſitudo veſtra ad

Spond. hoc ann. n. 21.

„Pro-

„Provincias ſcripſerit de hoc fœdere „tamquam ope, ac ſocietate Gallorum, „Germanorumque compoſito, ſpecie „quidem patriæ ſalutis, re autem ipſa „ſpe populationis, ac prædæ. Id au- „tem quemadmodum gravi cum Bel- „gicæ Nobilitatis noſtræ injuria tuæ „Celſitudini delatum eſt, ita nos Nobi- „les eam te enixe rogamus, ut nomina „eorum, qui hoc detulere, proferas, co- „gasque illos accuſationem legitime, ac „palam adornare, ut aut fœderati, ſi „criminis convincantur, aut accuſato- „res, ſi crimen falſo intenderint, pari „ſupplicio caſtigentur. „ Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. XCVIII.

Gubernatricis reſponſum ad hunc libellum.

Hæc legatio ſolo numero conſpicua non parum turbabat Gubernatricem, quæ majorem inſolentiam quidem pertimeſcebat, adhuc tamen diſſimulatione utendum exiſtimans, haud gravate horum libellum ſpecietenus accepit, reſponditque, „maturius veſtra „ponderabo poſtulata, & quando non- „niſi Regis dignitatem, patriæque ſa- „lutem ſpectabunt, haud dubio eisdem „ſatisfaciam: ceterum quod de literis „ad provincias a me datis querelam „inſtituatis, certe non jure vos queri „con-

Strad. & Thuan. l. c. Belcar. l. 30. num. 45.

Sæcul. XVI A.C. 1566.

„constat, nam feci, quod muneris mei „ratio postulabat, ut tum, dum a multis certior fiebam de fœdere, nescio „quo, cum exteris inito, Præfectos, „ac Magistratus commonefacerem, ne „per eam occasionem non tam a Belgis, „quippe quos Regi fidos experta semper „eram, quam a finitimis, quos sibi aggregaverant, aliquid in Provinciis turbaretur.„ His dictis Nobiles a se dimisit, nullamque mentionem, quamvis conjurati id magnopere flagitassent, de delatoribus fecit, quia sub oblivionis specie ejusmodi quæstiones, quæ plerumque exitus habent periculosos, declinare voluit, sive potius se offensam credebat hac petitione, per quam veluti adstringi videbatur, ut Imperii arcana detegeret: abeuntibus ergo Deputatis totam rei gestæ seriem ad Regem rescripsit.

§. XCIX.

Origo nominis Geusii Protestantibus in Belgio attributi.

Grotius annal. l. 1. pag. 10. Strada & Thuan. l. c.

Sub idem tempus, quo hi Nobiles ex aula discesserant, Barlamontius Comes Protestantibus summopere infensus Gubernatricis animum erecturus eidem dixit: „ejusmodi homines non „sunt timendi, sunt enim reipsa nil „nisi *Gueux*, seu mendici, vel habitu „ut

„ut tales comprobati.„ Inde ortum trahit, quod illi, qui in Galliis Hugonottæ, vel Proteſtantes appellantur, in Belgio voce Gallica *Gueux*, ſeu *Geuſii* vocentur, quippe Brederodus hanc vocem ex Barlamontii ore percipiens, cum altera die trecentos ferme conjuratos convivio exciperet, atque ibidem de nomine huic ſocietati dando ageretur, ipſe ſubridens præ ceteris primus dixit, eandem eſſe nominandam mendicorum, ſeu Geuſiorum ſocietatem, quod reliquis quoque placuit. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. C.

Libellus conjuratis a Gubernatrice redditus adjecta ad marginem reſponſione.

Altera die conjurati ad Palatium revertebantur, reſponſum ad ſuum libellum præſtolaturi, hos igitur Gubernatrix ſpecietenus benigne excepit, eisque libellum reddidit adjecto in margine reſponſo, quo intermittendæ Inquiſitionis, edictorumque moderandorum ſpem faciebat, Regem tamen prius conſulendum inquiebat: porro pridie in ſuo Senatu proponebat, an requirendum eſſet a conjuratis, ut ſuorum nomina declararent, eoquod in ſupplici libello duntaxat ſubſcripſiſſent: *Strada de Bell. Belg. l. 5.*

nos

Sæcul. XVI A C. 1566.

nos humillimi Majestatis Regiæ subditi, nunc ergo deliberabatur, an non adjungerent suum singuli nomen, sed pluribus id periculosum videbatur, ne per occasionem exigendi ab absentibus nomina, circumlato per urbes libello, plures sollicitarentur. Conjurati hoc responso ad suum libellum dato parum contenti a Gubernatrice petebant, ne gravaretur testatum facere, quod omnia, quæ ab eo Nobilium conventu facta essent, pro Regis obsequio, utilitateque fuissent: ast cum id extemplo negaret Margarita, atque affirmaret, quod tempus, eorumque facta satis id omnibus testarentur, quo audito omnes discesserunt.

§. CI.

Pietatis erga Beatissimam Virginem in Belgio institutæ exercitium.

Strada l. c. Spond. hoc ann. n. 15.

Ceterum numismata, quæ confœderati suis collis appensa gerebant, novæ pietati erga Beatissimam Virginem instituendæ inter Belgii Catholicos ansam præbuere; quippe Philippus Croyus Areschocti Dux Hallim urbem tertia Bruxellis leuca diffitam religionis causa profectus est, ac Beatissimam Virginem, quæ ibidem magna fidelium veneratione asservatur, honorare statuit: insuper ejus Divæ Virginis

nis imaginem Filium Jesu complexu foventis exprimi argenteis aliquot numismatis curavit, cum vero is Gueſiorum ſocietati vehementer adverſaretur, inde redux ejusmodi numisma in pilei ſui ſpira geſtavit, illudque ab iis, qui cum eo erant, deferri voluit, velut theſſeram, qua ipſi ab iniquæ ſocietatis fautoribus diſcernerentur: quamprimum igitur Dux Bruxellas venerat, multi Nobilium eum imitantes hujusmodi capitis inſigne deferrebant, eorumque numerus brevi plurimum augebatur. Hoc pietatis ſtudio ſummopere gaviſa Gubernatrix rem Pio V. Pontifici perſcripſit, qui comprobata hac devotione, ac Catholicorum religione numismata illa rite ſacrabat, atque iis, qui ſacros ejusmodi nummos pie geſtarent, ac quasdam preces funderent, noxarum veniam indulſit. Sæcul. XVI. A. C. 1566.

§. CII.

Novus libellus Gubernatrici porrectus.

Interea Brederodus, priusquam Bruxellis diſcedebat, poſtulata firmaturus ad Gubernatricem rediit, eumque comitati ſunt Ludovicus Naſſavius, Bergenſis, & Culemburgius Comites, præcipui Gueſiæ factionis fautores, qui una- *Thuan. l. 40 Strad. l. 5.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

unaomnes poſtulata jam antea propoſita innovabant, tradito hanc in rem novo libello: addidit tamen Brederodus: „illa Regis decretum ab „Hiſpania expectandi mora, con„citatis, furentibusque populorum ani„mis importuna eſt: ego equidem pro „ea, quam patriæ debeo, charitate „Celſitudini veſtræ aperui Belgarum „vota in ſeditiones brevi absque dubio „eruptura, ſi nihilominus præcipiti „malo remedia tam lenta, & longin„qua petere obfirmato animo decernis, „teſtor Deum, hominesque, quod „Belgica nobilitas, quidquid adverſi „contigerit, a culpa, malisque Bel„gio impendentibus immunis ſit. Sed „nihil his mota gubernatrix ita repo„ſuit: ſpondeo non modo moras om„nes, feſtinatis in Hiſpaniam nuntiis „præcidendas, ſed etiam occaſiones „tumultuandi tollendas, admonitis „quæſitoribus, urbiumque Magiſtrati„bus, ut rem mitius procurent: inte„rim unum a vobis cum cura, & ſe„rio flagito, ut vos eo magis muneri „veſtro ſatisfaciatis, ac nova ſuper „hæc moliri, alios fœderi adſcribere, „aut privatos conventus agere deſiſta„tis: de cetero ego id omnino faciam, „quod aſſerendæ in hiſce provinciis ve„teri Religioni, regiæque auctoritati

„con-

„convenire muneris mei ratio per- Sæcul. XVI.
„ſuadebit.„ A.C.1566.

§. CIII.

Conjurati ſuam ſocietatem edito libello honeſtare ſatagentes.

His dictis fœderati receſſerunt, omnesque Urbe egreſſi ſunt, exceptis nonnullis, qui totius rei ſucceſſum exploraturi remanſerant: itaque Brederodus, Culemburgius, & Bergenſis Comites ſimul abeuntes cum centum quinquaginta equitum comitatu, primus quidem Antverpiam, reliqui vero duo in Geldriam receſſere: cum autem Margarita Gubernatrix per ſuos exploratores edoceretur, quod Brederodus Antverpianos ad ſeditionem concitaret, quamvis illum ſeſe intra modeſtiæ limites continere Magiſtratus ſcripſiſſet, illa tamen hac de re Regem certiorem fecit: interea ceteri conjurati per omnes Provincias ſpargebant, quod eorum poſtulatis plene ſatisfactum eſſet, ut autem id eo firmius vulgo perſuaderent, in eam ſententiam libellum, Equitum aurei Velleris nomine ſcriptum mentiuntur, ut ſuam apud eum ordinem gratiam, potentiamque populis venditarent, & Equitum fidem Gubernatrici ſuſpectam redderent: porro Libelli verba hæc fuere. *Fides* *Strad. l. c.*

publi-

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

publica fœderatis Nobilibus data Bruxellis ab aurei Velleris Equitibus, ſeptimo Idus Aprilis anni milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti. Proceres, quotquot hic ſumus, jurati per equeſtris ordinis nomen, viris a nobilium cœtu delectis, ac jure, legitimeque in hanc urbem miſſis, pollicemur, Eccleſiaſticos Quæſitores, ac reliquos Magiſtratus ex hoc die non carcere, non exilio, non proſcriptionibus in quemquam animadverſuros, ob Religionis cauſſam, niſi ea cum populari ſeditione, publicique boni jactura conjuncta ſit, cujus tamen criminis non alii præter Fœderatos, Vindices ſunt: id vero permiſſum eis volumus, donec aliter a Rege aſſentientibus totius Belgii Ordinibus, decernatur.

§. CIV.

Gubernatricis Epiſtola ad Provinciarum Rectores circa hunc conjuratorum libellum.

Enimvero perlecto hoc libello Gubernatricis animus turbabatur, ne ergo populi impudenti horum conjuratorum commento ſeducerentur, nil cunctandum rata aurei Velleris Equites convocat, eisque hunc libellum oſtendit, quo inſpecto affirmarunt Comites Egmontius, & Mansfeldius, qui primi advene-

venerant, ab Equitum ordine nihil eorum, quæ in hoc libello continentur, scriptum, dictumve fuisse: Margarita vero quantocius de tota rei serie Provinciarum Rectores edocet, eo fine, ut populum hujus mendacii certiorem redderent: insuper ad eosdem descriptum transmisit libellum, quem fœderati obtulerant, unacum adscripta ad marginem Gubernatricis responsione, studiose admonens, ut iidem, siquid præterea vulgaretur a quopiam, commentum esse seditiosorum hominum pro certo habeant: Ut autem magis adhuc publicæ quieti consuleret, Florentium Momorantium Montinii Baronem in Hispaniam ablegabat, qui die decimo septimo Junii Madritum veniens a Rege perbenigne excipiebatur, traditis eidem literis, quibus Rex pollicebatur, se nulla mora in Flandriam concessurum, atque Caroli V. Cæsaris Patris sui edicta, si nimium austera forent, moderaturum. Huic promisso operis constantia defuit: cum igitur id populus animadverteret, nihilque benignius ab Hispanis sperandum cerneret, aliunde vero haud ignoraret, quod Romana Curia, & Pontifex speciatim Hispaniæ Regem, ac Gubernatricem urgerent, ut cum omni severitate age- Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

rent (*) hinc hæretici coactis conventiculis publice ad suorum Ministrorum sermones accedebant, ut hac audacia suæ factionis sociis animum adderent, suis vero hostibus rebellium indies excrescentium numero terrorem incuterent.

§ CV.

Publici sermones ab hæreticis confluente populo habiti.

Tha. l. 40. Strada l. c.

Yprensis civitas præ ceteris prima erat, in qua conciones publice haberi, audacter Pontifex calumniis obrui, contra Concilium Tridentinum, Inquisitores, totamque Christi Religionem declamari incipiebatur, hæc vero petulantia postmodum propagabatur per Brabantiam, Geldriam, Frisiam, ac per omnes urbes, & campos, ubi undique ad sacrilegas hasce conciones populus primo quidem inermis, postea autem ad corporis tutelam gladiis, ac postremo sclopetis munitus confluebat: porro ineunte Mense Junio in campo

(*) Hæc apud nullum ex allegatis Scriptoribus leguntur, sed mere conficta sunt, ut sub verosimili prætextu hæreticorum seditio in Papæ severitatem, & Inquisitionis rigorem conjici posset.

campo Lario, prope Antverpiam ad Borgerhutum Germanico, & Gallico idiomate habitæ sunt conciones, unde tumultum veritus Antverpiensis Senatus ad Parmensem scribit, ac eam etiam ad motus sedandos, ut ipsamet in urbem venire velit, hortatur. Hæc cum super ea re tempus ad deliberandum poposceret, interea edictum admodum severum promulgari jussit in illos omnes, qui ejusmodi conventicula haberent. Ast hac agendi ratione nonnisi hæreticorum insolentia augebatur,

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. CVI.

Alius libellus Gubernatrici a Protestantibus porrectus.

Protestantium ultra quinque millia crescente cum numero audacia, Senatui libellum porrigunt die tertia Julii, quo multis rationibus nituntur probare, quod conciones, quæ antea in occulto habebantur, nunc ob auditorum numerum palam haberi deberent, ac proinde motus, & confusionis vitandæ caussa locum sibi in urbe assignari peterent: porro quod id Magistratus concedere posset, adducta privilegiorum auctoritate confirmabant, ac insuper exemplis demonstrare nitebantur, quod duæ Religiones citra periculum admitti valeant: ve-

Thu. & Strad. l.c.

Sæcul. XVI A.C.1566.

rum Senatus hunc libellum protinus ad Gubernatricem mittit, eamque, ut ad urbem venire, in eaque commorari dignetur, iterum rogat: quod tamen illa nisi introducto secum militari præsidio, a quo Antverpiani abhorrebant, facere recusavit, nec etiam ad urbem venit, sed unice Megam Comitem eo ablegavit, qui exploraret, an ad sedandos hosce tumultus in civium fidelitate, atque auxilio spes collocari posset: Attamen quamprimum rumor de Comitis adventu increbuerat, mox recruduit seditio, hæreticis passim spargentibus, quod Arembergius Comes cum mille ducentis peditum signis brevi insecuturus esset, ac demum Gubernatrix urbem copioso milite munitam ingressa ibidem Inquisitionem sit invectura, arcemque constructura.

§. CVII.

Oranii adventus Antverpiam.

Cum ergo hi sermones semper magis, magisque invalescerent, Mega Comes revocabatur, subrogato Principe Oranio, seu Arausionensi, cujus adventum populus summis votis exoptabat. Huic Brederodus mille passibus extra urbem obviam ibat comitantibus eum omnibus incolis, a quibus Princeps cum tanto applausu, tamque festivis lætitiæ signis excipiebatur, ut populum cohibere teneretur, & in-

sanis hisce acclamationibus offendere- Sæc XVI.
tur. Postea in Curiam ascendit, eaque no- A.C. 1566.
cte cum Magistratu agere instituit de populo ad obsequium revocando, necnon de seditiosis hæreticorum conventibus dissipandis: sed cum hisce malis remedia pararentur in Senatu, foris per eadem incrementa invalescebat morbus; quippe magis frequentes habebantur Protestantium cœtus, quamvis Princeps eos præpedire toto studio niteretur.

§. CVIII.

Foederatorum conventus Trudonopoli.

Hic erat in Belgio rerum status, cum ecce, novus repente motus Gubernatricem gravioribus exponeret curis; nunciabatur enim, Geusios Fœderatos, eoquod Ordinum comitia convocari desperarent, nova moliri, eorumque circiter duo millia Trudonopolin exiguam Leodiensis Diœcesis urbem in Brabantiæ finibus sitam convenisse; cum ergo incolæ, ni illis aditum concederent, suos agros devastari & suas ædes incendio absumi vererentur, hinc in urbem suam Brederodum, ceterosque fœderatos omnes exceperunt, insuperhabito Gubernatoris interdicto: hi vero ibidem Mense Julio ad finem vergente conventum habebant, licet nihil ibidem decerneretur: dum autem hæc agebantur, Guber- *Thu. & Strad. l. c.*

Sæcul. XVI A.C. 1566.

natrix Oranium Principem, & Egmontium Comitem ad eos ablegat, qui Brederodum, ac conjuratorum præcipuos in pagum Antverpiæ vicinum, quem Dufflam appellant, ad colloquium evocant, atque inter alia Gubernatricis nomine exhortantur, ut non per hujusmodi cœtus aliquid novi molirentur, sed interea hac super re Regis judicium expectarent, nec eidem justæ indignationis ansam præberent, sed potius in obsequio perseverarent, & concionibus quantum possent, prohibitis insolentiam sectariorum reprimerent, qui seditionem, ac rebellionem brevi in apertas flammas erupturam, palam jactitare non erubescerent.

§. CIX.

Hæreticorum querelæ coram Oranio Principe expositæ.

Thu. l. 40.

Ad hæc delegati scripto ita respondent: „Nos gratias Celsitudini suæ „agimus, pro transmissis ad præfectos „mandatis: verum ea, prout oportuit, „non fuerunt servata, nam Tornaci, In„sulæ„ Montibus in Hannonia, Atiræ, „Atæ,& Bruxellis nulla eorum fere ha„bebatur ratio, plurimis in carcerem ob „Religionem conjectis: nos ecquidem „concionibus, ac conventibus aliis im„pediendis omnem diligentiam adhi-

„bui-

„buimus, sed plebe in suspicionem ad- Sæcul. XVI.
„ducta, nihil impetrare potuimus, eo- A.C 1566.
„quod populus crederet, quod respon-
„sum a Celsitudine sua intra duos men-
„ses promissum nondum ex Hispania ad-
„venisset, & insuper universorum Bel-
„gii ordinum conventus, de quo spem
„illa fecit, nulla amplius mentio habea-
„tur: quod vero Gallos his se turbis im-
„miscere dicat Gubernatrix, id nescimus,
„& parati sumus, si ita sit, statim con-
„scensis equis externæ violentiæ nos
„opponere: verum hoc rerum statu
„Regis subditos impetere minime con-
„sultum videtur: quando autem causæ
„calumniandi quæruntur, quasi nos au-
„ctores populo fuerimus ad conciones
„conveniendi, non recusamus, nos
„ab ea calumnia purgare, crimen-
„que rebellionis diluere; quamquam
„enim plerique ex nostris Protestan-
„tium doctrinam amplectantur, nequa-
„quam tamen hac Religione impedi-
„mur, quo minus fidem, & obsequium
„Regi debitum servemus, interim nec
„Regis clementiæ diffidimus: de cete-
„ro cum nullius criminis nos conscien-
„tia arguat, existimamus, nihil opus
„esse illa, cujus Gubernatrix spem o-
„stentat, præteritorum oblivione, nam
„nihil admisimus, quod venia, aut con-
„donatione egeat. „ His addebant a-

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

lias querelas, præcipue vero hæc proponebant; „nos jam tanquam perduellionis rei, ac convicti omnium sermonibus passim proscindimur, nostraque consortia aurei velleris equites, ac proceres alii vitant: insuper spargitur fama, Regem propediem in Flandriam venturum, qui severas de nobis pœnas sumeret: præterea narratur, quod idem Rex transitum per Gallias petierit, & Sabaudiæ Dux operam in id suam ei detulerit: ad hæc Clericorum ordo in belli sumptus grandem jam pecuniam suppeditavit, eapropter dissimulare nequimus, quod nostræ securitati minime caveatur, ideo privatæ tutelæ caussa in Germania amicos comparavimus, quorum auxilio, si opus sit, utemur: nos autem pernegamus, quod cum Gallis quidquam consilii inierimus, proinde petimus, ut ipsa Gubernatrix nostræ securitati idonee caveat: porro cautionis loco acceptare volumus, si illa Arausionensem Principem, Egmontium, & Hornanum Comites dignatione, & fide præcipuos viros consiliis adhibeat, ita, ut nihil nisi his vocatis in eo negotio decernatur.„

Hoc scriptum Brederodus ad novem capita reduxit, ipsusque ad suos socios, qui eum Trudonopli præstolabantur, detulit.

§. CX.

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

§. CX.

Alius Fœderatorum libellus ad Gubernatricem.

Poſtea ex omnium ſententia, ac conſenſu Ludovicus Naſſavius ad Gubernatricem unacum decem Nobilibus decernebatur, ut eidem ſcriptum quoddam præfata hæc novem capita complectens traderet: his tamen ad calcem adjecerunt, quod tunc, ſi avita libertas patriæ non reddatur, ipſi licet inviti opem apud exteros quærere cogantur, proin eventurum ſit, ut Galli utpote perpetui Belgarum hoſtes inter domeſticas diſſenſiones in Belgium introducantur. Hæc exteri, ac præcipue Gallici ſubſidii comminatio haud levi metu afficiebat Gubernatricem, quæ perlectis hiſce in Senatu literis, auditisque eorum, qui aderant, ſententiis Ludovico Naſſavio reſpondit, aurei Velleris Equites die vigeſima ſexta Auguſti Bruxellas venturos, ſeque tunc, cum illis hac ſuper re conſilium inituram. *Thuan. l. 40. Strad. l. c.*

§. CXI.

Antverpia a Principe Oranio novo Gubernatore præſidio munita.

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

Interea Antverpiam reversus Princeps Oranius, cum tumultus ibidem graviter auctos cerneret, Gubernatricem admonuit, sollicitari se a civibus, ut urbis administrationem capesseret, atque ad ejus securitatem, & defensionem præsidiarios milites pro suo arbitrio adhiberet. Annuente Gubernatrice Princeps non modo milites conscripsit, sed etiam corporis custodes ab eadem postulare ausus est, quibus obtentis urbis Gubernatorem lætus egit, spe concepta, quod brevi ibidem supremum Principem pro summo imperio acturus esset, si consiliis suis optatus adspiraret successus.

Strad. l. c.

§. CXII.

Moderata Hispaniæ Regis jussa, sed nimis tarda.

Strada l. c.

Paulopost Hispaniæ Rex, cum tandem sua edicta moderandi necessitatem cerneret, Gubernatrici datis literis permittebat, ut Inquisitores Ecclesiasticos removere posset, dummodo prius eorum potestas in Episcopos transferretur, cum Religionem illorum præsidio privare nollet, qui fidei cautas cognoscerent, atque injurias per hæreticos illatas vindicarent: insuper placuit Regi, quod Belgicus Senatus Caroli V. edicta moderaretur, ita tamen, ut

ut Hiſpanus Senatus hanc moderationem inſpiceret, probaretque, priusquam ea in Provinciis publici juris fieret. Denique veniam concedi poſſe, ajebat Rex, conjuratis, aliisque, prius tamen priores duas conditiones omnino eſſe adimplendas. Verum hæc remedia ſero nimis adhibebantur. Sæcul. XVI. A. C. 1566.

§. CXIII.

Hæreticorum rabies in Eccleſias Catholicorum.

Hac lenitate Rex nihil aliud efficiebat, niſi quod aquam affunderet, poſtquam ferme omnia jamjam continuato incendio abſumpta fuere; quippe hæreticorum ſeditio ad tam petulantem degenerabat rabiem, ut ea, quæ ipſimet antea petebant, ſibi amplius concedi aſpernarentur; cuncta enim illorum deſideria eo abibant, ut crudelitatis ſuæ libidinem ſatiare poſſent: eapropter ſeditioſi hi Proteſtantes arma arripiunt, nimirum baculos, ſecures, malleos, ſcalas, funes, cunctaque alia inſtrumenta demoliendo, quam pugnando aptiora, paucique ſclopetis, & gladiis muniti erant: porro hoc apparatu tanquam emiſſæ ab orco furiæ, in pagos, vicosque circa Audomaropolim irrumpunt: ſacrarum ædium, ac cœnobiorum aditus, ſi quos reperiunt occluſos *Thuan. l. 37. Strad. l. 5.*

Sæcul. XVI A.C 1566

cluſos, illico effringunt: aras evertunt, Cælitum ſigna deturbant, ſacras imagines diſcerpunt, & quidquid Deo, divisque dicatum vident, disjiciunt, proculcant, & comminuunt, atque plurima alia neſanda committunt: nec minori impietate deſæviunt Belgioli, eorumque nonnulli Brugis quoque eodem furore debacchari moliebantur: aſt a regio urbis Prætore, qui portas occludi jusſerat, præpediti ſunt: in Gueldria vero, ubi Mega Comes Gubernatorem agebat, primarii Noviomagenſium cives Ludovici cujusdam excucullati, & Calvini doctrinam amplexi, qui aliquot conciones in oppido prope Judæorum cæmeterium habuerat, audacia erant offenſi, hinc ad Joannitarum portam conveniunt, ut de Ludovico illo expellendo conſultarent, verum reluctantibus plerisque re irrita diſceſſum eſt: ſed nusquam majore rabie, quam Antverpiæ bellum contra ſacras Imagines concitatum exarſit; cum enim Beatisſimæ Virginis ad cælos aſſumptæ imago feſtiva ſupplicatione per urbem deferretur, procaciores aliquot ex opificum plebe ſacram pompam cachinnis, ac ſibilis primum illudere, dein impie inverecundi ipſam Dei Matris effigiem ludicris ſalutationibus, ac obſcœnis verborum contumeliis inceſſere, & manus

nus sacrilegas inferre ausi fuissent, nisi criminis atrocitatem ad majorem sævitiam protendi illi, qui supplicationem procurabant, veriti simulacrum non in medio, ut assolet, templo locassent, sed in Ecclesiæ Chorum propere intulissent: at postero die rursus sacrilega hæreticorum rabies recruduit; quippe plures accurrebant ad idem templum, ac ludibundi alii ante Sacellum Virginis petulanter interrogant, quo illa metu tam mature se in nidum suum recepisset: alii vero totum percurrunt templum, arisque, & imaginibus minantur, ac quicquid eorum manibus occurrebat, immani furore confringunt: nec minus ex illis unus suggestu conscenso, postquam Concionatorum verba, ac gestus modis risu dignis sannio impurus expressisset, postulato utroque sacrarum literarum volumine, Catholicos Sacerdotes in certamen provocabat: ast Catholicus quidam nauta indignatus hominis insolentiam, e latere suggestus irrupit, ac scurram complexus, ut prævalidis erat viribus, humi allisit: sed ipse nauta gliscente rixa, intentas in se multorum manus declinans, in brachio plumbea pila trajectus est: die autem vigesima prima Augusti auctæ horum furentium catervæ Cathedralem Ecclesiam occultatis armis ingrediun-

Sæcul. XVI. A C. 1566.

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

diuntur, atque expectato vespertinarum precum fine, inconditis vocibus unaomnes conclamant: *Vivant Gheusii.*

§. CXIV.

Cathedralis Antverpiensis Ecclesia ab hæreticis occupata.

Strad. & Thuan. l. c.

Hujus Urbis Prætor, qui ad turbam componendam accurrerat cum aliquot apparitoribus, efficere haud potuit, quin hæretici, digrediente populo, ac tumultum declinante, clausis interea valvis victores templum soli obtinerent: ergo ubi se loco potitos vident, audita hora diei ultima, addentibusque animum tenebris, ab eorum aliquo Maroti psalmus inchoatur ad Genevensium modos, eoque veluti classico una omnes excitantur, atque in Dei Matris effigiem, inque Christi Domini, Beatæ Virginis, Sanctorumque imagines emota mente impetum faciunt, ac alias deturbant ad terram, proculcantque, aliis vero gladios in latus infigunt, atque aliis securi caput abscindunt, tanta in scelere concordia, ut antea inter se operas partiti viderentur: nam meretriculæ, vulgare ganeonum, prædonumque consortium, sumptis e proximis aris, atque e Sacrario cereis prælucebant operantibus viris: virorum autem alii in aras insilientes

sacra

sacra inde vasa projiciunt, tabulas di- Sæcul. XVI.
lacerant, pictos ubique parietes fœde A.C. 1566.
conspurcant, simul alii scalis conscensis organorum molem sane pulcherrimam confringunt, sanctorumque imagines comminuunt: quinimo etiam ausi sunt in sacram panis cœlestis arcam inferre pollutas manus, detractumque inde Sacrosanctum Domini Corpus, adoratum illud, formidatumque Cælitibus Numen pedibus subjiciunt mortales impurissimi: cum autem eadem sacrilega impietate ceteras quoque Antverpienses Ecclesias profanare pergerent, cives domibus quoque suis vim inferri veriti, sese ibidem includebant, Moniales vero ad suos parentes confugiebant: postquam ergo inhumana hæc Sacrorum deprædatio solidum triduum tenebat, tandem cives sumptis armis hasce furias urbe expulerunt.

§. CXV.

Gubernatrix convocato Senatu hisce malis opem allatura.

Antverpensium exemplum Sylva-Ducenses, Gandavenses, Velentiniani, Audomaropolitani, Tornacenses, & Mechlinienses Guesii sequebantur, ac demum eadem labes universas ferme Belgii urbes infecerat: itaque Gubernatrix cum ex omni parte Sacrorum popu-

Sæcul. XVI. A C. 1566.

populationem audiret, nec minus futurorum metu anxia, quam præsentium mœrore consternata esset, propere Senatum convocat, eique tantam hæreticorum sævitiam exponit: equidem Comites Mansfeldius, Arembergius, & Barlamontius, fidissimi quique in Regis obsequium obtulere peralacriter operam suam: Egmontius vero Comes, Oranius Princeps, Comes Hornanus, aliique complures adversus arma disseruere, existimantes, periculum esse, ut vi, armisque plusquam quindecim hæreticorum tunc Bruxellis agentium millia magis irritentur: tandem vero favente hac opinionum dissensione a Senatu decretum, ut oblivionem præteritorum, securitatemque in posterum Gubernatrix offerret, si modo fœderis chyrographum, quod compromissum vocabant, ipsi antea comburerent, seque Catholicæ Religionis cultores, ac fidos Regis subditos perpetuo futuros pollicerentur.

§. CXVI.

Gubernatrix Bruxellis abire cogitans, sed præpedita.

Thuan. l. 40. Strad. l. 5.

Gubernatrix, quid decerneret, ignara, præfatam decisionem exequi, nimium retardabat, hac autem mora hæreticis ad novas violentias spatium indul-

indulgere videbatur, unde ob illorum minas Montes-Hanoniæ clam auffugere conſtituit, quamvis vero bina jam vice Bruxellenſibus civibus hanc fugam diſſuadentibus, hoc conſilium exequi tentaret, ſemper tamen præpediebatur, eoquod ſui animi propoſitum opportune fuiſſet detectum: tandem ſuperante jam metu ad extremam redacta neceſſitatem Fœderatis petitam ſeditionis veniam, ſecuritatemque indulſit, reliquis vero poteſtatem fecit Præconum ſuorum conciones adeundi in iis tantummodo locis, in quibus hucusque habitæ fuerant, dummodo inermes, nec infeſti Catholicis convenirent, ita ut hæc duo tamdiu permiſſa cenſeantur, quamdiu Rex eadem conceſſa voluerit. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. CXVII.

Mansfeldius Comes Bruxellenſis urbis Præfectus ab eadem nominatus.

Poſtea Gubernatrix Comitem Mansfeldium, qui Bruxellas vicario munere gubernaret, nominavit, atque in urbem nova equitum, ac peditum præſidia advocavit, armataque aula, nihil omiſit ad ſui ipſius, Urbisque cuſtodiam, ac ſecuritatem: inſuper civium Senatum haberi juſſit, cui etiam Orangius Princeps unacum Egmontio, & *Thuan. & Strad. l. c.*

Sæcul. XVI. A C. 1566.

Hochstrato Comitibus intererat, qui unaomnes fidem fecere, quod Gubernatrix in urbe Bruxellensi permanere velit, ea tamen lege, ut diligenter caveant, ne conciones in urbe habeantur, aut vis templis inferatur: præterea rogabat, ac præcipiebat Gubernatrix, ut Mansfeldio in omnibus obediant: quod cum cives se facturos spopondissent, fidemque obstrinxissent, vehementi metu suo paululum liberabatur: at mox majore pavore consternatur, nuntio secreto allato, quod ab Oranio Antverpiam reverso potestas esset facta hæreticis, conciones in Urbe habendi, reliquosque Lutheri, & Calvini ritus celebrandi, tribus propterea locis attributis: idem quoque Hochstratus, & Hornanus, seu Hornius Comites, ac prior quidem Mechliniæ, & alter Tornaci, concesserunt: cum autem nec his quoque indulgentiis hæreticorum furor Antverpiæ, Amstellodami, & Delphis sedari posset, hinc Gubernatrix Regem, ut in Belgium contenderet, vehementer urgebat.

§. CXVIII.

Gubernatrix ab Hispaniæ Rege milites conscribere jussa.

Tandem Philippus crebris adeo sollicitationibus expugnatus datis literis Sorori suæ præcepit, ut tria millia equi-

equitum, peditum vero decem millia conscribenda curaret in Germania, eosque milites duorum mensium stipendiis solutis, paratos habeat, usquedum accersendi sint in Belgium. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

Postea Nobiles hisce copiis præficiendos Rex nominabat, simulque pro singulis literas delati muneris testes Gubernatrici mittebat, præter trecenta nummum aureorum millia, quos illa dividere jubebatur partim in hosce militum Ductores, partim in alios, si aut plures, aut alii istorum nominatorum loco seligendi videantur, in quem usum aliquot Syngraphas Regio nomine munitas adjungit: denique ne quis Germanorum Principum eum copiarum apparatum secus interpretaretur, ad illos quoque consilii sui rationem scribit, missis gubernatrici literis: præcipue vero Maximilianum II. Cæsarem epistola, & verbis sui apud illum oratoris rem ipsam docet, rogatque pro ea, quæ inter illos intercedit, amoris, sanguinisque conjunctione, ut juvet authoritate sua eum militum, Ducumque delectum. Ast Cæsar, quia inaudierat, inter Gubernatricem, & Nobiles fœderatos jam de pace convenisse, laudato consilio arma tamen, delectumque dissuasit: nam semetipsum in hisce dissidiis pacis conciliatorem Guberna-

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

trici offerre videbatur: cum autem Imperator eo jam esse ventum cerneret, ut cum armata factione nihil absque armis tuto componi possit, tandem omnibus Regis Hispaniæ petitis concessit, ac edicto hanc in rem promulgato, impositaque capitis pœna vetuit, ne quis Germanorum militatum iret adversus Hispaniæ Regem: præterea Trevirensis, & Moguntinus Electores copias adversus rebelles conducendi consilium approbabant, seque operam quoque suam collaturos spondebant, nec minus id rescribebant Catholici Germaniæ Episcopi: inter ceteros vero Principes Bavariæ Dux majori Religionis studio accensus ipsum quoque Regem sollicitabat, nequid in ea occasione omitteret: ast a Confessionis Augustanæ Principibus longe contraria scribebantur; nam & Hassiæ Landgravius, & Dux Wirtembergensis excusata Religione, qua Belgis eandem profitentibus nocere impediebantur, Gubernatricem hortati sunt, ut eadem depositis armis ab Augustana Confessione, atque a conscientiæ libertate remedium unice quæreret: omnium tamen confidentissimus plurimis sane verbis scripsit Palatinus Comes, Fridericus tertius, qui se novi Evangelii tutorem per Germaniam venditabat, nec enim

solum

solum Belgarum causſam apud Gubernatricem egit, atque eorundem innocentiam commendavit, sed insuper Romanum Pontificem, cultumque sacrarum imaginum, & Inquisitorum Tyrannidem execratus denique concluſit, obstringi se Religione, quo minus fratribus suis confessionem Augustanam, purumque Dei verbum sectantibus adversaretur: Ceterum Galliarum Rex ad Gubernatricis preces edictum promulgat, ne quis suorum armis tueretur rebellium Belgarum partes: eapropter Philippus plenas gratiarum literas ad eundem dedit, simulque Sorori suæ scripsit, quod rebus suis Madriti compositis in Belgium profecturus esset. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. CXIX.

Fœderati Teneramundæ circa Hispaniæ Regis adventum deliberantes.

Turbatis hoc nuntio Fœderatorum animis Princeps Oranius, Ludovicus Nassovius ejus frater, Comites Egmontius, Hochstratanus, Hornanusque Teneramundam quandam inter Antverpiam, & Gandavum urbem venere, ibi quid singuli de adventu Regis accepissent, communicaturi, capturique inde de rei summa consilium, porro *Thuan. & Strad. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

inter varia, quæ in hoc conventu pro impediendo Philippi cum copiis adventu proponebantur, consilia nonnulli censebant, implorandam esse Regis clementiam: alii vero opinabantur, patriam esse relinquendam, ejusque partem Victoribus cedendam, denique alii contendebant, novum in patriam Principem, sub quo tuti viverent, inducendum, hocque postremum consilium fore optimum putabant; cum enim Maximilianus Imperator operam suam obtulisset componendis hisce discordiis, ideo sub obtentu ejus arbitrium deposcendi, clam interim agi posse existimabant, ut in Cæsaris manus hæ demum provinciæ devolvantur, præsertim eoquod exinde non exponerentur contumaciæ probro, cum non abigerent a se Dominum, sed mutarent in alium non extra domum Austriacam quæsitum: insuper id inde commodi secuturum sperabant, ut aut novum Principem sponte accersitum demereantur, aut si forte res successu careat, conatus ipse Cæsarem Belgis devincturus, eorumque patrocinium apud Philippum Regem nunquam ille deserturus sit.

Tandem concludum, curas eo esse intendendas, ut Cæsar Hispaniæ Regis adventum in Belgium præpediret.

§. CXX.

§. CXX.

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

Solemne Fœderatorum juramentum.

Rebus ita consultatis tandem Fœderati ad arma conclamare decreverunt, atque ex illis Nobiles cum mercatoribus, reliquisque plebeis hæresi imbutis solemni utrinque Sacramento conspirarunt, in hunc modum: ut Nobiles istorum patrocinium susciperent adversus omnes, qui libertatem Religionis oppugnatum irent: Mercatores vero pecuniam illis, operamque pro communi securitate subministrarent: ne autem sectarum varietate distraherentur hæretici, Ludovicus Nassovius egit per literas cum Antverpianis eos adhortans, ut depositis parumper, usquedum res firmarentur, privatis de Religione sententiis, in Augustanam Confessionem concederent omnes, cum sic foret, ut imperii Electores, qui eam profitentur, ipsorum caussam impense agerent apud Cæsarem, & Germani milites non facile in Belgas ejusdem Religionis socios arma sumerent. *Strada l. c.*

§. CXXI.

Hæreticorum Antverpiensium consilia pro defensione.

Hæ literæ sperato successu haud caruere, quippe Antverpienses hæ- *Strad. l. c.*

Sæcul. XVI. A.C.1566.

retici datis Genevam literis, exploratoque Theodori Bezæ consilio, probatisque ab eo hisce Religionis induciis, novæ professionis formulam Augustanæ similem concepere, ut eam Cæsari in proximis Comitiis offerrent, una cum supplici libello, quo ejus apud Regem operam, ac patrocinium exorabant, præterea ut vocant *consistoria*, seu Senatus, ac cœtus, multis in urbibus, sicuti jam Antverpiæ cœperant, instituerunt, creatis Magistratibus, Senatoribusque, quorum consiliis universa hæreticorum societas regeretur, ita tamen, ut eadem statuta sua antea cum Antverpiana Curia, quam esse principem voluere, communicarentur: insuper initum ad hæc fœdus cum Palatino Septemviro, reliquisque Germaniæ hæreticis Principibus, infensis Austriacæ domus hostibus: quinimo Comes Meganus Gubernatricem clam edocuit, quod in Saxonia mille, ac ducenti equites jam Principis Orangii jussu, jam conscriberentur. Eodem tempore secretis ex Francia literis admonebatur Gubernatrix, quod Hugonotæ in Galliis, Caspare Colinio turbatore, de ope Belgis afferenda consilium inierint, ac decem equitum, & triginta peditum vexilla Belgis submittere decreverint, ita tamen, ut

hæ

hæ copiæ in Germania contraherentur, eoquod Carolus IX. prohibuisset, ne hujusmodi delectus in Gallia haberentur. Præterea circa hoc idem tempus etiam ab Urbe Constantinopolitana allatæ perlectæ sunt in Antwerpiensi fœderatorum Senatu literæ Joannis Michesii, seu Muchi Judæi hominis præpotentis, ac Turcarum Imperatori Selimo II. familiarissimi, quibus ille Calvinianos Antverpienses hortabatur, animabatque, ut quoad eam, quam fortiter inierant, conspirationem adversus Catholicos exequendam festinarent, eoquod Turcarum Imperator consilia haud negligenda foveret erga Christianum nomen, brevique Othomanicis armis adeo implicandus esset Philippus Hispaniæ Rex, ut de Belgis ne cogitaturus quidem foret. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. CXXII.

Hæreticorum libellus supplex per Hochstratum Gubernatrici porrectus.

Hoc nuntio Fœderati auctis animis in Antverpiensi Senatu decreverunt, ut nunc, cum certa jam adesset firmandæ factionis occasio, ab universa Societate, quanta posset, plurima pecunia conflaretur, ad subitaneos rerum eventus: porro idipsum summa contentione cœptum est agi eo tempo- *Strad. l. 5.*

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

re, quo a Comite Hochstratano, qui præerat Antverpiæ pro Oranio, missus est ad Margaritam libellus eidem Comiti ab ejus civitatis hæreticis traditus, quo sibi, ceterisque per Belgium Sociis poscebant facultatem, sectas suas sine fraude cujusdam libere exercendi: propterea autem offerebant Regi tricies centena florenorum millia, quamvis multi crederent, tantam pecuniæ summam nonnisi specietenus eo fine fuisse oblatam, ut minore suspicione huc, atque illuc erogandæ pecuniæ caussa commeare, ac fallere possent interea Hispanum ea summa facile alliciendum: præterea nonnullorum erat opinio, conjuratorum multos libentius ad impetrandam Religionis libertatem, quam bella gerenda pecunias soluturos, nisi forte ingens illa pecunia plane ad ostentandas partium vires oblata fuerit: ideo enim complura hujus libelli exemplaria per Belgium evulgata sunt, adscriptis nobilium, mercatorumque nominibus, qui se persolvendæ certæ pecuniæ offerebant, ut hac ratione amplam factioni famam conciliarent, Gubernatricemque tantæ metu potentiæ deterrerent: sed illa nihil inanis pecuniæ sonitum morata, ne responso quidem Hochstratanum dignata est, libellum vero ipsum Regi transmisit, ut pluri-

pluribus ejusmodi irritationibus incitaret ejusdem moram, eumque eo induceret, quatenus haud amplius suppetias mittere cunctaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. CXXIII.

Gubernatricis studium circa dissidia inter Fœderatos conflanda.

Interea Gubernatrix eorum, quæ in his congressibus agitata sunt, haud ignara opportune animadvertebat, quod ob rumorem de proximo Regis adventu in Belgium aliqui ex conjuratis timidius agerent, hinc in artificio consilium esse quærendum existimabat, ut hac ratione hos sibi penitus devincire posset: itaque missis ad eos literis benevolentiæ, ac fiduciæ plenis, promissa adjecit, quibus quosdam privatos ad sua studia sollicitare conabatur, atque ad aliquos etiam, quos sciebat Religioni haud infensos, Syngraphas dedit ex earum numero, quas illa apud se habebat Regis nomine subscriptas, ac numerandæ pecuniæ fide munitas, easque verbis composuit tempori accomodatis, eos adhortans ad propugnandam Religionis causam, populosque in pristina obedientia, modestiaque continendos: has vero ita singulis tradi curavit, ut alios, qui ejusmodi literas non acceperunt, id non omnino lateret, sicque inter *Strada l. 3.*

Sæcul. XVI. A.C 1566.

inter eos ſuſpicio, atque abalienatio ſuborirentur. Sub idem tempus percommodum accidit, quod Gubernatrix acciperet a Rege literas aliquot ipſius manu exarratas ad Oranium Principem, ac nonnullos Belgii Proceres benevolentiæ ſignis refertas, quas mox typis edi, evulgarique juſſit: ex quibus omnibus factum eſt, ut conjuratorum multi omiſſis fœderatorum cœtibus, aut in domos ſuas redirent, nonniſi privata ſua negotia curaturi, aut accederent Gubernatricis partibus, & gratiam Principis promererentur, quam indignationem experiri mallent, cum ad id partim metus, ne a Proceribus in ſuis conſiliis nutare incipientibus deſererentur, eos adigeret, partim etiam ſpes, cujus pleni erant, eoquod præcipue ſe honoratos a Rege, atque appellatos cernerent, eosdem animaret, ſimulque induceret aliorum offenſio, quibus ſe ſuſpectos, atque inviſos facile opinabantur.

§. CXXIV.

Ejusdem conſilium de reprimenda ſeditioſorum audacia.

Hac Fœderatorum diſſenſione erigebatur Gubernatrix, animoque ſtatuebat, vim, extremaque adhibere omnia ad ſeditioſorum contumaciam ſerio profli-

profligandam, ut vero rite caperet a Deo principium, ad civitatum omnium, rerumque sacrarum Antistites, Regis nomine literas misit, ut jejuniis, ac supplicationibus, aliisque piis operibus cœlestem iram placarent, clementiamque divini Numinis implorarent: insuper etiam Nuntium in Gallias ad Franciscum Alavam Hispani Regis Oratorem, & ad Cæsarem in Germaniam ablegabat, ut illi, quid Hugonottæ pararent, indicaret, hunc vero, quid Belgæ petituri sint in comitiis, quidve Septemviri Augustus Saxoniæ Dux, & Fridericus Palatinus minentur, admoneret. Porro ad Cæsarem quidem se iturum Mansfeldius Comes Gubernatrici obtulerat, pollicitus, remoturum se Saxoniæ Electorem ab ea mente, aut certe a facultate nocendi, ac propterea se intra ipsius ditionem bellum intestinum suscitaturum, ut arma in alienas terras inferre præpediatur: at quoniam Mansfeldii Comitis præsentia tunc minime carere poterat Gubernatrix, satis habuit laudare illius consilium, illudque, & promptum ejus animum Regi significare pollicebatur, interim hunc Comitem penes se retinuit. Postea militum numerus in Provinciis augebatur, illarumque Præfecti majori præsidio firmati ad eas remittebantur, ipsa

Sæc. XVI. A.C. 1565.

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

ipsa vero Gubernatrix promulgabat edictum, quo severas contumacibus pœnas irrogabat, hujusque legis exemplar ad Regem mittens scribebat, illam a se ea ratione conceptam, eoquod hæreticorum ausus plane detestandi hanc severitatem deposcerent: de cetero significabat, eos, qui adfuissent in secretiori Senatu, consensisse omnes præter Egmontium Comitem, qui edictum illud concitandis ad arma Belgarum populis, classicum haud dubie futurum affirmasset.

§. CXXV.

Brederodius copias conscribere jussus.

Strad. l. 5.

Enimvero ea, quæ Egmontius prædixerat, revera contingebant; quippe armorum consilia ubique fervebant, eoque ex tempore frequentior erat ad eorum conciliabula concursus, magisque sollicite, ac circumspecte conventus habebantur: tandem etiam, si Gubernatrix vim adhibere meditaretur, arma palam capessere, militesque ex Palatinatu, præcipue vero eos, quos Palatinus offerebat, conscribere decretum est. Hujus rei cura Henrico Brederodo commissum, oblataque ei fuerunt nomina Antverpiensium mercatorum tantæ pecuniæ summam pollicentium, quanta contrahendis militibus satis foret:

ret: Brederodus igitur nihil cunctatus, qui has pecunias exigerent, nominat, & Philippum Marnixium a ſancta Aldegunde quæſtorem creat. Dein cum Auguſto Saxonum Duce agendi munus in ſe ſuſcepit Ludovicus Naſſavius: cum vero ob bellum, quod in hoc Ducatu fervebat, prompti auxilii exigua Fœderatis ſpes ſupereſſet, hinc illi Bredam Oranii Principis urbem convenire cogebantur, ubi tria hæc potiſſimum fuere decreta. I. Egmontius Comes tranſmiſſis ad eum literis ad fœderatorum partes pertrahatur. II. Novo libello rerum geſtarum ratio Gubernatrici reddatur. III, Interea tamen ea, qua poſſet, celeritate milites ex ipſis Belgarum Provinciis contrahantur. Sæcul. XVI. A.C. 1566.

§. CXXVI.

Fœderatorum libellus ad Gubernatricem miſſus.

Hoc decretum ut effectui darent Oranius Princeps, Hochſtratus Comes, & Brederodus communi nomine epiſtolam ad Egmontium Comitem dedere, orantes, ut fœderi nomen ſuum adderet: hac enim nova conſpiratione ſociati pollicebantur, effecturos ſe, ut hæreticorum conciones toto Belgio conticeſcerent, quo facto, aut Regi occaſio- *Strad. & Thu. l. c.*

Sæcul. XVI. A. C. 1566.

casionem sese adempturos Belgium cum exercitu adeundi, aut, si nihilominus quamquam compositis rebus armatus in Provincias Rex pergeret, jure se operam, viresque conjuncturos, ut intercluso Regi aditu patriam haberent integram. Sub idem tempus Brederodus denuo supplicem fœderatorum libellum oblaturus petiit a Gubernatrice facultatem, fidemque publicam veniendi Bruxellas cum quadraginta equitum comitatu: cum autem id impetrare haud posset, ad Gubernatricem mittere statuit illum libellum, in quo continebantur Nobilium hæreticorum querelæ, eoquod adversus eos arma pararentur, etiamsi pro exarmandis populis, sedandisque tumultibus multum laborassent: insuper ibidem in has prorumpebant querelas: „nos ab „urbibus arcemur, atque in agris ob„servamur, necnon ubique uti hostes „habemur, quæ omnia cum fidei, di„gnitatique nostræ, ac populorum tran„quillitati adversentur, oramus vestram „Celsitudinem, atque obsecramus, ut e„tiam, quemadmodum obsignatis literis „fidem ipsa suam obligaverat, ac fœde„ratis securitatem asseruerat, populis „conciones, atque ea, quæ sunt concio„nibus adnexa, permittat, nam his nos „fore contentos promisimus, si ipsa, uti „suppli-

„ſupplices rogamus, milites nuper con- Sæcul. XVI.
„tractos dimiſerit, & edicta pactis con- A. C. 1566.
„traria revocaverit: hac enim ratione
„adeo nos Regi, ejusque Celſitudini
„erimus obſtricti, ut fortunas noſtras,
„ac vitam ipſam utriusque dignitati
„poſthabituri ſimus: ſecus vero præ-
„videmus animo magnam populorum
„cædem, imminentemque patriæ rui-
„nam, quam prædixiſſe, & quantum in
„nobis fuerit, avertiſſe, ſatis nobis eſt:
„interim quamvis hæc mala nobis
„juſtam inferant afflictionem, id
„ſaltem ſolatii nobis erit reliquum,
„quod nulla nobis culpa imputari
„potuerit.„

§. CXXVII.

Reſponſum ad hunc libellum.

Hoc poſtulatum Gubernatrix in ſecretiori Senatu recitavit, paucisque poſt diebus communicatum cum eisdem Senatoribus reſponſum Brederodo miſit, in quo hæc exponebantur: „Mente non aſſequor, qui Nobiles ſint „ii, quique populus Belgarum, quo- „rum nomine hæ literæ fuerunt miſſæ, „cum plerique eorum Nobilium, qui „Aprili menſe ſupplicarunt, non modo „ſatisfactum jam ſibi conteſtentur, ſed „etiam quotidie operam ſuam Regi „oblatum veniant: porro Conciones a

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

„me tantummodo fuerunt permissæ, „idque animo sat repugnante, nec ta„men unquam potestatem feci, Eccle„siasticos Senatus instituendi, creandi „Magistratus, tributa imperandi, cor„rogandique super vicies centena flore„norum millia, catholicorum, hæreti„corumque matrimonia, atque adeo „successiones, honoresque confundendi, „minus vero permiseram Calvinianas „cœnas, & quotidianos cœtus, in quo„rum plerisque cum Principis, & Magi„stratuum auctoritati palam derogetur, „ac nova paulatim Respublica induca„tur, ipsimet perpendite, quam verisimi„le sit, quod hæc, quæ tamen vos tan„quam cœremonias Religionis inter„pretamini, tanta cum divinæ Majesta„tis, & Regis injuria peragi indulserim: „securitati ecquidem vestræ cautum a „me fuit, cautioque servata, ac servan„da etiamnum, non tamen in iis, quæ „adversus Religionem, ac Regem per„petrantur: de cetero cur vos, qui vio„latam fidem queri non abhorretis, si„lentio transmittitis, post acta, con„ventaque Augusto mense, nihilominus „tam multa perfide, ac sacrilege pa„trata, templa direpta, eaque ejectis „inde Religiosis familiis occupata, con„ciones advocatis aliunde hæresum „buccinatoribus, eo, ubi auditæ antea

„non

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

„non fuerant, vi, atque armis inductas, „urbes, atque provincias ad seditionem, „defectionemque literis, aut per emis„sarios sollicitatas, aliaque, quorum „authores fuistis vos ipsimet, qui nunc „supplicare audetis? vestro nimirum „patrocinio populus ausus est tormen„ta bellica, munitionesque Regis in„vadere, Principis administros expel„lere, exercitus conducere, atque ad „tympanorum sonitum in aciem pro„dire: cœnobia, ædesque nobilium fer„ro, flammaque vastare, urbes occupa„re, Catholicos omnes, ne me quidem „excepta, ad cædem designare, ingen„temque universo Belgio cladem oc„culte moliri, nisi interceptis nefario„rum literis ad Valencenales, execran„dis adeo consiliis divina bonitas in„terceſſisset. Porro ex his omnibus „ipsimet intelligere potestis, quam im„portune postuletis, ut abrogentur e„dicta, ac milites exauthorentur, sicque „exarmata in hunc modum justitia im„proborum injuriis, ac contemptibus in„feliciter exponatur: ast neutrum, ne „vos ignoretis, me facturam palam „profiteor, imo potius novis, si opus fue„rit, legibus, atque militibus firmabo in„de Rempublicam, gladiumque, quem „portare Principes voluit Deus, hoc „maxime tempore non deponam. Sua„deo

Sæcul. XVI. A.C. 1566.

„deo itaque vobis, ut a publicis cer-
„te negotiis abſtineatis, ac res quisque
„ex vobis ſuas in poſterum curet: ne
„Regem brevi affuturum ingenitæ be-
„nignitatis, ac clementiæ oblivisci co-
„gatis: omni equidem ope curabo, ne
„illam, quam vos comminamini, rui-
„nam per hoſce vulgi tumultus, ac po-
„puli ſeditiones Belgium patiatur,„

Hæc Gubernatricis reſponſio
mox typis vulgata
prodiit.

INDEX

INDEX
TOMI XLVII.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

A.

Abbates & Monaſteriorum ſuperiores, edictum pro illorum electione. Pag. 106.
Abid-Jebu Armenorum Patriarcha Pontificis obſequium profitetur. 323.
Acclamationes ad finem Tridentini Concilii factæ. 177.
Accoltius Benedictus in Pium IV. cum aliis conſpirat, 370. capite damnatur. 371.
Ætas pro Canonicis præſcribitur, 40. pro Abbatiſſis, 106. ad Religioſam Profeſſionem requiſita. 117.
Affinitas ſpiritualis, gradus ſtatuuntur in matrimoniis, 13. agitur de affinitate ex fornicatione. 15.
Albertus Bavariæ Dux calicis uſum petit,

273. ad coercendos hæreticos in Belgio concurrit. 378.
Albreta Joanna Navarræ Regina a Franciæ Rege defenditur, 326. anathemate solvitur. 329.
Alciatus Franciscus Mediolanensis creatur Cardinalis a Pio IV. 380.
Alesius Alexander hæreticus Scriptor, ejus obitus & opera. 430.
Alexandrinus Cardinalis in Papam sub nomine Pii V. eligitur. 417.
Althempsius Annibal Pii IV. Nepos Romanæ militiæ Præfectus a Papa constituitur. 374.
Ambasianum edictum de pace cum Calvinistis ineunda. 198.
Annus in Galliis a Mense Januario computari incipit. 330.
Antinorus a Papa in Gallias pro recipiendo Tridentino Concilio ablegatur. 271.
Antitrinitarii Morlasiense Conciliabulum celebrant, 232, disputationem cum Calvinistis in Polonia habent, 491. re infecta discedunt, 496. de Baptismo parvulorum disputant. 498.
Antverpia ab Oranio Principe præsidio firmatur, 569. ibidem hæretici Ecclesiam occupant, ac devastant, 576. iniquis viis suam sectam stabilire nituntur, 58. Turcas contra Catholicos sollicitant. 58.
Aquilanus Episcopus Philippi II. Legatus in Angliam ab Elisabetha inique trucidatur. 219.

Arme-

Armeni, eorum Patriarcha Pontifici obsequium præstat. 323.
Augusta, ibidem comitia ob Tridentinam Synodum, & suppetias contra Turcas celebrantur, 525. illorum exitus. 531.
Aurelia, ibidem Guisius Dux trucidatur, 190. Calvinistæ ex hac urbe excedunt. 201.

B.

Bajus Michael perversa sua doctrina tumultus in Belgio concitat, 466. illius errores circa peccatum originale, 467. & operum merita, 474. necnon primævam hominis justitiam, 477. & circa virtutes impiorum. 478, ejus tractatus de Sacramentis, & Baptismo, 480. 481. circa confessionem a Franciscanis impugnatur, 482. propositiones ex ejus libris decerpuntur, 482. ejus propositiones a Facultate Parisina damnantur. 488.
Baptismus ab hæreticis collatus, 365. de Baptismo parvulorum disputatur inter Calvinistas & Antitrinitarios. 497.
Baronius Congregationis S. Philippi Nerii Alumnus. 321.
Bartholemæus de Martyribus Braccarensis Archiepiscopus in Tridentino Concilio articulum de frugali Episcoporum Mensa proponit, 77. agit, quomodo bona Ecclesiæ impendere oporteat, 77. refellit ea, quæ contra hanc vitam frugalem opponuntur. 78.
Begatus Joannes Divionensis Senator con-

tra diverſitatem Religionum perorat. p. 331.

Belgium, ſeditionem ibidem Calviniſtæ concitant, 457. 550. ibidem conjuratio conflatur, 551. 552. conjurati ſuam ſeditionem honeſtare nituntur, 552. 559. 560. conventum Trudonopoli agunt, 565. Gubernatrici libellum porrigunt, 563. 569. Regis adventum præpedire nituntur, 580.

Benedictini, eorum diſſidium cum Canonicis Regularibus circa præcedentiam componitur. 249.

Beneficia ſine pactis poſſideantur, 49. quando uniri valeant, 53. eorum locationes prohibentur, 152. Clericorum filiis conferri nequeunt. 158.

Bentivolius ob conſpirationem in jus vocatur. 376.

Bergen Maximilianus Cameraci Synodum celebrat, 404. ejus ſtatuta, 405.

Beza Theodorus trucidato Guiſio Genevam auffugit. 190.

Bibliander Theodorus hæreticus, ejus interitus, & opera. 358.

Bona Eccleſiaſtica alienata, in eorum favorem Franciæ Rex edictum promulgat. 208. 330.

Bobba Antonius a Pio IV. creatur Cardinalis. 378.

Boncompagnus Hugo a Pio IV. purpura decoratur, 378. de eo in Papam eligendo agitur. 415.

Bor-

Borhæus Martinus Scriptor hæreticus, ejus obitus, & opera. 356.
Borromæus Cardinalis Synodum absolvi urget, 80. eandem in Hispania recipi procurat, 247. ejus vitæ historia, 381. creatur Cardinalis, 383. ejus liberalitas, 384. ad monasterium sese recipere cogitat, 385. Roma Mediolanum revertitur, 387. Concilium Provinciale Mediolani celebrat, 388. ejus statuta, 389. Pontificis ægritudinem deplorat, 411. Moronum in Papam eligi desiderat, 413. aliis favet, 415. Alexandrini Cardinalis electionem promovet. 417.
Bozzutus Annibal a Pio IV. creatur Cardinalis, 378. ejus obitus & elogium. 429.
Brederodus Calvinista contra Inquisitionis Tribunal se opponit, 551. hæreticorum fautor in Belgio, 551. 559. copias contrahit, 58. salvum conductum petit, 58. repulsam fert. 59.
Brentius Joannes hæreticus ridiculo Maulbrunensi colloquio interest, 360. pro Lutheranis hujus conciliabuli acta mendaciis referta edit. 363. primus Ubiquistarum Auctor creditur. 363.
Breviarium emendari jubetur, 172. correctum edit Pius V. 521.

C.

Calvinus infelicem animam suam evomit, 353. hæretica ejusdem opera. 354.

Calviniſtæ crudeliter Catholicos divexant, 189 Guiſium Ducem trucidant, 190. de pace agi reſpuunt, 194, edictum in menſe Januario editum executioni mandari petunt, 194. 195. iniquas pacis conditiones proponunt, 196. alios articulos proponunt, 198. Aurelia excedunt, 201, contra Franciæ Regis edictum queruntur, 335. in vanum ſeſe cum Lutheranis conjungere nituntur, 360. utraque pars ſibi ridiculo plauſu victoriam adjudicat, 363. Juramenti formulæ ſubſcribere a Galliarum Rege jubentur, 433. rebellionem in Belgio concitant, 457. ſuæ ſeditionis cauſſam in Tridentini Concilii promulgationem rejicere nituntur, 458. cum Antitrinitariis in Polonia diſputant, 490. Myſterium SS. Trinitatis non niſi ex ſacris literis probare coacti ſuccumbunt, 492. 494. ad traditionem recurrere coguntur, 495. textus depravant, 495. hæc ridicula diſputatio re infecta diſſolvitur, 495. in ipſam Belgii adminiſtratricem ſeditionem movent, 550. ſe Gueſios nominant, 551. libellum ſupplicem Gubernatrici offerunt, 552. repulſam ferunt, 553. origo hujus nominis *Gueſii*, 554. in diſputatione cum Catholicis confunduntur, 545. Apamienſes Calviniſtæ ob interdicta conventicula crudeliter ſæviunt, 546. Jouſam Comitem urbis ſuæ ingreſſu prohibent, 547.

paciſcuntur cum Catholicis, 547. ad obſequium rediguntur, 548. nonnulli ob contumaciam plectuntur, 549. in Belgio mendaciorum ope ſeditionem promovent, 561. publice ſuos conventus agunt, 562. alium libellum Gubernatrici porrigunt, 563. conventiculum habent, 565. in Eccleſias deſæviunt, 571. 574. Vide *Lutherani.*

Cameracenſe Concilium, 404. illius ſtatuta. 405.

Camerarius Bartholomæus Scriptor ejus obitus & opera. 343.

Campegius Thomas Cardinalis hujus nominis Frater ſcriptor, ejus obitus & opera. 344. 349.

Canonici, de eorum qualitatibus, atque officiis in Synodo Tridentina agitur, 40. ætas præſcribitur, 43. 44. eorum diſſidium cum Benedictinis circa præcedentiam componitur, 249. Halberſtatenſes ſe novæ ſectæ opponunt. 534.

Capitula Sede vacante quam poteſtatem habeant, 51, exempta quomodo viſitentur. 138.

Capuccini proprium nihil poſſident. 100.

Caraffa Alphonſus Cardinalis, & Neapolitanus Archiepiſcopus, ejus vitæ hiſtoria & obitus, 423. a Pio IV. in arce Sancti Angeli incluſus. 424.

Cardinales: de eorum creatione in Synodo Tridentina agitur, 22. item de eorum refor-

reformatione, 128. a Pio IV. creantur 377.

Carolus IX. Franciæ Rex pacem cum Calviniſtis initam a Pariſienſi Senatu ratam haberi petit, 200. Gratiæ portum ſibi ab Anglis tradi poſtulat, 203. tutellam egreſſus declaratur, 204. 208. Eccleſiaſticis decimarum jura aſſerit, 208. decreto de Regis majoritate Pariſienſe Parlamentum obſiſtit, 208. Regis reſponſum ad illius Deputatos, 208. libros abſque ſua approbatione imprimi prohibet, 210. Parochos a publicis oneribus eximit, 211, Synodum recipere ab Hiſpaniæ Rege fruſtra ſollicitatur, 258. 259. hæreticam Navarræ Reginam defendit, 327. bona alienata Eccleſiaſticorum redimi jubet, 330. religionis Catholicæ uſum tuetur, 332. juramenti formulam Calviniſtis præſcribit, 433. querelas ſuorum ſubditorum excipit, 537. de Guiſiorum reconciliatione cum Coliniis Deo grates rependit, 544. Apamienſes Calviniſtas rebelles coercet, 547. 549.

Carpius Cardinalis, moritur, ejus vitæ Hiſtoria atque elogium. 336.

Caſtallion Sebaſtianus Hæreticus Scriptor ejus interitus, 224. illius verſiones ſacræ Scripturæ, 225. alia ejusdem opera. 227.

Caſtillionæus Cardinalis Apoſtata ob petulantiam notatur. 207. Bellovacenſis Epiſcopus tanquam contumax in Rhemenſi Concilio damnatur, 403. Jeſuitis obſiſtit. 439.

Caſtillionæus Franciſcus Mediolanenſis a Pio IV. creatur Cardinalis. 379.

Catharina Medicæa Franciæ Regina Wirtembergenſem Ducem in Franciam advocare nititur, 192. de pace cum Calviniſtis ineunda agit, 194. Gratiæ portum recuperat, 202. Regni adminiſtrationem abdicat, 206. Pariſienſe edictum vilipendit, 209. pro Navarræ Regina intercedit, 329.

Catechiſmus a Tridentini Concilii Patribus edi jubetur. 172.

Cauſſæ jurisdictionis Eccleſiaſticæ, 33. quomodo in tribunali Eccleſiaſtico inſtituendæ. 62.

Cenſuræ etiam a Regularibus publicentur. 115.

Ceſius Fridericus Cardinalis ejus hiſtoria & obitus. 419.

Chemnitius Tridentinum Concilium impugnat, ſed refellitur. 273.

Chios Inſula a Turcis expugnatur, 524 Chriſtianorum conſtantia & Martyrium 525.

Clauſura Monialium exacte ſervetur. 103.

Colinius Architalaſſus Calviniſta Catholicos dire divexat, 189, pacem Amboſianam

sianam præpedire nititur, 200. Colini cum Guisiis reconciliantur. 543.
Columna Marcus Antonius Romanus a Pio IV. creatur Cardinalis. 378.
Commendonus Ochinum e Polonia ejici procurat, 236. Polonos ad concordiam reducere nititur, 285. Synodum Nationalem ibidem impedit, 286. Tridentina decreta a Papa transmissa recipit, 288. eadem Regi tradit, 289. in pleno Senatu pro Synodi promulgatione perorat, 290. Synodum promulgari obtinet, 296. 297. creatur Cardinalis, 379. ad Augustana comitia decernitur, 526. Tridentinum Concilium recipi urget, 526.
Communio sub utraque specie Germanis conceditur. 273, 276.
Concilia Provincialia sæpius celebrentur. 26.
Concilium Tridentinum Sessio XXIV. 1. agitur de Matrimonio, 3. Canones statuuntur, 5. prohibentur matrimonia clandestina, & Filiorum familias, 8, 20. gradus cognationis spiritualis statuuntur, 13. agitur de impedimento publicæ honestatis, 14. affinitatis ex fornicatione, 15. statuuntur pœnæ in eos, qui matrimonia in gradibus prohibitis ineunt, 15. necnon in raptores, 16. & concubinarios, 17. 155. agitur de raptoribus, 17. & de libertate & tempore ineundi Matrimonia, 19. hæc decreta

creta examinantur, 20. de reformatione, & inſtitutione Epiſcoporum & Cardinalium agitur, 22. de celebrandis Conciliis Provincialibus & Diœceſanis decretum conditur, 26. Epiſcopi ſuas Diœceſes luſtrare jubentur, 28. de Epiſcoporum officio circa prædicationem agitur, 31. item de cauſſis criminalibus Epiſcoporum, 33. necnon de eorum poteſtate diſpenſandi in irregularitatibus &c. 34. atque de illorum ſollicitudine erga ſuum gregem, 35. Pœnitentiarius inſtitui jubetur, 36. Eccleſiæ, quæ nullius Diœceſis ſunt, quomodo viſitandæ? 37. Epiſcoporum edicta in viſitationibus facta, effectui dentur, 37. Epiſcoporum jnra ſarta ſerventur, 38. Canonicorum qualitates & officia præſcribuntur, 40. de Eccleſiis, quæ reditibus carent, agitur, 45. jura in Beneficiorum poſſeſſionibus ſtabiliuntur, 49. præbendæ nimis tenues augeri præcipiuntur, 50. Capituli poteſtas Sede vacante decernitur, 51. de Beneficiorum unione agitur, 53. necnon de ſelectu & examine Parochorum, 55. item de gratiis exſpectativis, & reſervationibus, 60. quomodo cauſſæ in tribunali Eccleſiaſtico ſint-inſtituendæ, 62. quædam Seſſionis XVII. decreta magis explicantur, 65. examinantur atque approbantur, 66. 69. ſeſſio proxima indicitur, 69. quædam quæſtiones

ſtiones diſcutiuntur, 74. diſciplinæ. & dogmatum decreta examinantur, 75. Præſules novos articulos circa proventus Epiſcoporum, & decimas proponunt, 77. diverſæ Patrum ſententiæ de Epiſcoporum frugalitate, 77. futuræ Seſſionis decretis ultima manus admovetur, 81. Seſſio XXV. ſeu nona ſub Pio IV. 86. decretum de Purgatorio conditur, 89. necnon de invocatione Sanctorum, ſacris imaginibus, & reliquiis 90. agitur de reformatione Regularium & Monialium, 96. Religioſi ad vitæ perfectionem admonentur, 97. quinam proprium poſſidere valeant, 98. 99. 101. Religioſis exitus e conventu prohibetur, 102. Synodus clauſuram Monialibus præcipit, 103. de earum ſuperioribus agit, 105. item de Monaſteriorum viſitatione, 107. 111. ac Monialium Confeſſariis, 113. decreta conduntur de Parochis Religioſis, 114. de cenſuris & præcedentia, 115. item de puniendis Regularibus, de Novitiis, & profeſſione, 116. 117. Moniales Novitiæ examinentur, 119. agitur de libertate Profeſſionis, 120. & reclamantibus contra illam, 122. necnon de viſitatione Monaſteriorum, 123. conditur decretum de reformatione Cardinalium & Præſulum, 128. necnon de excommunicationis uſu, 133. decreta ſanciuntur de reductione Miſſarum, 136.

136. de fundationibus, 137. de capitulis exemptis, 138. necnon de regreſſu ad beneficia, 141. & de Hoſpitalium Miniſtris, 143. item de Jure Patronatus, 145. de beneficiis, & decimis, necnon de Exequiis, 152. 153. 154. 158. Seſſio XXV. decretum de Indulgentiis, 168. de jejunio, & libris prohibitis, 171. agitur de recipiendis decretis & abſolvenda Synodo, 173. 175. fiunt ſolitæ acclamationes, 177. Patres ſubſcribunt decretis, 180. edito Pontificis diplomate Synodus confirmatur, 239. tempus, quo obſtringere incipit, præſcribitur, 248. a Luſitanis & Venetis recipitur, 252. necnon ab Hiſpanis, 253. ſoli Galli obſtrepunt, 254. in Polonia recipitur, 297. de ea in Germania recipienda agitur. 525.

Concilium Mediolanenſe I. a ſancto Carolo Borromæo celebratur, 388. ejus ſtatuta, 389. agitur ibi de Eccleſiaſticorum officiis, 391. & de Monialibus, ac Noſocomiis. 393.

Conclave poſt obitum Pii IV. aperitur. 412.

Concubinæ: eas ejicit Monaſterienſis Epiſcopus, 535. propterea dire a Canonicis vexatur, 536. Epiſcopatu ſuo ultro cedit. 536.

Concubinarii: pœnæ in eos a Concilio Tridentino decernuntur. 17. 155.

Condæus Princeps capitur, 189. de pace

agi non vult, nisi edictum in Calviniſtarum favorem editum effectui detur, 194. 195. rejicit pacis articulos, 197. contra Regis edictum queritur. 336.
Confeſſarii extraordinarii Monialibus concedantur. 113.
Confeſſio: Moniales unoquoque Menſe confiteantur. 113.
Confeſſio Auguſtana Magdeburgi recipitur. 534.
Confraternitates variæ a Pio IV. vel erectæ vel confirmatæ. 317.
Cornelius Traviſanus Epiſcopus ante Seſſionem XXIV. Sacris operatur, 2. perorat de eſſentia Matrimonii. 3.
Cornia Aſcanius juſſu Pii IV. captus in arce ſancti Angeli includitur. 376.
Craſſus Franciſcus Mediolanenſis a Pio IV. creatur Cardinalis. 380.
Crequius Antonius: ejus nominationem ad Epiſcopatum Ambianenſen impugnat Molinæus, 269. creatur Cardinalis a Pio IV. 379.
Cribelius Alexander a Pio IV. nominatur Cardinalis. 379.

D.

Decimæ integre ſunt perſolvendæ, 153. eas ſubtrahentes excommunicatur, 153. earum jura Regis edicto Eccleſiaſticis in Francia aſſeruntur. 207
Delphinus Zacharias a Pio IV. Purpura Romana decoratur. 378.

Dida-

Didacus Frater Laicus ex Ordine S. Franciſci, de ejus Canoniſatione agitur, 325.
Diſpenſationes raro concedantur. 161.
Dragutes celebris Turcarum Pirata Melitam obſidet, 432. ejus obitus. 432.
Duella ſub graviſſimis pœnis prohibentur. 162.

E.

Eccleſiaſtici, eos Laici Principes protegant. 164.
Eccleſiæ: quæ reditibus carent, quomodo eis proſpiciendum? 45.
Egmontius Comes in Hiſpaniam mittitur, 459. Regis Hiſpaniæ mandata in Belgium defert. 460.
Eliſabetha Angliæ Regina: ob enormia ejus ſcelera eidem anathema intentatur, 214. Eccleſiaſticos e carceribus dimittere renuit, 214. ſuæ hæreſis articulos firmat, 215. in Catholicos ſævit. 219.
Epiſcopi, de eorum inſtitutione in Synodo Tridentina agitur, 22. necnon de illorum viſitationibus in ſuis Diæceſibus, 28. per ſe prædicare jubentur, 31. quomodo eorum cauſſæ criminales dijudicandæ ſunt, 33. agitur de eorum poteſtate in diſpenſando, 34. necnon de illorum ſollicitudine in paſcendo grege, 35. quinam Eccleſias, quæ nullius ſunt Diæceſis, viſitare teneantur, 37. eorum jura ſarta ſerventur, 38. de frugali eorum menſa agitur, 77. quinam

Religioſi eorum viſitationibus ſubjacent? 114. 123. de Epiſcoporum reformatione agitur, 128. quomodo Epiſcopi capitula exempta viſitent, 138. juxta ſuam dignitatem cum decore ſe gerant, 160. Sæcularibus abjecte non deſerviant. 161.

Excommunicatio: rectus illius uſus præſcribitur in Synodo Tridentina. 133.

Exequiarum jura Parochis debentur. 154.

Expectativæ gratiæ in Synodo Tridentina reprobantur. 60.

F.

Fabritius Joannes Concilium Tridentinum impugnat. 273.

Facultas Theologica Pariſienſis præter conſuetum numerum Religioſos admittere renuit, 231. propoſitiones de Baptismo ab hæreticis collato damnat, 365. Baji propoſitiones damnat, 489. Volantiam ad palnodiam adigit. 489.

Farneſius Ranutius Romanus Cardinalis ejus hiſtoria & obitus, 425. Borromæus Cardinalis illius merita in pleno Purpuratorum conſeſſu deprædicat. 426.

Ferdinandus Imperator fruſtra pro Catholicorum Præſulum libertate Angliæ Reginam ſollicitat, 214. calicis uſum petit, 273. Sacerdotibus ad fidem reverſis uxores ſuas relinqui petit. 277.

Ferrerius Guido Vercellenſis creatur Cardinalis a Pio IV. 379.

Festa: eorum observantiam Synodus Tridentina commendat. 115. 171.
Fundationes religiose serventur. 137.

G.

Gallius Ptolomæus a Pio IV. Papa nominatur Cardinalis. 378.
Galli Gratiæ-portum obsident, capiuntque, 202. Concilium Tridentinum recipere renuunt, 254. contra Lotharingium Cardinalem queruntur, 255. futiles eorum rationes contra Synodi receptionem. 257.
Gentilis Valentini historia, 502 vide *Valentinus.*
Gonzaga Fridericus a Pio IV. Papa Cardinalium Collegio adscribitur, 213. moritur ejus elogium.
Græci Sacræ Sedi uniti ob eorum errores perstringuntur 250.
Gribaldus Matthæus Anabaptista: ejus vitæ historia, 207. illius errores & opera. 509.
Guisius Dux a Calvinistis Aureliæ occiditur, 190. Guisii Duces cum Coliniis reconciliantur. 543.

H.

Hispani Concilium Tridentinum recipiunt. 253.
Hochstratus Comes pro Belgis sectam suam profitendi libertatem petit. 585.
Hospitalius Franciæ Cancellarius Regem tutellam egressum declarat, 206. futiles

les rationes contra Synodi receptionem opponit, 257. annum in Galliis a Menſe Januario inchoari præcipit, 330. de miſero Franciæ ſtatu, & regimine coram Rege differit. 538.

I.

Jejunia commendantur fidelibus a Synodo Tridentina. 171.

Jeſuitæ decreto Tridentini Concilii circa Novitios non ſubjacent, 119. proprietatem bonorum abdicant, & rurſus aſſumunt, 101. Scholas ſuas Pariſiis aperiunt, 364. a Pariſina Univerſitate divexantur, 436. quales vocari vellent, interrogantur, 437. ad Regium Senatum provocant, 437. eis plurimi obſiſtunt, 438. Molinæus contra eos ſcribit, 439. a Verſorio propugnantur, 440. eos aggreditur Pasquierus, 447. ſuas lectiones proſequi permittuntur, excluduntur tamen ab Univerſitate. 456.

Imagines Sacræ: de earum veneratione in Concilio Tridentino agitur. 90.

Impedimenta Matrimonii ſtatuuntur. 8.

Index librorum prohibitorum, 171. Regulæ Indicis. 307.

Indulgentiæ: de iis agitur in Concilio Tridentino. 168.

Irregularitates: quænam poteſtas Epiſcopis in earum diſpenſatione competat. 34.

Judices a Sede Apoſtolica delegati, eorum poteſtas. 150.

L.

Laynesius Jacobus Jesuitarum Generalis bono immobilia possidere renuit, 101. suam mentem revocat. 101.
Libri prohibiti: eorum lectio prohibetur, 171. libros imprimere, absque sua approbatione prohibet Franciæ Rex, 210. 543. Regulæ circa libros prohibitos. 307.
Lomellinus Benedictus Genuensis a Pio IV. creatur Cardinalis. 380.
Londinense Conciliabulum: ibidem hæresis articuli stabiliuntur. 215.
Lotharingius Cardinalis sese Reformationis decretis opponit, 66. Synodum absolvi petit, 72. acclamationes facit ad finem Concilii Tridentini, 177. a Gallis inique accusatur. 255.
Lunensis Comes sese absolvendæ Synodi proposito opponit, 78. Regis Hispani responsum expectare jubet. 79.
Lutherani ad Synodum invitati venire respuunt, 82. in vanum cum Calviniſtis doctrinæ concordiam fabricare moliuntur, 360. Catholicos hostiliter invadunt, 546. crudeliter debacchantur, 547. 571. 576. in Belgio seditionem fovent, 579. Hispaniæ Regem ab adventu in Belgium removere satagunt, 580. vide *Calviniſtæ*, & *Belgium*.

M.

Maldonatus Jesuita primus Parisiis Philosophiam in suo Collegio tradit. 364.

Margarita Parmenſis Belgii Gubernatrix, ejus Legatus in Synodo Tridentina excipitur, 3. Hiſpaniæ Regem de Calviniſtarum ſeditione in Belgio certiorem reddit, 460. Regis mandata effectui dari præcipit, 464. conjuratos in Belgio placare nititur, 551. 553. reſpondet ad eorum libellum, 555. devotionem erga B. V. inſtituit, 556. novum libellum a conjuratis recipit, 557. deſuper Provinciarum Rectores monet, 560. hæreticos tumultuantes fruſtra ſedare nititur, 575. Bruxellis diſcedere præpeditur, 576. fœderatorum unionem diſſolvere nititur. 587.

Matrimonium, de ejus doctrina agitur, 3. necnon de illius indiſſolubilitate & gratia, 41. Canones ſtatuuntur, 5. agitur de clandeſtinis & Filiorum familias matrimoniis, 8. item de cognationibus ſpiritualibus & impedimentis, 13. pœnæ ſtatuuntur in eos, qui in gradibus prohibitis matrimonia ineunt, 15. item pœnæ contra raptores, 16. & concubinarios, 17. agitur de vagorum matrimonio, 17. præſcribitur libertas, 19. necnon tempus. 20.

Maulbrunium: ibidem Calviniſtæ cum Lutheranis doctrinæ concordiam procudere fruſtra moliuntur, 361. illius acta depravata eduntur, 362. re infecta diſſolvitur. 363.

Maxi-

Maximilianus II. Imperator calicis usum concedi petit, 275. Sacerdotibus conjugium permitti postulat, 278. 279. idem rursus petit, 369. comitia Augustæ celebrat, 525. ad ea mittitur Commendonus, 526. a Papa rogatur, ne se negotiis Ecclesiasticis ingerat, 529. Augustana comitia absolvit, 531. pertinaces hæreticos e sua ditione excedere jubet, 532. Viennæ conventum agit, 532. copias in Imperio conducere, Hispaniæ Regi permittit. 577.

Medicæus Ferdinandus Etruriæ Ducis Filius creatur a Pio IV. Cardinalis, 213.

Mediolanum, ibidem a sancto Carolo Borromæo primum Concilium celebratur. 388.

Melita a Turcis incassum obsidetur, 432. ex Pontificis liberalitate ibidem nova Urbs erigitur. 532.

Mesnilus Joannes Baptista controversiam inter Universitatem Parisinam, & Jesuitas componere satagit. 454.

Metropolitani suas Diæceses visitare tenentur & quomodo? 28. 37.

Missæ: agitur in Synodo Tridentino de reductione earum. 136.

Missale emendari jubetur, 171. ea emendata edi jubet Pius V. 521.

Moguntinus Archiepiscopus Tridentinam Synodum circa quosdam articulos declarari petit. 528.

Molinæus Carolus Lugduni captus liber dimittitur, 229. Synodum Tridentinam inique impugnat, 263. in carcerem conjicitur, & Regis jussu liberatur, 266. Crequii electionem ad Ambianensem Episcopatum impugnat, 269. ejus Consilium circa Jesuitas expetitur. 439.

Mulinense edictum circa Religionem, 536. 541. a Parisiensi Senatu approbatur. 543.

Monasteria: de qualitate Superiorum apud Moniales eligendarum, 106. quomodo monasteria non habentia Ordinarios Regulares Visitatores regantur, 107. ab Episcopis gubernantur, 110. 123. quænam in commendam dari possunt. 124.

Moniales strictam observent clausuram, 103. de electione Superiorum agitur, 105. de earum confessariis extraordinariis, 113. apud se Eucharistiam asservare nequeunt, 113. Novitiæ ab Episcopo examinentur. 119.

Montanus Christophorus Cardinalis, ejus vita & obitus. 341.

Morlasium: ibidem Antitrinitarii Conciliabulum habent. 252.

Moronus primus Legatus in Concilio Tridentino decreta Sessionis XXIV. approbat, 69. queritur, hæreticos ad Synodum vocatos non adventasse, 82. Synodum absolvi urget, 84. Romam venit

venit finita Synodo, 184. de eo in Papam eligendo agitur. 413.
Muſculus Wolfgangus Lutheranus: ejus interitus, 220. illius opera. 222.
Muſtapha Turcarum Imperator *Melitam* obſidet, 432. profligatus recedere cogitur. 433.

N.

Navagerus: ejus vitæ hiſtoria & obitus, 420. nominatur Concilii Tridentini Legatus. 421.
Nicolinus Angelus Florentinus a Pio IV. creatur Cardinalis. 378.
Noſocomia: eorum Miniſtri rationem redituum reddere tenentur. 143.
Novitiatus: ante duos menſes profeſſioni proximos renuntiatio eſt nulla, 117. finito Novitiatu Novitius aut profiteatur aut ejiciatur, 118. excipiuntur Jeſuitæ, 118. ex Novitii bonis ante profeſſionem nihil debetur Monaſterio, 118. Monniales Novitiæ ab Epiſcopo examinentur. 119.

O.

Ochinus Bernardinus Tiguro pulſus in Poloniam auffugit, 233. errores ſuos ibidem ſpargit, 234. e Polonia ejicitur, 236. in Moraviam profugus peſte perit, 237. ejus opera. 237.
Oranius: ſeu Arauſionenſis Princeps in Belgio Fœderatorum Dux, 564. Antverpiam novo præſidio munit. 569.

Oratorium: Congregatio Presbyterorum Romæ a S. Philippo Nerio ſtabilitur. 319.
Ordo ſancti Lazari privilegiis augetur. 408.
Ormanettus a ſancto Carolo ad gubernandam Diæceſin mittitur. 387. eandem reformare incaſſum nititur, 387. rogat ſanctum Carolum, ut ipſus eo venire velit. 388.
Oyſelius Henricus Clutinius, Navarræ Reginam ob hæreſin damnari impedit. 328.

P.

Pacecus Cardinalis Moronum in Papam eligi diſſuadet. 414.
Paleottus Gabriel a Pio IV. creatur Cardinalis. 380.
Parlamentum Pariſienſe obſiſtit decreto de Regis majoritate, 204. 208. a Rege objurgatur, 209. Concilii receptioni obſiſtit. 260.
Parochiæ: ejus Miniſtri, quibus dotibus emineant? 55.
Parochus Religioſus, examini Epiſcopi ſubjacet, 114. ei exequiarum jura debentur, 154. ab oneribus publicis eximitur. 211.
Pasqua Simon Genuenſis a Pio IV. nominatur Cardinalis, 379. ejus hiſtoria & obitus. 426.
Pasquierus Stephanus contra Jeſuitas perorat. 447.
Patronatus quomodo hoc jus probandum ſit,

ſit, 146. quinam Patroni eſſe poſſint? 146.

Paulius Gregorius Antitrinitarius cum Calviniſtis diſputat, 491. SS. Trinitatem impugnat, 492. Calviniſtas urget, ut duntaxat ex ſacris literis hoc myſterium probent, 492. ſe indicta cauſſa damnatum queritur. 496.

Pœnitentiarii in Cathedralibus Eccleſiis inſtituantur. 36.

Peleveus Robertus Apamienſis Epiſcopus ob prohibita conventicula ab hæreticis dire vexatus. 547.

Penſiones in Galliis non permittuntur abſque Regis conſenſu. 47. 48.

Philippus II. Hiſpaniæ Rex Synodum continuari petit, 70. ſuum Oratorem ab Angliæ Regina veneno necatum, ægerrime fert, 219. Synodum Tridentinam recipit, 253. illam a Gallis rejici dolet, 258. Beatum Didacum Sanctorum faſtis adſcribi rogat, 325. hæreticos in Belgio ſupprimi jubet, 460. cum Calviniſtis in Belgio moderatis pœnis agendum jubet, 461. mandatum revocat, 462. ejusdem mandatum, 464. de Baji erroribus certior fit, 482. ejus propoſitiones examinari jubet, 487. moderata contra Belgas hæreticos edicta promulgat, 570. in Belgium venire urgetur, 577. in Germania copias conſcribit. 578.

Philip-

Philippus Nerius ſuam Congregationem inſtituit, 319. primi ejusdem Sodales. 321.

Pinzovienſe conciliabulum inter Antitrinitarios, & Calviniſtas, 490. re infecta diſſolvitur, 495. agitur de Baptismo parvulorum. 497.

Pius IV. inſuperhabita Regis Hiſpaniæ oppoſitione Synodum eſſe abſolvendam cenſet, 71. negotia tamen prius perfici petit, 72. morbo corripitur, 80. ſanitatem recuperat, 86. Synodum abſolvi urget, 86. gratiarum actionem decernit pro felici exitu Concilii, 183. acta Synodi confirmare, eorumque executionem urgere ſtatuit, 186. illa confirmare rogatur, 188. Angliæ Reginam anathemate ferire tergiverſatur, 214. edito diplomate Synodum confirmat, 239. tempus, quo decreta obſtringere incipiunt, præſcribit, 248. diſſidium inter Benedictinos, & Canonicos Regulares circa præcedentiam componit, 249. Græcorum errores perſtringit, 250. a Rege Luſitano epiſtolam circa Synodi confirmationem accipit, 251. Synodum Tridentinam in Galliis recipi denuo urget, 271. in Germania eandem recipi procurat, 273. circa calicis uſum Germanis concedendum cum Cardinalibus deliberat, 274. illum eis concedit, 275. Sacerdotibus conjugium permittere renuit,

nuit, 278. Synodum in Polonia recipi nititur, 282. Tridentini Concilii decreta typis impreſſa in Poloniam mittit, 288. Cardinales de recepto Concilio in Polonia certiores reddit, 298. Epiſcopos ad reſidentiam monet, 300. profeſſionem fidei emitti jubet, 301. Indicem & Regulas circa libros prohibitos confici præcipit, 307. varias Sodalitates confirmat, 317. in erigenda Congregatione Patrum Oratorii auxilium præbet. 319. Armenorum Patriarcham excipit, 323. Beatum Didacum Sanctorum faſtis adſcribere ab Hiſpaniæ Rege rogatur, 325. Navarræ Reginam anathemate ſolvere, a Franciæ Rege efflagitatur, 326. anathematis ſententiam in eam & quosdam Franciæ Epiſcopos revocat, 329. Scotiæ Reginam ad recipiendum Concilium Tridentinum ſollicitat, 368. in Papæ vitam conſpiratur, 371. privilegia *Maris magni* revocat, 372. alias edit Conſtitutiones, 373. ſuam familiam beneficiis auget, 373. quosdam reos plecti jubet, 375. Cardinales creat viginti tres, 377. ſancto Carolo Borromæo felicem ſuæ Synodi exitum gratulatur, 395. in favorem Ordinis ſancti Lazari diploma edit, 408. ægrotat, 411. moritur. 412.

Pius V. mortuo Pio IV. eligitur Pontifex, 417. ejus vitæ hiſtoria ante Papatum

511. Caraffas priſtinis honoribus reſtituit, 515. in hæreticos ſummo ſtudio inquirit, 517, decreta edit contra lupanaria & meretricos, 517. Vaticanum Palatium & Cardinales reformat, 519. circa Eccleſiæ ritus ſtatuta edit, 521. non omnibus ejus Zelus approbatur, 522. quemdam Judæum convertit, 522. Concilii Tridentini receptionem urget, 529. ejus liberalitas. 532.

Piſanus Ludovicus Venetus a Pio IV. creatur Cardinalis. 378.

Pluralitas beneficiorum in Concilio Tridentino prohibetur. 83.

Polonia: de recipiendo Concilio Tridentino ibidem agitur, 282. Eccleſiæ diſciplina penitus everſa, 283, Religio peſſumdata ob Præſulum diſſenſiones, 284. Synodus Tridentina ibidem recipitur. 296. 297.

Poltrotus Calviniſta Guiſium Ducem trucidat. 191.

Poſſeſſiones vid. *Religioſi,*

Præbendæ nimium tenues augentur. 50.

Præcedentiæ controverſias dijudicat Epiſcopus. 115.

Principes Laici Eccleſiaſticos defendant. 164.

Profeſſio in Religione: quænam ætas requiratur, 117. profeſſionem impedientes, vel ad eam cogentes anathemati ſubjiciuntur, 120. de iis agitur, qui contra

contra ſuam profeſſionem reclamant, 122. profeſſio fidei emitti jubetur, 301. ejusdem norma, 302. eam emitti rogat Pontifex. 530.

Purgatorium, de eo doctrina in Concilio Tridentino explicatur. 89.

Puteus Jacobus Cardinalis, ejus vita & obitus. 211.

R.

Ragazzonius Nazianzenus Epiſcopus in ultima Seſſione orationem habet de Synodi Tridentinæ rebus præclare geſtis. 86.

Raptores, pœnæ in eos a Concilio Tridentino decernuntur. 16.

Raveſteinius Lovanienſis Doctor Bajum impugnat, 483. de ejus pertinacia queritur, 484. ejus errores recenſet. 485.

Reformationis decreta conduntur, 22. ea obſervari jubentur, 126. de reformatione Cardinalium & Præſulum decreta ſanciuntur, 128. a Pio V. inchoatur. 519. 521.

Regreſſus ad beneficia prohibetur. 141.

Religioſi, de eorum reformatione in Synodo Tridentina agitur, 96. ad regularem diſciplinam admonentur, 97. nihil proprium habent, 98. bona immobilia poſſidere valent, 99. excipiuntur Religioſi ſub Regula ſancti Franciſci viventes, 100. de Religioſorum exitu e

monaſterio agitur, 102. item de Superiorum electione, 105. de eorum præcedentia, 115. non exempti ad publicas ſupplicationes accedere tenentur, 116. publice delinquentes a quo ſint puniendi, 116. quando profeſſionem emittere valeant? 117. quinam viſitationi Epiſcoporum ſubjaceant. 123.

Reliquiæ Sanctorum, de earum veneratione in Tridentino Concilio agitur. 90.

Reſervationes damnantur. 60.

Rhemis ibidem conventus celebratur, 397. hujus Synodi ſtatuta, 400. Caſtillionæus Apoſtata damnatur. 403.

Richardotus Franciſcus ante Seſſionem XXIV. de Sacramento Matrimonii perorat. 2.

Ruſcinonenſe edictum, quo pacis decretum declaratur. 331.

Rothomagenſis Senatus Regem tutellam egreſſum declarat. 204.

Rozerius hæreticus Regem Religionis hoſtem trucidare, licitum eſſe docet. 545.

S.

Salviatus Congregationis S. Philippi Nerii Alumnus. 32.

Sanctacrucius Proſper creatur Cardinalis. 378.

Sancti, de eorum veneratione, Sacris imaginibus, & Reliquiis in Concilio Tridentino agitur. 90.

Sando-

Sandoval Chriſtophorus Cordubenſis Epiſcopus Toletano Concilio præeſt. 406.
Scotiæ Regina Tridentinum Concilium recipere ſollicitatur. 368.
Sebaſtianus Luſitaniæ Rex Synodum Tridentinam recipit. 252.
Seguierus Pariſienſis Curiæ Præſes Parlamenti Repugnantiam contra Regis majoritatem excuſat. 209.
Seminaria juſſu Pii IV. Romæ & alibi eriguntur. 373.
Sfortia Alexander a Pio IV. renuntiatur Cardinalis. 379.
Sfortia Guido Aſcanius Cardinalis ejus vita & obitus, 340.
Sigismundus Magdeburgenſis Epiſcopus vix a fide deficiens morte plectitur. 534.
Simoneta Cardinalis abſoluta Synodo Romam venit. 184.
Sirletus Guilielmus Calabrenſis a Pio IV. Purpura donatur. 380. agitur de ejus electione in Papam. 415.
Sittichus Marcus Papæ Nepos rerum ſummæ præficitur. 376.
Spurii Clericorum Filii a beneficiis arcentur. 158.
Staphylus Fridericus ejus obitus, opera & elogium. 352.
Syriaca Scriptura ſacra Viennæ in Auſtria editur. 367.

T.

Toletanum Concilium, 406. illius ſtatuta, 406.
Translatio Religioſorum ad minus auſterum inſtitutum fieri prohibetur 122.
Trinitas Sanctiſſima ab Antitrinitariis impugnatur in Polonia 491.
Turcæ Melitam obſident, 432. profligantur, 433. Chios Inſulam expugnant, 524. fidelium conſtantia & Martyrium. 525.

V.

Vagabundi de eorum matrimoniis in Concilio Tridentino agitur. 17.
Valentinus Gentilis hæreticus, ejus vitæ hiſtoria, 502. capite plectitur, 504. ejus opera. 505.
Valetta nova urbs ex Pii V. liberalitate a Melitenſibus conſtruitur. 503.
Valontius ſuas propoſitiones erroneas retractat. 489.
Ubiquiſtæ, eorum Auctor eſt Brentius. 363.
Ucangius Gnesnenſis Archiepiſcopus ob ſuas diſſenſiones in Polonia Religioni ſummopere nocet. 284. Nationale Conciliabulum urget. 286. 287.
Veneti Tridentinam Synodum recipiunt. 252.
Verſorius Petrus pro Jeſuitis perorat. 441. adverſariorum argumenta refellit. 443. 454.

Vicarii perpetui instituantur. 159.
Victorius a Synodo ad Papam ablegatur. 71.
Vicecomes Carolus a Papa ad Hispaniæ Regem ablegatur, 71. item in Germaniam pro urgenda Concilii Tridentini receptione, 272. creatur Cardinalis, 379. moritur, 427.
Vigorius Simon errores circa Baptismum spargit, 365. cum Calviniſtis disputat. 545.
Visitationes, Episcopi suas Ecclesias visitent, 28. quomodo Ecclesiæ, quæ nullius sunt diœcesis, visitandæ sint? 37. Edicta Episcoporum in suis visitationibus facta serventur, 37. de visitationibus Monasteriorum, 123. & Capitulorum exemptorum in Concilio Tridentino agitur. 139.
Vitellii urbem usurpatam restituere tenentur. 375.
Universitas Parisina Jesuitas divexat, 436. eidem suffragatur Pasquierus 447.
Ursinus Franciscus a Pio IV. creatur Cardinalis. 380.

W.

Warvicensis Comes Gratiæ portum Gallis tradere frustra sollicitatur. 202.
Wengrovienſe Conciliabulum inter Antitrinitarios & Calviniſtas circa Baptismum Parvulorum. 498.
Widmenstadius Joannes Albertus sacram Scripturam Syriace edit. 367.

Wirtembergæ Dux a Franciæ Regina in Gallias accerſitur, 192. colloquio, ubi de Lutheranis & Calviniſtis uniendis agitur, præeſt. 360.

X.

Xylander Guilielmo Maulbrunenſi colloquio inter Calviniſtas & Lutheranos præeſt, 361. hujus conciliabuli acta mendaciis plena divulgat. 363.

Z.

Zambucarus Sulmonenſis Epiſcopus in ultima Seſſione Sacrum ſolemne celebrat. 86.

Zamora Franciſcus Franciſcanorum Generalis bona poſſidendi facultatem abdicat. 100.

Zwingliani ridiculo conatu doctrinæ concordiam cum Lutheranis procudere moliuntur. 360. 361.

ERRATA: *Sic corrige.*

Pag.	44.	ſeptimæ - -	ſeptimam.
	205.	poſtulato - -	poſtulatis
	257.	luculenta - -	luculento
	271.	Secretus - - -	Senatus.
	321.	ſuum - - -	ſuam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XLVII.

Th 47
5178